MODESTA ET SOLIDA RESPONSIO AD VIRI CLARISSIMI STEPHANI VITI...

Georg Ludwig Oeder

MODESTA ET SOLIDA

RESPONSIO

ad Viri Clarissimi

STEPHANI VITI

iniquissimum librum

quem inscripsit

APOLOGIAM

in qua

NOSTRAM EVANGELICAM DOCTRINAM in Synodo Dordracena proscriptam esse, B. Lutherum, Formulæ Concordiæ Autores ceterosque antiquiores Theologos Ecclesiæ Lutheranæ à Doctrina Supralapsariorum alienissimos fuisse, nihil denique eorum, quæ Vitus nostræ Doctrinæ objecit, merito objici, luculenter evincitur, Cl. Vitus autem innumerorum conviciorum, paralogismorum, doli mali etiam & levitatis modeste coarguitur.

Accedunt

STRICTVRÆ

ad

EIVSDEM VITI VINDICIAS.

AVCTORE

M. GE. LVDOV. OEDERO.

HAMBURGI,

Apud VIDVAM FELGINERI, M DCC XXXII.

Ad benevolum Lectorem,
AUCTORIS PRÆFATIO.

V*iri Clarissimi, Stephani Viti, accerrimos libros, quorum alterum* Apologiam Synodi Dordracenæ, *alterum* Vindicias *inscripsit, illum an. 1726. hunc an. 1728. Cassellis editum, quod nemo adhuc nostratium integros refutatione dignatus est; quamquam gravi consilio factum videtur, cum nec autoritas Viri tanta sit, quæ multum nocere possit, & optimus quisque ab eristicis scriptis, maxime cum adversario ejus ingenii, quale in Vito cognovimus, nisi veritas prodi videatur, lubentissime abstineat; tum vero heroës illi, quos præ ceteris stilus mordacissimus pupugit, bonas horas melius collocare & possint & soleant; librorum denique Viti ea sit ratio, ut legisse fere & recitasse sit refutasse, nec temere liber prodierit, qui acuminis minus, confidentiæ autem, conviciorum fraudum, paralogismorum*

plus habuerit, quam uterque Viti libellus: Tamen cum, in Vindiciis *maxime, luculenter appareat, in eam partem interpretari bonum virum nostratium silentia, quasi non esset, quod regeremus, exultare adeo & triumphare in vacua aula; tanti visum est audacissimum hominem exarmare, alios autem, quos puto esse paucissimos, qui forte confidentia insigni permoti iniquius de fide nostra senserint, meliora docere, ut hujus opellæ amicorum suasu & autoritate susceptæ me non pœniteat. In qua ita versatus sum, ut primo Dordracenis Patribus nostra dogmata proscripta esse, sive damnata, voce ecclesiastico sensu, ut & Vitus fecit, accepta, solis radiis clarius demonstrarem; Deinde, Lutheri sanctæ memoriæ Viri librum de Servo Arbitrio, quem totam Supralapsarium esse, Vitus non dubitat, curate excuterem, & tantum abesse Lutherum, quod ad rem attinet, in ipso illo libro, à Supralapsariismo, quantum quæ maxime distant, non conjicerem sed evincerem. Ubi & de Erasmi Semi-Pelagiana doctrina actum est; Porro hoc mihi datum credidi, ut nostros recentiores à Semi-Pelagianismi suspicione iniquissima, antiquiores, Formulam Concordiæ potissimum, ab audacissima criminatione Supralapsariismi vindicarem. Denique, cum*

cum Vitus, acerbissima ratione, mox sumta calumniatoris persona, mox palam, imputet nobis, à quo toto pectore abhorremus, & ea ex illis, quæ docemus, eliciat, quæ abominamur, ita autem eliciat, ut facilius è pumice aquam elicuisset; depellenda fuit ista quoque multiplex & atrox injuria. Dicendi genere usus sum, quod Christiani hominis esse & Theologi credidi, quodque argumento sacro dignum esset, hoc est, modestissimo. Quamquam enim Vito, cujus libello nullum intemperantiorem videre unquam contigit, nisi Weislingeri Frißß Vogel, *& similes aliquot acerbiores dicere velis, nulla fieret injuria, si sale perfricaretur mordaci; at argumento & dignitati caussæ, quæ hoc genus dicendi respuit, & moribus comtioribus seculi injuria fieret. Itaque, cum contradictionum, conviciorum, Paralogismorum, doli mali, levitatis etiam, qua voce, quicquid ignorantiam rerum de quibus scribendum fuit, & jactantiam sapiebat, complexus sum, non arguerem adversarium meum sed convincerem: graviter id quidem, sed nullo regesto convicio factum est. Multo minus ecclesiam Reformatam duris incessi verbis, ut ille quidem nostram durissimis, in qua* furorem regnare *dixit. Nihil superesse credo, nisi ut singulorum, quæ*

in Vito notavi, singula specimina huc referam, unde lector, quale Vito ingenium sit, statuere possit. Itaque conviciorum, quorum vix iniri numerus potest, exemplum esto, quod notavi, §. 275. Ita Vitus in Vindiciis, *cum putasses de acerbitate sæpe monitum modestiorem factum* p. 60. Uti putrescentia ulcera vermibus, ita Lutherana fides contradictionibus scatet burritque. *Fraudis specimen hoc sit.* Apolog. *p. 449. ut a me observatum est, §. 219. non modo misere truncavit B. Buddei verba, sed & hunc atque b. Museum dicit:* EXPRESSISSIMIS VERBIS adfirmare hominem naturalibus viribus præparare se posse ad gratiam, applicare se ad gratiam, *quorum nec literula vel laudatis a Vito locis, vel alibi, sed contraria omnia extant. E Contradictionum ingenti numero hoc excerpo: §. 189. observavi difficultates nostræ fidei objectas, unde maxime abominanda sequi dixerat Vitus, ab ipso, abjecta calumniatoris persona,* illustres & evidentes *dici* Apolog. p. 363. *Sed §. 193. notavi ejusdem Viti verba Apolog. p. 374. ubi hæc ipsa, quæ antea execrabilia ipsi visa sunt,* minutiora *vocat. Immo §. 209. observavi, eo ipso loco, quo quid sit contradictio? Vitus expositurus erat, crassam*

sam ab ipso admissam esse contradictionem. Paralogismorum est in Vito seges amplissima. e.g. §. 140. *notavimus ejus verba : Apolog. p.* 256. *Ubi ita argumentatur*: Si præscientia est æterna, si infallibilis, est rerum undecunque necessario futurarum. *Idem toto libro agit. Levitatis specimen hoc occurrit ex infinitis:* §. 203. *notavi verba Viti*, Apolog. p. 422. *Ubi non putat* Lutheranis ita omnem periisse posse pudorem, ut negent regenitos certiori majorique ex Reformatorum, quam ex sua fide, consolatione, uti. *Denique ut palam se Vitus Supralapsarium profitetur, ita passim crudius, quam ulli unquam Supralapsarii locuti sunt, verba facit. e.g.* §. 342. *nos notavimus Viti verba* Vindic. 396. Quæcunque DEUS permittendo lapsum sibi proposuit ea consequi non poterat, nisi lapsus contingeret. *Sic* §. 357. *observavimus Vitum credere, tam esse DEUM lapsus Adami autorem, quam autor incendii est, qui facem subjecit. Verba Viti extant*, Vindiciar. p. 443. *Recepit se subinde Vitus ad Clarissimum Philosophum* Christian. Wolfium, *cujus scripta eum non legisse ita ubique patet, ut pudere necesse sit imperitia. Quoties ad antiquos Lu-*

the-

theranos conatus est Vitus provocare, toties hallucinatum esse ostendi. Quæ è Pandocheo collegerat, dissipavi omnia, ita denique nudavi & inermem omnium oculis Clarissimum Vitum exposui, ut non esse credam, quod contra hunc Virum porro scribi necesse sit. Neque vero hæc ita scribi, quod à me potissimum proficisci posse crederem, quibus is prosterneretur, sed quod contra levem adversarium facilis esset victoria. Ego certe nihil unquam additurus sum. Lectori autem erudito hoc tribuo, ut, si fortasse alicubi de Paralogismis Viti, quos ego esse credo, item in explicatione Cap. IX. ad Rom. paulisper à me dissentiat, quod in tanta ingeniorum diversitate fieri vix potest, quin accidat, in capite tamen Caussæ satisfactum esse Vito, sit pervasissimus. Ceterum mecum, quicunque veritatis & pacis amore ducitur DEUM venerabitur, ut quæcunqe opprimere vel tegere veritatem possint, quæ animiorum conciliationem impedire, cui ingenia Viti similia maxime obstrepunt, clementissime removere, nos vero in veritate sua sanctificare velit!

Index

INDEX
secundum Paragraphos.

A.

B.

C.

Captio-

D.

E.

F.

Fratres

G.

H.

I.

K.

L.

O. Ob-

O.

P.

R.

S.

T.

Tro.

U.

W.

Z.

) o (

I. N. D.

I. N. D. N. J. C.

Ad Præfationem.

§. 1.

UNde exordium ſcribendi V. C. Stephanus Vitus fecit, inde noſtram quoque refutationem incipere par eſt, eo quidem diſcrimine, ut nos, quæ is in noſtros effudit, infinita convicia, maximam partem prætereamus, alia placide reprehendamus, quamque alieni ab iis omnibus, quæ ipſis tribuuntur, ſanctiſſimæ noſtræ fidei Profeſſores ſint, ſolide doceamus: ille contra hoc egiſſe videatur, ne farraginem conviciorum fruſtra colegiſſe dicendus ſit.

§. 2. Itaque *pio pacis negotio Lutheranos Fratres pie obluctatos* ait. Miror, qui fieri poſſit, ut quorum ſententia craſſiſſimos errores ono alveo fluere millies contendit, eos atres appellet. Quodſi enim ea docemus, uibus ſtultiſſima & blaſphema omnia non ſſunt non conſequi, levitatis ſit nos in fi- ſocietatem recipere. Nobis ſanctior eſt tas Evangelica, quam ut fratres agnoſca-

A mus,

mus, qui ea docent, unde tam atrocia sequuntur, quam illa sunt, quæ vel nos merito in Reformatis, qui vocantur, vel ipsi in nobis falso accusant.

§. 3. Quæ de Reverendissimi Moshemii cum virtutibus, tum consultatione, recte partim, ex parte vero iniquissime disputat Vitus, ad nos parum attinere credimus. Hoc moneo: Vito Moshemius consultatione sua spem pacis *præcidisse videtur*, at Vitus ipse eandem spem Apologia Vindiciisque suis *certissime præcidit.*

§. 4. Protestatur Vitus se mitius sentire de nobis, quam verbis præ se tulerit. Quæ quam vere dicta sint, Vindiciæ commonstrant, ubi, de asperitate verborum sæpe quidem commonitus, asperius etiam in nostros invehitur. Ceterum, quæ sub finem §. 2. habet Vitus, ne sæpius idem, summo cum lectoris tædio repetendum sit, paulisper excutiamus! Ait, scelestissima quæque, si quis improbis Schismaticorum Lutheranorum artibus uti velit, *non sine magna specie* ex Lutherana fide elici posse. Hic velim, dicat Clar. Vitus, sitne ipsius opinione, *sub magna ista specie*, veri aliquid, an omnia falsa? Quodsi ipsi criminanti, ea, quorum nos reos agit, ficta falsaque videntur, sumta ab ipso sane opera miserrima est, nam experiri non debent docti viri, quantum possint in excogitandis falsis criminibus; criminationum & convi-

ciorum

ciorum jactatores habentur in vilissima plebe. Sin, quod verosimilius, Viti ea mens est, non posse idonea ratione criminationibus responderi ab homine Lutherano, quid attinuit sæpe dicere, sumtam à se esse accusatoris personam, cum mitius secum sentiat. Dici non potest quam molesta sit & indigna constanti viro res, conviciorum & criminationum prodigum esse supra modum, graviter etiam interdum loqui, mox, lusisse se, aliaque omnia sensisse, dicere. Ego vero ita facile, juvante clementer DEO, ea omnia, quæ inique in nos dicta sunt, à fide nostra repellam, nulla mutuatus arma Supralapsariorum: ut Reformati, ipseque adeo Vitus, quæ ipsis oggesta sunt, amoliri, frustra conatus est.

§. 5. Merito Vitus §. 3. privatam suam fidem vel in genere Reformatis, vel Hassis suis speciatim, imputandam esse negat, tametsi enim non nimis magno intervallo, *Infralapsarii*, atque ipsi etiam *Hypothetici* seu *Universalistæ*, quos quidem nonnulli distinctos esse volunt, à *Supralapsariis* distare videntur: hoc saltem spero, disputandi rationem, & conviciandi libidinem, quæ in Vito summa est, ceteris Hassis non iri probatum. Porro, qua ratione cum suis, quos Supralapsarios esse negat, convenire Vito possit, qui vel Supralapsarium, vel Manichæum, vel hominium omnium stultissimum esse oportere, ad ravim, non ingeminat, sed si ita fas est loqui,

millificat, suæque adeo professionis homines, cum miseris Lutheranis eodem habet numero locoque; ipse viderit. Ceterum *succurrere & subire tempestatem, quæ à Lutheranis tibi impendeat, Vite!* non est, quod vereare. Sed hoc agamus quæso! ne in judicio divino tremendo illo, non possit inutilium verborum, & vitilitigationis non dari ratio. Denique credere nos jubes te tuosque malle cum *DEO revelato* quam *absconditо* loqui. Quod utinam tam serio ageretis, quam certum est Megalandrum Lutherum, ceterosque, qui ista distinctione usi sunt, non contrarias in DEO voluntates, neque falsam, quod nollet DEUS, volendi larvam, intellexisse, nam & hic moneo, & docebo procedente opere, luculentius mentem b. Lutheri fuisse, esse in DEO unam eandemque voluntatem, qua & cupiat serio omnes salvari, atque ad agnitionem veritatis pervenire; & damnari, quos gratiæ ordine non incessuros æternum prævidit. Fateor quoque, me capere non posse, qui possint in una sede, hoc est in tuo, Vite! ingenio, hæ duæ positiones morari; Supralapsariorũ dogmata ita esse non modo solatii plena, sed necessaria etiam, ut, qui ab iis discesserit, Manichæum fieri necesse sit, & eadem dogmata *clam tamen habenda, neque unquam imperitæ plebi proponenda.* Nos arbitramur, quod arbitratus est Apostolus, *Act. XX.* 20. ἐχ ὑποςειλάμενοι ἐδὲν τῶν συμφερόντων,

ordine

ordine quidem quodque suo, sed non eo ordine, qui saluberrima dogmata, qualia tibi Supralapsariorum esse videntur nunquam attingit.

§. 6. Demonstrare Vitus Lutheranos jubet Reformatorum dogmata fidei & salutis fundamentum evertere. Age, demonstrabo, quod dudum demonstratum est, aliqua esse, quæ, si illis inhæreas, fidem evertant. Exempli loco sit *de particulari Christi gratia*, intolerabile nobis dogma. Christus: *Qui crediderit*, inquit, *salvabitur, qui non crediderit, damnabitur. Marc. XVI.* 16. Neque enim *signum* modo *τȣ̃ ἤδη κεκριμένȣ incredulitatem* esse, sed *caussam*, patet ex *Rom. XI.* 20. *τῇ ἀπιςίᾳ ἐξεκλάσθησαν.* Neque credere deberemus, neque possemus, nisi credere Christus jussisset, atqui credere non potest jussisse Christus, nisi qui ab ipso redemti sunt; Quid enim crederent? falsum utique, nempe satisfecisse Christum pro se, qui non satisfecit. Falsum vero credi jubere Christus non potest. Porro ex verbis Salvatoris, nemo, nisi qui non credit, damnatur. Atqui credere non potuit debuitque se redemtum esse, qui non est redemtus, adeoque, cum imputari non possit, quod nec potuit aliquis nec debuit facere, non possunt, si redemtio Christi particularis sit, reprobi *ob incredulitatem* damnari. Itaque, quod demonstrandum mihi sumseram, neque quibus cura salutis est, credere debent,

quod ad paucos tantum pertinet, in quibus ipsos esse ex Evangelio non patet, neque quibus nulla cura, damnari, quod ea non crediderunt, quæ credere nec debuerant: Hæc Vite Clarissime! qui stas acer in armis, & provocare ad Duellum Lutheranos omnes ausus es, profligare ubi volueris, scito rem conviciis non expediri, nec ludere nos, sed serio agere, non de nucibus talisque, sed de re, tam nobis chara, quam charus communis noster Salvator optimus maximus est.

§. 7. Facere vero non possum, ut intactum relinquam, quod Vitus extremo §. 4. omnem controversiam inter nos atque Reformatos, quæ quidem ad hanc quæstionem pertineat in duobus potissimum cardinibus verti ait: *Utrum verba instituentis sacram cœnam Christi proprie intelligenda sint, an tropice? Deinde, utrum homo ante regenerationem in peccatis vere mortuus sit?* Tuam fidem, vir doctissime! itane decet in ipso exordio libri pacifici? Altera quæstio nulla est, nam nos hominem ante regenerationem in peccatis vere mortuum esse, tam serio credimus & profitemur, quam quæ maxime. Prior autem non satis bona fide recensita est, nam si Synecdochen omnino placeat tropum veri nominis appellari, eam vero in verbis institutionis facile largiantur nostrates, non ita, ut tu fecisti formanda quæstio fuit. Sed, *utrum metaphoricè metonymiceque, an proprie Christi verba accipienda sint?*

sint? vel clarius etiam: *accipiaturne in S. cœna ipsum corpus Christi cum pane præsens, an per solam fidem sine conjunctione, cum pane, absens?*

§. 8. *Ineptientes* nos §. 5. Vitus increpat, eumque à nobis verborum Christi sensum constitui, *quem admittere nemo possit, nisi prius omnem cum sensibus rationem ejuraverit.* Hos vero, Vite! fidei tuæ fratres appellas, quos credis ejurasse omnem cum sensibus rationem? Id equidem miror, convicio autem huic tuo, ut ceteris omnibus, nihil regero. *Uno nos* ait *niti* Vitus *argumento, verba testatoris propriè intelligenda esse*; Omitto dicere, quam abludat à vero, quod *unum* hoc *solumque* contendit argumentum esse. Utinam hoc rectius exposuisset. Nostratium enim hæc mens est, non temere à propria significatione in verbis testatoris abeundum, si vel semel scriptum testamentum sit, hic vero non licere abire à proprio significatu, cum non *semel*, sed *quater* descripta à sanctis viris sit sacræ cœnæ historia, & mutatis licet aliis vocibus, eodem quidem sensu retento, nihil tamen quidquam mutatum, unde de metaphorica metonymicaque acceptione vocis *corpus* item *sanguis* suspicari aliquis possit. Porro, ut metaphorica acceptio obscurissima est, neque enim ulla, quod constet lingua, *comestio carnis alicujus* pro perpetuæ memoriæ fiduciæque symbolo habetur, ut adeo cum primum tropus iste adhibitus est à Christo,

Joh. VI. neque intellectus sit à Judæis, neque ipsis discipulis, nisi cum institutio sacræ cœnæ, reique adeo veritas, cujus illa mystica significatio fuerat, accessit, claruerit; qua de re latius exponendi infra facultas dabitur: ita probe observandum, si voluerit Christus verum corpus edendum, verum sanguinem bibendum præbere, quod cur non potuerit velle frustra demonstrare conaris, significantius clariusque dici non potuisse, quam dictum est. Hoc ceteris rationibus è X. & XI. prioris epistolæ ad Cor. &c. junctum argumentum ita satisfacit animis nostris, ut credamus, ut acquiescamus, ut mirifica Christi nostri benevolentia impense gaudeamus. Tropos autem aliquos dari, ita faciles intellectu usuque tritos, ut sæpe clarius loquatur, qui tropicè, h. e. metonymicè metaphoriceque loquitur, quam qui eum tropum studiose declinare satagit, arbitror in confesso esse, qualis ille est, quo *poculum* pro *vino* in verbis institutionis accipiendum est. Verum eandem rationem tropi, quo *corpus sanguisque* pro signo, quo alterius memoria recurrere debeat, ut Reformati contendunt, capienda sint, minime esse patet, nam nemo homo unquam ita est locutus.

§. 9. Vitus sibi vehementer placet, cum disputationem de Synecdoche ingressus est, de qua in *Vindiciis* magis etiam exultat. Imperitiam

peritiam Lutheranis Theologis, B. Jo. Franc. Buddeo, maxime exprobrat, qui, quid *Synecdoche grammatica rhetoricave ſit*, *cum ignariſſimis ignoret*. Hic eſt mihi, Vite clariſſime! quod tecum agam. Uterque ſcholaſticæ juventutis doctores ſumus, uterque docemus Grammaticam Rhetoricamque, certè quæ huc referri poſſunt, itaque non ſane videtur præter fas eſſe, ſi quis noſtros hic turbare circulos velit, ſtomachari paullulum, ita vero modus noſtris iris ponendus eſt, ne, quod fieri alioqui ſolet, *magiſterialis ſupercilii* accuſemur. Mea hæc eſt ſententia: Ad cauſſam Lutheranorum plane nihil facit, ſive tu rhetoricam ſive grammaticam ajas Synecdochen eſſe, nam talis certe tropus non eſt, qualis eſt vel metaphora vel metonymia, in his enim vere *τρέπεται*, i. e. *convertitur* ſignificatio ad aliud, quam quod vox propriè ſignificat; at ubi de *parte* vocabulum, quod totius proprie eſt, vel verſa vice, de *toto*, quod partem ſignat, adhibetur, non ſane de *alio*, ſed de *eodem* uſurpatur, quamquam vel non *toto*, vel non *tanto*. Porro, largior tibi Grammaticus Grammatico, vera eſſe, quæ tu de uſu vocis: *Synecdoches Rhetorica*, ſolerter, atque ut homines ordinis noſtri decet, diſſeruiſti. Sed, ſi nolint aliquando Theologi voces, ita accipere, ut nos ſciſcimus accipiendas, quid agendum? B. Lutherum appellaſſe *Grammaticam*, quam nos malimus Rhetoricam Synec-

 dochen

dochen dici, in Vindiciis tuis ipsemet fassus es, non ab re erit alium Sancti Viri locum adscribere, ubi *Synecdochen* ita appellat, ut qualis sit, dicere abstineat. Itaque Lutherus Auslegung der Epistel in der Christ-Nacht edit. 1522. fol. 1. b. Darum dieweil das meiste daran geschehen war, und vollent geschehen muß, wie es denn noch geschicht, so nennet es die Geschrifft, als sey es geschehen. Denn die Geschrifft hat ein Weis zu reden, die heisst Synecdoche, fast gemein, das ist, wenn man von einem gantzen Ding redet, daß nur ein Stück also ist, als daß Christus drey Tage und drey Nacht im Grab sey gelegen, so er doch nur einen Tag zwo Nacht und 2 Stück von zweyen Tagen drinnen lag. Also spricht Er: Matth. 23. Hierusalem steinige die Propheten, so doch ein groß Theil frommer Leute darinnen waren. &c. de B. Buddeo, vis dicam, quid mihi in mentem venerit, cum eundem locum legerem, antequam de tua mihi quidquam innotuisset Apologia, quam primum videre contigit mense Februario 1730. A scholastica nostra definitione recessisse videbam summum virum, sed ita excandescendum, ut tibi accidit, mihi non putabam. Sic animum induxi. Rhetoricam ideo non vult appellari Buddeus hanc Synecdochen, ne veri nominis tropus, qui metaphoræ ac metonymiæ similis esset, habeatur. *Grammaticam* ait vocandam, quia syllabæ vocis Synecdoche, συνεκδοχὴ, ut Viro meo Græcè doctissimo constat, hanc animo

no-

notionem ingenerant, *complectendum* aliquid & *excerpendum* esse, hoc est, cum de *toto* dicitur, de *parte*; vicissim, ubi sermo de *parte* est, de *toto* cogitandum esse. Ea, si credidit, cogitavitque Buddeus, non habuit, quod nostras metueret ferulas. Itaque pone, si placet, iras! Ceterum uno verbo hic moneo, quæ §. tuo 7. *longe ineptissima* tibi videntur, si quis Grammaticam Synecdochen esse dixerit, ea paullo longius, quam tu putas, ab ineptia abesse. Nam illa, quam Grammaticam nos vocamus, cujusque exemplum est: *Os humerosque DEO similis*, significat sane, id quod totum dicitur, de parte capiendum esse. Ceterum *quartus* seu *accusationis casus* utique ad verba cœnæ domini non pertinet.

§. 10. Redeo ad §. Viti sextum. Ubi B. *Brentio teste, Synecdochen Rhetoricam*, & eam quidem *veri nominis tropum* demonstraturus est. Hic te nollem scripsisse Vite! *Dignissima illius*, Brentii, *verba sunt, quibus hic adscriptis Lutherana cervicalia ad ἀχρυξιαν redigatur.* Quid ergo? *tropumne veri nominis* dixit Brentius? Falsum, nam apparet non dixisse, immo tropo veri nominis, quem *Carolostadianus spiritus* voluit, qui *privet fidem suis bonis*, Synecdochen hanc opponit. Dixitne hanc *Synecdochen rhetoricam*? Non dixit, ut unumquemque facile oculi docent. Cui bono ergo Vitus, qui probaturus erat, Brentium fassum esse Synecdochen in verbis sacræ esse 1) *rhetoricam*,

2) *veri*

2) *veri nominis tropum*, locum recitarit, in quo neutrum exſtet; ego pro Lutherano, quo utor, ingenio, craſſo illo ac pingui, me fateor haud capere. Pleniorem laudaſti locum Brentii in Vindiciis tuis p. 75. ſed nec dum ſatis plenum. Tu ex edit. Hageno. 1533. vel 1534. nam in Apologia prior, in Vindic. poſterior annus eſt, recitas verba Brentii. Meus liber eſt editus Hagenoæ 1528. Ceterum paginarum numerus tuo reſpondet codici; idem liber & an. 1530. editus eſt, teſte Haupt-Vertheidigung des Aug-Apfels p. 570. ed. 1673. Sed cur quæſo omiſiſti p. *Vindic.* 75. poſt verba: *rem ipſam & veritatem*, quæ Brentius ſubdidit: *Proinde, ne fidei, propter quam Dominus ſacramenta dedit, voto non ſatisfiat, omnino neceſſarium eſt, ut per ſacramenta, non ſolum vacua ſigna dentur, ſed etiam rerum veritas, qua ſola, fides contenta ſit.* Vindic. pag. 76. poſt *Caroloſtadiani* deeſt vox *Spiritus*, operarum, ut puto, errore; poſt *fidei noſtræ corpus donatur*, deeſt: *ac diſtribuitur.* Ex hoc ergo loco, Vite Clariſſime! ad ἀγρυξίαν redacturus Lutheranos eras? Addis Vindic. p. 78. *totum te hunc locum eo lubentius adſcripſiſſe, ut intelligant*, Lutherani, *quam prope tum temporis à Reformatis abfuerit Brentius*, quin contendis, *Lutheranos ipſos haud negaturos exiguum intereſſe inter Brentii Reformatorumque ſententiam.* Nimirum tantum abfuit Brentii ſententia à veſtra, quantum ab *umbra res*, à *ſignificatione*, *corpus*, differt. Neque eſt,

quod

quod vitio nostratium aliquis, uti quidem factum ab aliquibus novi, Brentio vertat, quod *fidei donari corpus Christi ac distribui* docet, nam neque negavit ore accipi, neque negare potuit, cum *per panem* donari distribuique dixit. Mihi vero, mi Vite! non videris Brentii hanc exegesin magno studio legisse, cum credere possis tum beatum virum parum à tua sententia abfuisse. Idem Brentius in cap. XVI. Johan. p. 277. a. ubi de verbis Christi: *abeo ad patrem*, agit: "Vide, quo" candore hi, qui in cœna dominica negant" veri corporis & veri sanguinis Christi distri-" butionem fieri, hunc locum pro suo com-" mento probando citent: ajunt enim, si ex-" pediit, ut Christus corpore abiret, quomo-" do potest corpore præsens esse? Aut, si" præsens est corpore, paracletus non est" præsens. Et, si cognovimus Christum se-" cundum carnem, nunc tamen non am-" plius novimus. At tu horum hominum" astutias probe cognosces, si hunc locum" pressius & penitius introspicias. Christus" enim non abit, ut non adsit porro, ut" prorsus corpore recedat; sed abit, ut præ-" sentius nobis adesse possit, una cum omni-" bus suis bonis." Ibidem p. 344. b. "Ita" & panis cœnæ dicitur esse corpus Christi," non commutatione panis in corpus, aut" imaginatione carnali corpusculi cujusdam" sub pane latentis, sed distributione & præ-"

senti"

„ ſenti exhibitione. Corpus enim Chriſti
„ pane cœnæ per verbum fidei noſtræ dona-
„ tur & diſtribuitur. Qui autem in cœna ex
„ *eſt*, *ſignificat*, aut ex *corpore*, *figuram corporis*, fa-
„ ciunt, præſentem corporis Chriſti diſtribu-
„ tionem à cœna auferunt. Errant igitur
„ vehementer & in Chriſti liberalitatem pec-
„ cant, niſi forte relinquant in cœna præſen-
„ tem corporis diſtributionem, ut hoc loco
„ velint, nolint, præſentem Spiritus S. dona-
„ tionem relinquere, tunc enim utcunque
„ poſſet ejusmodi expoſitio tolerari, nam
„ verum admodum eſt, corpus per panem
„ ſignificari, at non verum eſt ita ſignificari,
„ ut corpus præſenter fidei noſtræ non diſtri-
„ buatur. &c. " Hæc loca Brentii eo lu-
bentius integra deſcripſi, quo magis intereſt
lectoris in ipſo limine opuſculi obſervare,
qua oculorum acie utatur Vitus in contem-
plandis auctorum, quos laudat, locis. Nam
ut in aprico eſt, vehementer falli Cl. Vitum,
qui Brentium aliquando parum à Reforma-
tis abfuiſſe in argumento cœnæ perhibet:
ita non minus profecto apricabitur ἀβλεψία
diſputatoris noſtri, quando ad eam opellæ
partem perventum erit, ubi non ſolum in B.
Luthero, ſed in Form. Concordiæ quoque
conditoribus ceterisque fidei noſtræ docto-
ribus tot Supralapſarios videt, quot vix vidit
in Scriptura S. Gnoſticos Hammondus. Con-
vicia, quibus §. 7. clauditur, jam dixi me haud
morari.

§. 11. Pe-

§. 11. Pedem ad §. 8. Viti proferre tempus eſt. Hic negat Vir Clariſſimus, ſi vel maxime tam ſapiens ſit illa Synecdoche, quam ipſe credit eſſe ineptam, uti nos ea poſſe in explicandis verbis Chriſti: Nam, cum à Luthero Brentioque ac aliis ita exponantur: *Hic panis eſt corpus meum*; pars autem de parte in Synecdoche dici nequeat, ſed vel pars de toto, vel totum de parte; exulare Synecdochen alioque opus eſſe tropo. Paucis hic reſpondeo, quod idem argumentum in Vindiciis recurret, me probare quidem hanc dicendi formulam: *Panis eſt corpus Chriſti; Vinum*, ſive *poculum*, *eſt ſanguis Chriſti*; ob ſacramentalem harum rerum unionem, ſed ipſam Chriſti phraſin hanc non eſſe, atque τȣ̃το potius totum illud, quod à Chriſto porrigitur, ſignificare, cujus potior pars, (qua voce utor, cum commodior non occurrat) corpus Chriſti & eſt & dicitur. Atque ita habemus ſane illam ſive Rhetoricam ſive Grammaticam Synecdochen. Sed & illis alteris, qui Chriſti phraſin ita explicant: *Panis eſt corpus meum*, quique ipſa re à me plane non diſſentiunt, licet Synecdoche uti. Neque enim *panem ſolum*, ſed, prout vel eſt, vel fit communicatio corporis Chriſti, intelligunt, adeoque non partem de parte, ſed partem de toto alterius partis nomine appellato prædicari ajunt. In notis huic paragrapho ſubjectis perſuadere nobis ſatagit, *Joh. VI.*

eandem occurrere phrasin, quæ in constitutione cœnæ, sed ingenio, quo utor, crasso, non possum hoc videre. Certe phrasis: *Hoc est corpus meum*, *Joh. VI.* non extat. Et cum Christus sanctissimis ceremoniis testamentum hoc suum condiderit, atque Paullus in repetenda sanctissima institutione non ad ea, quæ *Joh. VI.* narrantur, sed quæ in nocte, qua proditus est Christus, accidere, ableget, frustra operam sumet, qui nos credere jubet, eandem *Joh. VI.* & institutionis cœnæ mentem, eundem sensum esse. Porro ista nota Vitus negat quidquam, cum in communi hominum vita, tum maxime per scripturam sacram totam esse posse cumulatius, quam significationem suam, h. e. Reformatorum, quam tuentur in verbis Christi; Lutheranæ vero ait, nullam unquam usquam toto coelo terraque exemplum exstare. Quod primo loco dicis, Vite! vellem exemplis confirmasses. Tu contendis nihil esse cumulatius, quam istam significationem verborum Christi? Prome quæso, non cumulata, sed unum exemplum alicujus, qui, cum vellet alteri memoriam sui tropica locutione commmendare, dixerit: *Comede corpus meum; bibe sanguinem meum!* Alterum vero, quod perhibes, grata mente agnosco. Lutheranæ significationis, hoc est, quam nos tuemur in verbis Christi quærendam, nullum aliud usquam haberi exemplum; nam *una*

sacra

ſacra cœna inſtituta eſt à ſolo Chriſto, neque præterea à quoquam, ut adeo, cum aliunde verborum in hac ſola cauſſa dictorum interpretatio tropica peti nequeat, id credendum ſit pia mente, quod verba per ſe volunt. Tantumque abeſt, ut ex *Joh. VI.* explicanda ſint inſtitutionis verba, ut contra, niſi ſucceſſiſſet hujus ſanctiſſimi Sacramenti inſtitutio, intelligentia tropi, qui *Joh. VI.* habetur, ut alias plane inſoliti, vel nulla diſcipulis eſſe potuerit vel ſaltem difficillima; neque ſane negandum compluſcula verba Chriſti Apoſtolis aliquanto poſtquam dicta ſunt, demum recte intellecta eſſe. Inclementius Vitus noſter *deſipere* Lutheranos ait, ſi *familiarem* ejusmodi *diſcipulis tropum obſcuriorem finxerint, quam monſtroſam inſolentiſſimamque ſignificationem, cujus ipſi ſe nullam ideam habere ſponte largiuntur.* Ad vocem deſipere, nihil obſervo, nam te quidem talem video, ut ſapientiæ magiſtris aliis uti, magis è re videatur, *monſtroſam* quod noſtram appellas mentem, quæ certe Chriſti eſt, DEUM precor, ut velit ignorantiæ tuæ condonare, *Luc. XXIII.* 34. *inſolentiſſimam* eſſe fateor, nam extra cœnæ S. negotium non habetur, huicque adeo propria eſt. Quis vero ille noſtratium eſt Vite! qui largitus tibi ſit ſe nullam habere ideam interpretationis noſtræ? Habemus ſane ideam ut ceterorum myſteriorum, *quid* nempe credamus, intelligimus, at, *qua ratione* id ipſum fiat,

pie negamus capere nos adhuc poſſe. De inſolenti verborum ſignificatione, ſi fuiſſet Chriſti ea mens, monendos ais diſcipulos fuiſſe; ſed vir clariſſime! moniti ſunt, nam ut omittam reliqua, Chriſtus ſe dicit *novi teſtamenti* calicem diſcipulis porrigere; Contendis ſimiles locutiones illi, quam tu vis, *Gen. XVII.* & *Exod. XII.* haberi, non indicato commate, itaque de illis capitibus toties alibi excuſſis, jam non eſt agere animus. In voce *calicis* metonymiam *quis* negat?

§. 12. Totus tuus §. 9. ita ab argumenti ſanctitate, à gravitate hominis Theologi, à civili quoque modeſtia ac verecundia alienus eſt, ut neſciam, an quidquam magis. Poſtquam diu ſatis cavillatus es, quaſi re bene geſta, *quibus*, inquis, *quid Lutherani reſpondeant, ipſi viderint.* Tuis vero, hic, Vite! cavillis nihil reſpondemus; ſi qui ſint, qui doceri placide velint, cur tropus e. g. in verbis Chriſti *Joh. XV.* 1. *Ego ſum vitis*, admittendus ſit, in verbis: *Hoc eſt corpus meum*; non admittendus? iis reſpondemus: Tropus per ſe obſcuriſſimus, & cum ſemel adhibitus ſit *Joh. VI.* non intelligendus, niſi ſucceſſiſſet inſtitutio cœnæ, 1) rem aufert, quam Chriſtus condiderit accipiendam, & ſubſtituit figuram rei, quæ dudum fuerat, & luculentior quidem quam hæc, ſi eſſet figura; nam *agnus* longe fuit melior figura, quam *panis* eſſe poteſt *humani corporis figura.* Ipſe vero Chriſtus negat

negat ſe denuo inſtituere figuram, cum appellat *Novum Teſtamentum*. 2) Quatuor θεόπνευστοι Viri, & Paulus maxime ſe rem graviſſimam proponere præfatus, nihil omnino de tropica ſignificatione habent, in recitandis his verbis tenaciſſimè concordes, cum in aliis non iisdem ſyllabis vocibusque utantur. 3) Cum 1 *Cor. X.* 16. *panis ſit participatio corporis Chriſti*, neceſſe eſt aliquam non intelligibilem ſane nobis, ſed veram, eſſe panis cum corpore Chriſti conjunctionem, non ſolum ejusdem corporis cum fide: de vino & ſanguine Chriſti idem dicendum eſſe, patet. 4) Quia indigni hoſpites, Apoſtolo teſte, 1 *Cor. XI.* 27. *rei fiunt corporis & ſanguinis Domini*. Poſſent vero ſignorum tantum, forte & ipſius Chriſti contemti, rei haberi, ſi tropus ille obtineret, nam nemo, qui ſtatuam principis male habuit, *corpus* principis læſiſſe dicitur, tametſi principem violaſſe, fortaſſe dici poteſt. Inde liquet, indignos quoque accepiſſe corpus & ſanguinem Domini, quod, cum fide, qua carent, non ſit factum, reliquum eſt dari comeſtionem corporis Chriſti, quæ ore fit, ſacramentalem. Hæc equidem ſuo argumento non nunc demum expoſita eſſe, neque ignoro infinitis voluminibus contra diſputaſſe Reformatos, hisque non minus magnis libris reſponſum à Noſtratibus eſſe: ſed omiſſis omnibus diſceptationibus, in his, quæ poſui, fidei noſtræ

rationibus, per DEI gratiam, conquiesco. Pro stulto insanoque haberi, à Vito Vitique similibus, tanti non est.

§. 13. Decimo paragrapho Vitus, postquam *tropo* aliquo, Synecdoche nempe, uti placuit Lutheranis, parum referre putat, si hujus Synecdoches loco *metaphora* aliqua *metonymica* substituatur. Quod nisi facere velimus, *hellebori multo parte maxima opus nobis esse*, dictitat. Mihi, cum de Synecdoche jam dixerim, etsi infra quoque recurret idem argumentum, non esse veri nominis tropum; ceteris vero durissime dictis constitutum sit nihil regerere, ad alia progredi consultius videtur.

§. 14. Alterum de quo nobis cum Reformatis dissensio est, si Vito credimus, hoc est: *An homo, antequam regeneretur, in peccatis vere sit mortuus?* Cum non ignoret dici à nobis vere mortuum, eo procedit, ut neget mortuum esse, *nisi qui nihil possit admittendo, respuendoque gratiam.* At quia similitudinem hominis irregeniti cum cadavere non per omnia bonum esse palam est, longeque alia in *respuenda* gratia, hominis ratio est quam cadaveris: nimis festinanter Vitus gratiam particularem irresistibilemque & prædestinationem absolutam colligit. Vir doctissimus, in nostris autem libris symbolicis, parum oculatus, jubet nos, cum istis libris serio credere, hominem naturalem esse in peccatis vere mortuum

tuum. Quod ubi crediderimus, pacem illico esse confectam. Falso, nam in ipso opere videbimus, mentem Patrum nostrorum, quin ipsa clarissima verba hoc velle, *cadaveri in eo similes esse non-renatos, quod nihil pro se facere possint, longe dissimillimos, quod multa contra salutem suam facere queant.* Idem sibi Paullum, velle luculenter ex *Ephes. II.* 1. 3. patet. Ubi *mortui in peccatis voluntatem carnis & rationis facere* dicuntur, *carnis* autem *voluntas* est, *reluctari Spiritui. Gal. V.* 17. Quid ratio sibi relicta faciat, Apostolus 2 *Cor. X.* 5. explicat. De b. Buddei verbis §. 11. merito laudatis hoc monendum duxi; cum dicit: *Non magis itaque non renato homini integrum est, in Spiritualibus quidquam agere, vel non agere, quam mortuo ambulare & non ambulare;* in mentem optimo viro non venit, negare facultatem resistendi gratiæ, sed negat in homine non renato *libertatem* esse, quam rectissime Buddeus in *indifferentia* ponit, ceu infra argumentis plane invictis demonstrabitur, negat, inquam facultatem eligendi, velitne agere, an non agere? Quæ quamvis clara sint, ne tamen, ut alia multa, in transversum rapiantur, haud ab re fuerit observasse.

§. 15. Paragrapho 13. Vitus *obscurissimum ingenium Lutheranorum, qui talpis magis cæcutiant,* in fratribus, quos putat, dolere videtur. Sed ista quidem prætereo, de re vero, an Semipelagiani & Synergistæ sint, qui doceant

posse hominem gratiæ resistere, quod tu ais, ego nego, alibi abunde docendi locus erit commodior, ubi simul intelliges, Vite! nec *pertinaciter*, nisi constantiam in bono vis esse *pertinaciam*, nec *ineptè* utrumque à nobis doceri: nullas habere in Spiritualibus vires hominem irregenitum, quibus juvetur, & habere, quibus sibi obsit.

§. 16. Non sane mediocriter doleo viros præstantissimos S. F. Cyprianum, & V. E. Lœscherum, à viro ipsorum minime simili, indignis modis lacerari, quod à te, Vite! §. 14. factum est; sed reprimo me. Ceterum, quæ extremo hoc paragrapho præfationis tuæ habentur, non sunt eadem omnia responsione tollenda; cum diversi sint generis. Primum nos demonstrare jubes, *eos non delirare, qui vere mortuum hominem tueantur posse se ad vitam recipiendam præparare*; Cur ita duram legem statuis, ut *delirare* dicamus illos Semi-Pelagianos, quorum tu alibi negas erroribus fidei fundamentum everti? *Errare* ergo illos qui hæc componunt: mortuum hominem dici posse & facultatem habere sese ad vitam præparandi, demonstrabimus oblata occasione, ut jubes. Idem de illis dicemus, qui *posse hominem irregenitum mediis salutis recte uti*, suis nempe viribus, contendunt. Sed ejusdem *erroris*, quin *delirii*, condemnatos vis, qui docent, *posse non renatum medicinæ resistere, & non resistere*; hoc, si illi boni viri ponant

natu-

naturalem averſionem veritatis, quæ in nobis eſt, gratia præveniente ſublatam, atque adeo voluntariam repugnantiam intelligant, nolumus facere; hos enim rectiſſime ſentire indubia ſunt Scripturæ teſtimonia. At, quod poſtremo loco eos nobis offers redarguendos, qui ajunt *poſſe hominem agere aliquid aut non agere, quo ejus ex morte reſuſcitatio promoveatur, poſſe efficere, ut præ aliis in vitam revocetur*, in eo obſequentes tibi erimus, tametſi enim vulgo ſed minus accurate, *promovere* dicitur rem, qui non impedit: nolim tamen dici promovere eum diei ortum, qui valvas feneſtræ, quas potuiſſet claudere, non clauſit diemque adeo admiſit, vel potius, nam voce *admittendi* non utor libenter, non impedivit in hypocauſto ſuo. Cetera gravia, quibus præfationi tuæ, Vite Clariſſime! Colophonem imponis, conſtitutum eſt prætermittere.

RESPONSIONIS ad Præfationem Clariſſimi Viti FINIS.

Ad

APOLOGIAM
Synodi Dordrac.
V. C. Stephani Viti,
Reſponſio.

§. I.

COnteſtati litem eſſe videntur in egregia ſua *Conſultatione* Vir S. Rev. *Joh. Laurent. Mosheimius*, atque in *Apologia* ſua Vir Clar. *Stephanus Vitus*. Tria *ille* argumenta conſtituit, unde ſequatur, niſi autoritas, quam adhuc habuit apud Reformatos, Synodo iſti abrogetur, pacem ſtabiliri inter nos Reformatosque non poſſe. *Hic* argumenta & nulla eſſe & contraria omnia longe veriora mira confidentia perhibet. Noſtra intereſt, ſi qua ſint, quæ ad doctiſſimum Moshemium ſolum pertinere videantur, quæ forte pauciſſima erunt, ipſi intacta relinqui. Sed quæ Evangelicam, communem omnium cauſſam tangunt, excutiam; abſtergam maculam, qua ſanctiſſimam fidem noſtram auſu incredibili Vitus conatus

conatus eſt polluere; purgabo me meosque in fide ſocios perjurii; & data quaque occaſione oſtendam non ita effugere Reformatos poſſe, ut nos calumnias facile refellimus.

§. 2. Doctiſſimus Moshemius primum argumentum, quo demonſtraret nobis non licere fraternitatis dextram Reformatis, rebus ſic ſtantibus, porrigere, rectiſſime iſtud poſuit: quod per *Arminianorum* latus noſtra fides acerrime ſit à *Patribus Dordracenis* condemnata. Vitus ergo pag. 3. oſtendere conatur 1) *illos quinque articulos Remonſtrantium*, non ſimpliciter ſed eo ſenſu tantum à Synodo rejectos eſſe, *quo ipſi Lutherani non poſſint non exiſtimare rejiciendos eſſe.* 2) Docere vult Moshemium hoc argumento ſuæ ipſius eccleſiæ dogmatibus iniquum eſſe. 3) Moshemium ſibimet ipſum contradixiſſe. Primum *aſſertum* ſuum Vitus p. 3. ſequ. ita probat: Remonſtrantes tergiverſatos, quid ſentirent, dicere noluiſſe, atque adeo coactos Patres Synodi è ſcriptis publice proſtantibus tum & ſermonibus verum ſenſum propoſitionum iſtarum colligere, atque hinc patere, Dordraci non eo ſenſu, quem literæ vocesque ferre videntur, articulos damnatos eſſe, ſed ex Arminianorum mente, quæ qui non dixerit patere, eum Vitus *nihil ſentire* exiſtimat. Hic operæ pretium eſt obſervaſſe, quam incautè Vitus cauſſam ſuam agat. Facile vides Lector! ſi famoſorum quinque

articulorum explicationem deinde in Synodo condemnatam Remonſtrantes ipſimet obtuliſſent, tum locum fuiſſe ſuſpicioni, callide homines egiſſe, ambiguis verbis latere conari, mentem ipſorum potius improbum quam verba aliquo ſenſu toleranda ſpectari oportere: At, cum alia omnia acciderint, cum doctiſſimis hominibus à Synodo negotium datum ſit, colligendi è ſcriptis Remonſtrantium theſes, unde mens ipſorum, quam poſſet fieri clariſſime, cognoſceretur, quis credet maximo ſtudio eas eſſe collectas, quæ ſuis verbis literisque non Arminianorum, quos jugulaturi erant; ſed neſcio quorum, dogma prodant. Tantis hic ſe Vitus laqueis induit, ut quo magis conabitur elabi, eo arctius conſtringatur. Nam neque cum inſtituto neque prudentia eruditorum hominum temere componi poteſt, corroſas articulorum explicationes eſſe, quæ adverſariorum ſententiam non clare referant. At, ſi referunt, quid negat Vir Clariſſimus eo ſenſu in Synodo damnatos articulos eſſe, quem literæ vocesque ferre videantur. Maxime, cum Vitus ipſe p. 8. moneat non ipſa articulorum verba, ſed Arminianum ſenſum in rejectione *expreſſum eſſe.* Utut ſit de ſpe, à Feſto Hommio, Arminianis facta, pacis & concordiæ, ſi in nullis articulis, quam in illis de prædeſtinatione annexisque eis capitibus diſſentirent. Quid ad nos attinet disquirere,

rere, quid hic illeve fieri fortaſſe potuiſſe dixerit, quando, quid factum ſit, conſtat, ea verba proſcripta eſſe, quibus noſtri utuntur.

§. 3. Facili opera demonſtratur, non ſolum errores Pelagianos Remonſtrantium, cum quibus nihil nobis commune eſt, ſed ipſam veritatem evangelicam verbis minime ambiguis Dordraci rejectam eſſe. Recitavit jam doctiſſimus Moshemius conſultat. p. 17. ea, quibus quid vel reſponderit, vel reſpondere poſſit Vitus, haud intelligo. Ita ergo Batavi Septentrionem ſpectantes: *Ex quibus*, inquiunt, *omnibus liquere arbitramur, hunc ſecundum articulum* (nempe Chriſtum pro omnibus eſſe mortuum;) *ſive is ſimpliciter conſideretur PROUT JACET, ſeu prout Remonſtrantes in collatione Hagienſi eam exponunt, continere multa heterodoxa, aperte falſa, inter ſe, & cum ſacris literis è diametro pugnantia dogmata, DEI gloriæ adverſa, pietati ſalutique hominum noxia. Quæ in eccleſiis Reformatis & iis præſertim, qui eccleſiaſtico aliquo munere funguntur, tolerari nullo modo debent.* Cetera, quæ ibidem Moshemius laudavit teſtimonia operæ pretium erit apud ipſum legiſſe. Ipſi autem canones Dordraceni ita clare, ut clarius nihil eſſe poſſit, noſtram ſententiam vexant. In capite I. de divina prædeſtinat. expoſita doctrina orthodoxa, quæ illis videbatur, de electione & reprobatione, Synodus rejecit hunc quaſi octavum errorem eorum, *qui docent: DEUM neminem*

ex

ex mera justa sua voluntate decrevisse in lapsu Adæ & in communi peccati & damnationis statu relinquere, aut in gratiæ ad fidem & conversionem necessariæ communicatione præterire. Hoc vero nos, ita ut verba jacent, credimus & confitemur. Porro *cap.* 3. & 4. *de corruptione & convers. hominis, eorum*, ut ipsis videtur, error octavo loco ponitur: *Qui docent DEUM in hominis regeneratione eus omnipotentiæ suæ vires non adhibere, quibus voluntatem ejus ad fidem & conversionem potenter & INFALLIBILITER flectat, sed positis omnibus gratiæ operationibus, quibus DEUS ad hominem convertendum utitur, hominem tamen DEO & Spiritui regenerationem ejus intendenti & regenerare ipsum volenti, ita posse resistere, ut sui regenerationem prorsus impediat.* Scio, sequi aliqua, quæ ad nos non pertinent, nempe: *atque adeo in ipsius manere potestate, ut regeneretur vel non regeneretur.* Hæc postrema sapere Pelagiani aliquid videntur, sed superiora omnia, quæ per se sensum absolvunt, ipsissimam nostram continent sententiam, rejecta autem sunt à Dordracenis patribus. *Cap. V. de perseverantia Sanctorum*, quasi *tertius error* proscribitur, *eorum: Qui docent, vere credentes & regenitos non tantum posse à fide justificante, item gratia & salute totaliter & finaliter excidere, sed etiam re ipsa non raro ex iis excidere, atque in æternum perire.* Quod ipsum & verum esse & à nobis doceri profitemur. Quæ cum ita sint, Vitus tamen negat Dordraci nostram doctrinam proscri-

ptam

ptam esse, sed & *septimo octavoque errore*, manifesto nos petit, saltem tangit Synodus, quæ omnia exscribi minus esse ex usu arbitror.

§. 4. Quicquid p. 6. 7. de versutia Remonstrantium à Vito disputatur, mea nihil refert. Hoc vero, doctissime Vite! non oportuit p. 7. scribi, te in Moshemio vel diligentiam, vel acumen vel candorem desiderare, quod non viderit errores Arminianos in nullo alio, quam Pelagiano sensu damnatos esse. Noli, obsecro, negare, quæ clarissima sunt, ac præcedente paragrapho exposita, ita si pergis, iniquissima est adversus te disputandi conditio. Porro, qui scribere potuisti p. 3. & sæpius, eo sensu rejectos esse articulos Remonstrantium, *quo etiam Lutherani non possint non existimare rejiciendos esse.* Nam, cum constet te inter *veteres illos Ante-Hunnianos, & hodiernos Hunnianos*, male quidem & sine ratione, sed sæpe, distinguere; utros hic intelligis? Veteres, etsi tam sentirent cum tuis Reformatis, quam non sensisse deinde liquido evincam, tuam, quam promittis demonstrationem, audire legereve jam non possunt. Hodierni autem tantum abest, ut suam sententiam Dordraci non rejectam esse credant, ut, qui tibi hoc in mentem venire potuerit, mirentur. Quod doctiss. Moshemius pag. 48. consultationis suæ demonstrari à vestratibus voluit, nulla ratione demonstrasti, *nam Christum omnium omnino hominum*

num loco mortuum esse, & doceri à nobis, & Dordracenos inficiatos esse, quis ex adhuc dictis non videt? p. 8. contendit Vitus, Arminium & sequaces haud procul à Socinianis abfuisse; De hoc ipsi viderint, quando ad me nihil attinet, ex ipso Arminio, & confessione ab Episcopio scripta, unde par esse videtur eorum doctrinam judicari, vereor, ut facile Vito sit, verbis suis fidem facere. pag. 9. Moshemium Vitus suo ipsius gladio sane quam infeliciter jugulare vult, nam hujus verba repetit: *Certum est, eos, qui cum illis amicitiam colunt, ex quorum placitis aliquid in sanctissimum Numen injuriæ redundat, pro veris fratribus haberi non posse.* Præclare hæc Moshemius. Sed quid obsecro tuam juvant caussam? Neque enim nos Arminianos in fratribus censemus, at doctrinam de universali merito Christi, quam & illi professi nobiscum sunt, quæque nihil erroris Pelagiani continet, dolemus obelo confixam esse. Sint ergo Arminiani comprivigni Socinianorum, nobis defensoribus non poterunt, fortasse nec volent, uti! Sanctissima veritas de universali merito Christi non est Sociniana.

§. 5. Frustra Cl. Vitus à pag. 11. usque 16. docet Arminianos Pelagiana dogmata fovere, neque enim quisquam nostratium dubitat. Cui bono, optime Vite! tantæ ambages? Si Turcæ essent illi Arminiani vel Turcis etiam pejores, nos tamen indigne ferremus

mus in illis ea damnari, quæ præeunte Scriptura, cum illis docemus & credimus. Nemo apud nos ideo negabit fide nos salvari, quod Arminiani fidei naturam male explicant. Quemadmodum neç aurum argentumve ideo contemtui est, quod æque à male olente Judæo, ac in nobis possidetur.

§. 6. Moshemium Vitus p. 17. docere conatur, cum quæ Lutheranorum, tum quæ Arminianorum propria dogmata sint? sed te quidem, hac in re, doctore, Vir Clarissime! facile caremus. Arminianorum errores & norunt nostrates & jugularunt feliciter, idque non opus habet à quoquam Moshemius doceri. Ceterum, cum nemo facile malæ fidei, nisi res sit manifestissima, me judice, damnandus sit, ita tamen hac pagina versaris, ut verear, ne gravius de te suspicentur nonnulli. Ais, *Moshemium negare: Remonstrantium doctrinam à Lutheranis nimis abhorrere* §. 6. & affirmare: *Remonstrantium doctrinam cum Lutherana prope consentire.* §. 7. *omnia alia autem visu fuisse, cum aliis Lutheranis doctissimis, tum Celeb. Buddeo.* Clericus, vir optime, hæc quæ ita temere disseris, in argumentis ab invidia ductis censuisset. Nosti, Vite! Moshemium provide doctrinam Remonstrantium NB. *quinque illis articulis inclusam* §. 6. non nimis abhorrere à nostra, dicere. & §. 7. *quinque illos articulos*, cum nostra prope doctrina consentientes fateri. Cur placuit tibi hæc dissimulare.

mulare. Vix enim, qui tua legit, aliam mentem credit, quam *doctrinam Arminianorum in genere* Moshemio ita placuisse, à qua vir præstantissimus longissime abest, gratis adeo fingis in alia omnia vel B. Buddeum, vel quemquam nostratium abire. Hoccine agis Vite! ut nihil tibi credamus? Quæ pag. 18--20. fuse disputas Lutheranos & ipsum corpus Julium obstitisse illis Pelagianis erroribus, Arminianorum, e. g. *fidem esse rem liberi arbitrii*, quorsum, precor te! pertinent? Nam hæc vel sine te monitore & scimus & credimus, nec latum unguem discedimus. Nostri non intercedunt, quin Dordraceni, & quicunque velint, Pelagianum sensum Arminianorum damnent & proscribant, nunquam magis abhorrebunt, quam quidem ipsi nos abhorremus. Tuum est monstrare cur ea damnata sint, quæ §. 3. recensui, quæ ut jacent & à quovis bono interprete accipi possunt, nihil minus quam Pelagiana sunt? Hem quam frigide ais, Moshemium necesse esse vel perjurum se fateri, quod ea in Arminianis probet, quæ ut Pelagiana in corpore Julio rejecta sunt, vel argumentum suum nullum esse, quo per Arminianorum latus, Lutheranos petitos esse contenderit. Utinam cum lolio optimum triticum evellendum esse non judicassetis! *Accusatoriè*, quæ tua, Clar. Vite! vox est, p. 20. ita loqueris, quasi in *fidei suæ fratribus* Moshemius Arminianos habeat, & hac

hac ratione Pelagianos quoque Socinianos, Epicuræos, Manichæos, Atheos in eandem fraternitatem recipiendos ais. Sed dici non poteſt, Vite! quam parum iſthæc te deceant. Quid Moshemio, quid nobis omnibus cum Arminianis? quos nemo noſtrûm fidei fratres dixit, ſed in illis damnari cum erroribus haud excuſandis ea quoque, in quibus veriſſimi ſunt, tam indigna res eſt, quam, ſi quis nolit *bis duo quatuor* haberi, quod ab Atheo idem dici comperiſſet. Eodem numero locoque cenſenda ſunt, quæ p. 21. diſputas: Si Moshemius eo nomine tantopere Arminianis faveat, quod ſanum tamen aliquem ſenſum admittant iſti quinque articuli, gratulandum hæreticis omnibus eſſe de erudito patrono Moshemio, facile enim omnes generalioribus phraſibus tegi. Usque adeo Vite! placet cavillari? Et conſtat, & obſervatum à Te eſt, ipſa verba quinque articulorum non eſſe à Synodo proſcripta, quamquam Batavos, eos, ita ut jacent, damnatos voluiſſe, ſupra demonſtratum eſt. Quæ cum ita ſint, Patresque Dordraceni ſuis verbis §. 3. à me recitatis, quæ non eſt, quod generalia dicas vel ambigua, noſtram doctrinam proſcripſerint, neque Arminianis, neque hæreticis quibuscunque patrocinamur, ſed damnatos nosmet eſſe & miramur & merito conquerimur.

§. 7. Pag. 22. *Id unum*, inquit, *tueor, nisi eodem modo Lutherani, si quando opus illis esset, in Arminianorum caussa & cognoscenda & damnanda versarentur, quo nostros patres versatos constat, eos perjuros futuros publicæ suæ fidei desertores proditoresque.* Quales in cognoscenda caussa Arminianorum, patres illi tui fuerint, nolim definire, nam licet ingens illud volumen *epistolarum Remonstrantium*, quod abhinc aliquot annis perlegi integrum, Halesii etiam à Moshemio editæ epistolæ & Acta Synodi à Remonstrantibus publicata facile alicui persuadeant, non ubique id actum, quod agi debuit, vix tamen dubito, habere & Reformatos quæ his opponant, inter quos me judicem sedere nec fas, nec opus est. At in *damnanda caussa* faxit Deus, ne unquam nostrates tuos patres imitentur, ita enim sanctissima dogmata cum zizaniis abjicerentur.

§. 8. Monuerat p. 11. Consultat. Moshemius non solum Germanicos, præcipue Helvetios Reformatos ambire solere Britannorum favorem, cum non ignorent, majorem digunioremque Britannicæ ecclesiæ partem hodie cum Arminianis sentire: sed & Jurieum atque Strimesium ita leniter de Arminianis judicasse, ut negent eorum sententiam penitus Dordraci proscriptam esse, sed hoc modo actum, ne publice ista dogmata populo exponantur, ceterum privatim salva ecclesiæ unitate posse suis quemque

opi-

opinionibus frui. Ad hæc Moshemii quid ſibi velit Viti reſponſio, p. 22. non ſatis capio. Ceterum noſter hic videtur conſilii inops eſſe, p. 16. autem ſatis clare præ ſe tulerat, Arminianis, ſi per ipſum ſtet, dextram fraternitatis porrigi non poſſe. In hoc adſtipulor Vito, quod Britannorum Arminianiſmum ad Lutheranos non attinere putat.

§. 9. Pag. 23. §. 5. fatetur Dordracenos *ita interdum verſatos eſſe, ut Lutherani fratres eorum verba ad ſe pertinere exiſtimare poſſint.* Bene hæc dicis Vite! melius etiam dixiſſes: non poſſe non ita Lutheranos exiſtimare. Sed attende lector! quid ſubjiciat Vitus. *Verum enim vero, quoniam patribus noſtris res tantum eſt cum Arminianis & ſæpe accidit, ut iisdem verbis uſi diverſiſſima tamen ſentiant, idemque error ob diverſam rationem in aliis ferri in aliis ferri non poſſit: eundem errorem rejicere noſtra Synodus in Arminianis potuit, quem nos in Lutheranis tanto facilius ferimus, quod iſti, quicquid periculi ex ejusmodi errore naſcitur, eo redimant, quod homini in peccatis mortuo nullam circa ſpiritualia libertatem, gratiæ vero ſoli, quicquid in nobis eſt, tribuere videri velint.* Quin dic Vite! tuemurne eos errores, quos in Arminianis tui patres damnarent, an non tuemur? Si illud ſit, quid adhuc verba feciſti fruſtra, ut non damnatos eſſe noſtros aliquos errores, nobis perſuaderes? & quid vis tibi illa obſervatione: accidere ſæpe, ut, qui iisdem verbis utantur, diverſiſſima ſentiant?

tiant? Si hoc, cur ais, redimere nos errorem probiore aliqua thesi de homine in peccatis mortuo, nam si nullus est in nobis à Synodo rejectus error, quid opus fuit eum redimi? Porro, quam non conveniunt cum gravitate Theologica & veritatis amore tua verba: *tribuere videri velint.* An, qui tantum *volunt videri* rectius sentire, excusatum reddunt, quod perperam docuerunt, modo alibi alia isti errori opposita sentire *videri velint*? Jam nolo gravius quidquam dicere, quod nos *videri* tantum *velle* perhibes, qui maxime serio & re ipsa hominem naturalem in peccatis mortuum credimus.

§. 10. Eodem §. 5. p. 23. sapienter monet Vitus, *non omnem rejectionem errorum cum fidei fraternitate pugnare, nam & aliquos errores in fratribus rejici & simul tanquam non fundamentales ferri*, ut verba ejus in compendium mittam. Porro eam docet pacem quæri, qua Lutheranis integrum maneat sententias Reformatorum in *erroribus non-fundamentalibus* censere. Laudo pacis studium vir doctissime! Sed quantumvis crassuli mei Lutherani sunt, quibus tu p. 24. *contradictionum tenebras offusas*, perhibes. Vereor tamen, ne non patiantur sibi persuaderi, ex usu esse tuum sequi consilium. Nam ut demus certum esse, nunquam fore, ut errores nostros, qui vobis videntur, capitales habeatis, à nobis impetrare non possumus, quin ajamus everti

funda-

fundamentum fidei in eo, qui particulare Christi meritum & ad paucissimos homines pertinere, neque serio velle Deum plurimorum mortalium salutem contra tot asseverationes Scripturæ sacræ pertinaciter credit. Deinde vestigia nos terrent eorum, qui ob hæc saluberrima dogmata muneribus exuti, atque ejecti ex ecclesia sunt. Gravis sententia est, quam vel ex actis Synodi, vel ex Moshem. Consultat. p. 18. tecum expendas velim. *Omnes hujus doctrinæ, quæ & qualis sit* §. 3. vidimus, *authores & qui eandem Remonstrantium doctrinam amplectuntur, defendunt ac docent, ministerio submovendos esse, nec bona conscientia cum illis pacem coli, aut Syncretismum iniri sancirique posse, qui contra fundamentalem fidei doctrinam insurgunt ac errores amplectuntur.* Si quis dixerit, cum Arminianis, qui in eadem ecclesia adhuc fuissent, multumque turbæ partim dedissent, partim daturi fuissent, acrius agendum fuisse, nam fratres solere accuratius castigari; is arcebit nos à fraternitate, tantum abest, ut alliciat. Nam videtur melior conditio eorum, qui vestri fratres non sint, atque planum est facilioribus vobis nosmet usuros esse, si aliquanto remotiores maneamus.

§. 11. Porro, Vite clarissime! p. 24. apologiæ tuæ ita versatus es, ut, cum durioribus verbis uti nolim, hoc unum dicam, me plane obstupuisse. Tu nos sacramento san-

ctiſſimo libros noſtros Symbolicos tuentes audes & ignorantiæ rerum, quæ apud nos aguntur ſcribunturque, & perjurii, & cujus denique non maleficii accuſare, quam tibiam cum inflaris centies toto tuo opuſculo, caſtigandis utique eras graviter. Sed ego id nunc non ago. Quid vero audio? *Libri, quibus eccleſia Lutherana Symbolicis utitur, tum vero maxime tota antiqua eccleſia Lutherana eadem cum Synodo noſtra, Dordracena, etiam in iis ſenſit, quæ hodiernis Lutheranis probare hactenus nondum potuimus.* Quamquam Virum clariſſimum magis probabile eſt in iſta accuſatione veſtigia aliquot Majorum ſuorum v. c. Abrah. Sculteti, preſſiſſe, quam ut ipſum in noſtratium libris adeo verſatum credamus, ut multa, quæ fidem Reformatam ſapiant, in iis invenerit. Certum tamen majori confidentia ac minori veritatis ſpecie neminem unquam hæc talia aſſeruiſſe, quam Caſſellanus noſter Profeſſor fecit. Itaque recipio, ita, falſum in his omnibus Vitum eſſe, clare me demonſtraturum, ut ſupra vidimus in Brentio, quem de ſacra cœna, aliquando prope à Reformatis abfuiſſe crediderat, hallucinatum vehementer. Neſcio Vite! quid alterutrum noſtrum transvorſum agat, ut tu in Symbolicis noſtris & ceteris veterum Lutheranorum libris, ſaltem excerptis, mera Reformatorum dogmata, in Eraſmi atque Roffenſis libris, hodiernorum Lutheranorum placita offendas, ego, qui

for-

fortasse istos libros attentius studiosiusque legi, nihil videam. Ne lectorem meum diutius morer, bene est, quod illico p. 25. hujus tuæ mirabilis confidentiæ specimen extat. Namque ibi non modo intrepidè doces tueri libros nostros Symbolicos e. g. *gratiam particularem* & *irresistibilem*, sed ne fides verbis desit, V. articulum Conf. Aug. laudas. *Per verbum & Sacramentum tanquam per instrumentum donatur Spiritus Sanctus, qui fidem efficit, ubi & quando visum est Deo, in iis, qui audiunt Evangelium.* Itane videtur tibi, qui ait fidem gratia divina effici, illico *irresistibilem gratiam* intelligere, & *ubi & quando DEUS vult*, significare, *DEUM nolle sufficientia media gratiæ omnibus dare?* Quasi paterfamilias ideo alicui familiarium suorum prospectum nolit, quod; *ubi & quando ipse vult*, cibum vestesque distribuat. Non dememinimus verborum Salvatoris nostri *Joh. III, 8. Spiritus, ubi vult, flat*, sed nec illorum, *Matth. XI, 28. Venite ad me omnes.* Quorum similiumque locorum collatio docet, *velle DEUM omnes salvari* certo gratiæ ordine à se constituto liberrime, in quo quidem gradus gratiæ pro libertate dispensat, & *nolle* illos *salvari* extra illum à se constitutum ordinem. Divini Lutheri verba p. 25. laudata nostra lubentes facimus, majusculis literis exscribi curasti verba: *Non ubi nos volumus, sed ubi ipse vult.* Quasi quisquam nostrum hodie aliter loqueretur. Et cum

Syngrammate Suevico Lutheri præfatione ornato, una voce omnes affirmamus: *Dominum revelationem Spiritus verbi sibi soli reservare aperiendam cui & quando voluerit.* Sed restat quæstio de voluntate illa Dei, sitne absoluta irresistibilisque an minus? Hoc nos, vestrates illud, ajunt, neque adeo est, quod consensum jactites.

§. 12. Paralogismos Vitus noster tantum non ubique committit, qualis est p. 26. ubi ex eo, quod Augustana Confessio omne discrimen regenerandorum non ex nostra, sed ex Dei tantum voluntate, arcessit; quamquam hæc ipsa Aug. Confessionis verba non sunt, tametsi bono sensu verissima; secure colligit: *prædestinationem esse absolutam, neque omnes Deum velle regenitos, gratiæ virtutem non modo particularem sed irresistibilem quoque esse.* Nos vero omnes dicimus, solam munifici principis voluntatem inter duos mendicos discrimen fecisse, quorum alter in xenodochium honeste alendus recipitur, alter, mendicitatis amore, cum oblata eadem gratia esset, misere perit; nam nihil est, quod felicior ille sibi tribuat, sed neque ad illum unum gratia pertinuit, neque ita comparata fuit, quin exemplo socii & ipse beneficium istud repudiare potuerit. Hoc unum interest, quod mendicus in re civili & humana suis viribus velle & nolle potuit; homo irregenitus in spiritualibus *nolle* quidem suis viribus, at *velle*,

mini-

minime potuit. Verum obſervandum: vocatione divina hanc naturalem in homine reſiſtentiam tolli ſolere, ut adeo *velle* homo non naturalibus, quas hic nullas habet, ſed à Spiritu S. datis viribus velle poſſit.

§. 13. Eadem p. 26. Vitus, *non credo*, inquit, *negabunt, fratres πρῶτον ἀληθὲς καὶ ψεῦδος, quod illos à nobis diſtinguit, in eo potiſſimum verſari, quod nos cum Aug. Confeſſ. exiſtimemus, ex iis, qui audiunt Evangelium & omnes & ſolos illos fidem conſequi, in quibus ubi & quando DEUS fidem efficere voluerit.* Nos vero, Vite! hoc negamus, ſecus atque tu, qui nos craſſiſſimis uti ingeniis criminaris, putabas. Neque dixit Auguſt. Confeſſio *omnes & ſolos* illos fidem conſequi, neque, qui id dicit noſtræ confeſſionis ſocius eſt.

§. 14. Pag. 27. Vitus: *Ex noſtra ſententia futuros fideles à non fidelibus ſola divina voluntas diſtinguit, ex Lutheranorum vero ſola humana.* Sed iſta quidem, Vite! calumnia eſt, neque ulla reſponſione digna. Ceterum locus *Form. Concordiæ p.* 821. rectiſſimè ait falſum eſſe, ſi quis præter ſolam DEI miſericordiam & unicum ſanctiſſimi Chriſti meritum aliquam in nobis cauſſam electionis divinæ quærat: Fidem vero ſuperat acutiſſimum Vitum non vidiſſe, quantopere ſua ſententia hoc loco Formulæ Concordiæ juguletur, cum ſibi multam hic inveniſſe videatur. Nam Supralapſarius non eſt, qui electionis divinæ cauſſam Chriſti me-

ritum ponit; Supralapſarii enim, quod conſtat, decretum de mittendo Chriſto, alteri decreto, de ſalvandis aliquibus hominibus, poſtponunt. Deinde lubet quærere; ſi cauſſa ſit electionis meritum Chriſti, ſitne *prævifum conſideratumque* in electionis decreto? Si quis auſit negare, fatebitur DEUM in decernendo, ipſius decreti cauſſam non conſiderare. Supereſt, ut affirmes. Porro quæro: Illud prævifum conſideratumque Chriſti meritum, an ut applicatum per fidem & ſic conſideratum cauſſa eſt electionis? an ut nondum applicatum neque ita conſideratum? Poſterius dici non poteſt, quis enim credat eligendi hominis cauſſam aliquid eſſe, quod abeſſe ab illo homine conſideratur? itaque meritum Chriſti per fidem applicatum, atque ita in decreto divino conſideratum cauſſa eſt electionis noſtræ, atque hoc ipſum eſt, quod hodie dicimus, & à patribus noſtris didicimus: *elegiſſe DEUM homines intuitu prævifæ fidei.* Dices: Formulam Concord. tamen negare *quidquam in nobis* cauſſam eſſe electionis, fidem vero prævifam eſſe *aliquid in nobis.* Verum, quis non intelligit phraſi: *in nobis* doceri aliquid, quod in noſtris viribus eſt, non, quod ipſa divina gratia in nobis eſt, quale donum DEI fides eſt. Hinc Paulus, *Eph II.* 8. negat *è nobis* eſſe ſalutem, at ponit eodem commate *per fidem* eſſe. Quæ ad vexatum *cap. IX. epiſt. ad Rom.*

perti-

pertinent, paullo post ex instituto exponentur.

§. 15. Pag. 28. extrema Vitus ita instituit: *Neque dissimulant hodierni Lutherani, sed expressissimis verbis præ se ferunt, eadem misericordia DEUM omnes homines complecti, idem meritum Christi ad omnes pertinere.* Ita est, Vite! non dissimulamus, neque dissimularunt Formulæ Concordiæ præstantissimi autores, neque ipsa scriptura dissimulavit. Pergit Vitus: *omne vero hominum discrimen ab eo uno pendere, quod alii libere resistant, alii non resistant.* Hæc vellem, vir doctissime! paullo accuratius posuisses. Non dicimus, *alios LIBERE resistere, alios non resistere,* quæ verba aliquam libertatem & facultatem in spiritualibus suis viribus eligendi facile significant. Sed, ut jam explicatum est, *resistendi* facultatem homo per se habet, *non resistendi* naturali & à corruptione naturæ veniente resistentia, non habet, sed præventus gratia divina jam hoc potest, ut non maligne resistat. Ceterum, cum pag. 29. Vitus minetur; nos ex ipsa Formula Concordiæ confodiendos, ne quis lectorum, hoc ex pelvi fulgure terreatur, recitabo illustrem locum *Form. Concord. p.* 808. 809. *Ita in eodem suo consilio decrevit, quod eos, qui per verbum vocati, illud repudiant, & Spiritui Sancto, qui in ipsis per verbum efficaciter operari & efficax esse vult, resistunt, & obstinati in ea contumacia perseverant, indurare, reprobare, & æterna damnationi devovere velit. Et*

secun-

secundum has rationes intelligendum est, quod Scriptura dicit: Multos vocatos, paucos vero electos esse. Pauci enim verbum DEI serio recipiunt, eique sincere obtemperant; major pars contemnit verbum, neque in regiis illis nuptiis vult comparere. Hujus contemtus verbi non est in caussa vel præscientia vel prædestinatio DEI, sed perversa hominis voluntas, quæ medium illud & instrumentum Spiritus Sancti, quod DEUS homini per vocationem offert, rejicit aut depravat, & Spiritui Sancto, qui per verbum efficaciter operari cupit, repugnat, sicut Christus dicit: Quoties volui congregare, & NOLUISTI. Multi quidem verbum DEI initio magno gaudio recipiunt, sed postea rursus deficiunt. Ejus autem rei caussa non hæc est, quasi DEUS illis, in quibus bonum illud opus jam incepit, gratiam suam ad perseverantiam dare nolit. Hoc enim cum Pauli verbis pugnat, sed vera caussa defectionis ipsorum est, quod sese à Sancto DEI præcepto rursus & quidem petulanter avertunt; quod Spiritum Sanctum contristant & exasperant, quod coinquinationibus hujus mundi rursus sese implicant, & Satanæ hospitium cordis sui adornant. Horum hominum posteriora deteriora fiunt prioribus. Hucusque Sacra Scriptura in revelando divinæ prædestinationis mysterio progreditur. Jam cogitet lector prudens, qui fieri potuerit, ut cum Reformatorum aliis, tum nostro Stephano Vito in mentem veniret Formulæ Concordiæ autores in Supralapsariis atque suæ fidei sociis censere. Non piguit amplissimum locum describere, ut, cum semper eadem

chorda

chorda Vitus oberret, non semper nobis eadem repetenda sint molestissime.

§. 16. Pag. 31. Clar. Vitus dilemmate satis callido, ut fere in verbis aliquid, in rebus nihil valet, pugnat, cui pariter ea lege satisfaciemus, ut, ubi eadem frequentius recurrent, quasi non dicta transsilire liceat. Ita ille: *Aut illa facultas, qua nos gratiæ prævenienti præbemus, qua nos mediorum usu, qua actibus, quos ipsi vocant, naturalibus, & animalibus præparamus, qua nos applicamus ad gratiam, qua gratiam non resistendo admittimus, qua obicem removemus & locum Spiritui Sancto relinquimus, à gratia tantum est, sicque gratia & particularis est & irresistibilis; aut ea facultas à libero arbitrio hominis, in peccato adhuc mortui, pendet. Si prius, se probare dixerit doctiss. Moshemius, ea ipsa probat, quæ in Synodo nostra damnat; sin posterius, ea sentit, quæ ab ipso corpore Julio damnantur.* Egregium disputatorem, qui omnia miscet & turbat, ut vel multitudine verborum obruat, Lutheranorum per se stupida, ut Vito videtur, ingenia! Primo observandum; *Facultatem illam, qua nos gratiæ prævenienti præbemus*, si de admissione primorum motuum intelligatur, plane nullam esse; explicabo hæc verbis B. Buddei, Theol. Dogmat. p. 977. edit. 1724. *Lubentes equidem concedimus, quod primi isti motus boni, quos Spiritus S. per verbum in illis operatur, præter voluntatem, immo subinde præter intentionem illorum in iis existant; idque ne impediatur, nullam peculiarem*

gratiæ

gratiæ divinæ operationem requiri ; cum ceteroquin in infinitum progrediendum esset ; non tamen inde sequitur, ejusmodi hanc esse operationem, cui homines resistere nequeant. Quin potius, si istos motus contemnant, aut negligant, aut rerum hujus mundi amore capti omnino data opera extinguant, quod sæpissime, proh dolor! contingit, satis demonstrant, quod divini Spiritus resistant operationi. Rursus, dum ipsimet ad primos hosce motus excitandos, immo & conservandos, fovendosque nihil omnino conferunt, nisi quod non resistant, aut motus istos pios non impediant, manifestum est, nec συνέργειαν quandam hominibus, dum convertuntur tribui posse. Porro, ad voces *mediorum usu*, necesse est aliquid moneri. Ille usus vel est *externus*, e. g. adire ad eum, qui in cœtu vel privatim verbum DEI explicat, audire, legere, relegere, & similia. Hæc non sunt neganda pertinere ad usum mediorum, & ita comparata sunt, ut præter illam generalem gratiam DEI, in quo sumus, movemur & vivimus, speciali gratia ad hos actus non sit opus ; vel usus ille *interior* est, meditari & quidem serio & salutariter intelligere verbum DEI, porro cohorrescere peccatorum turpitudine, desiderare gratiam, & similia, quæ quidem omnia, non ita, ut se in homine habent, appositis vocabulis designari possunt, gratiæ Spiritus S. qui & velle & perficere operatur, tribuenda sunt. Quid si placeret, Vite! Lud. Ge. Trevirano simile dilemma, quo nos urgere voluisti, fidei tuæ

socio

ſocio proponere: Is in libro A. 1730. edito, Wahrheit in JEſus, pag. 831. compellat nondum regenitos: Bemühet euch derowegen, o Seelen, ſo lieb euch euer Heil iſt, daß ihr dieſer Salbung möget theilhafftig werden, daß GOTT euch einen Vorrath dieſes köſtlichen Oels beſcheren wolle, wie er jener Wittwe des natürlichen Oels durch Eliſa beſcheret hat. 2 B. Kön. 4. Bringet herzu, wie dieſelbe, leere Gefäſſe, Hertzen, die von allem andern losgemacht, und mit recht lebendiger Begierde nach dieſem köſtlichen Gut angethan ſeyn. Wolt ihr das aber thun, ſo müſſt ihr euch zu dem Heiligen wenden, von welchem die Salbung gegeben wird, das iſt, zu JEſu Chriſto, durch wahren Glauben und aufrichtiger Annehmung deſſelben zu euren ſeligmachenden HErrn, mit aufrichtigem würckſamen Verlangen, um in ihm erfunden zu werden. Huic, Vite! non nobis Semi-Pelagianiſmi dicam, ſcribe. Sed pergamus. Vitus loquitur etiam *de actibus, quos Lutherani vocent, naturalibus & animalibus, quibus nos præparemus & applicemus ad gratiam.* Vellem, Vite! ſcire, quis noſtratium, qui quidem Formulæ Concord. ſubſcripſerint, nam de *Synergiſtis*, quos novimus, ſermo nobis haud eſt, hoc modo locutus ſit? Nos quidem negamus hominem pædagogicis illis naturalibusque actibus ſeſe *præparare & applicare* ad gratiam. Qui ajunt: hominem ſe *quodammodo præparare*, adjecto vocabulo mentem ſatis explicant, & vel ſic, meo qualicunque judicio, hoc verbo

verbo rectius abstinuissent. Nam *præparatio & applicatio* ad gratiam, videtur conatum ejus, qui jam, quid quærendum sit, intelligit, atque adeo vivere cœpit, significare. Denique addit: *qua gratiam non resistendo admittimus, qua obicem removemus.* Hæc vero, non sunt ejus generis, cujus est, *applicare se ad gratiam.* Nam alterum est, *agere*, alterum, *non agere*, nisi quod *obicem removere*, interdum de eo dicitur, qui & impedimentorum, & rerum, quæ impediuntur, naturam intelligunt, quo quidem sensu non posset non hoc quoque soli gratiæ tribui. His ita expositis & à summa confusione liberatis, aliqua dicimus gratiæ soli, aliqua, quæ extra sphæram spiritualium sunt, hominis naturalibus facultatibus tribuenda; neutra vero irresistibili alicui operationi, si primos, de quibus dixi, motus excipias. Impotentissima accusandi & calumniandi libido, quæ paginas 31. & 32. implevit, à me, ut soleo, præteritur. Sed cur, obsecro, *prodigium* vocas distinctionem inter *naturalem & voluntariam resistentiam.* Bellumne indicere placet rationi & experientiæ? natura aversos omnes à bono esse, in Scriptura, credo, didicisti; & maligne adversari scelestos homines vocationi divinæ eadem Scriptura & usus tristissimus convincit.

§. 17. Frustra operam sumit Vitus p. 33. 34. ut ex Corpore Julio Moshemium doceat: errasse Synergistas, namque hoc Moshemius & nos

nos cum isto, scivimus egregiè. Verùm, quæ consequentia, quam tu p. 34. & fere toto libello nectis? Omnia, quæ ad conversionem nostram requiruntur, soli, puræ, meræ gratiæ, nihil vero eorum nostro libero arbitrio tribui potest, ergo gratia regenerans & particularis est & irresistibilis. Aër, quem in nostra communi Germania haurimus, Vite! soli, meræ, puræ gratiæ Dei tribuitur merito; ergone particulare beneficium est, neque fieri potest, ut, qui nolit haurire, laqueo gula fracta non hauriat? Porro, quod perhibet Vitus, fateri Corporis Julii autores: *Ex hac sua doctrina eam difficultatem facile nasci posse*, quam Lutherani hodierni nunquam non Reformatis objiciant, in numero calumniarum habemus dum ostenderis. Occasionem à sanctissima fide nostra homines securi arripiunt, at è nostra doctrina certe eæ difficultates non *nascuntur*, sed optime depellimus sequelas impie extortas. An Reformati eadem facilitate possint, ipsi viderint, sed & nos, suo loco, videbimus.

§. 18. Recitatis sermonibus securorum hominum Vitus p. 35. frigidissimum dilemma proponit: *Aut hæc eadem objici possunt hodiernæ Lutheranæ fidei, aut non possunt &c.* Distinguamus ô bone! inter τὸ *objicere*, quod *solide* fiat, & quod *frivole*. *Solide* objici posse nostræ fidei illa, quæ recitasti, negamus. *Frivole* & posse & solere objici, quis neget? Et quis

D non

non miretur ludi in re ſeria à diſputatore noſtro? Iſtas calumnias Lutherani facile repellunt. Nam monſtrant Dei voluntatem ſeriam eſſe, ut audiatur verbum Dei, ut adhibeantur media, idque & poſſe fieri, & paratam omnibus eſſe gratiam, &, ſi nolint homines, non poſſe ad gratiam perveniri, hominesque adeo, quia nolint, excuſatione carere. Sed Reformati, cum negent gratiam univerſalem, cum negent Chriſti meritum univerſale, cum negent reſiſti gratiæ DEI poſſe, cum negent τὸ non-reſiſtere eſſe in hominis poteſtate; quid ſecuro, quid deſperabundo retentis his hypotheſibus reſpondere velint, non aſſequor, ſaltem noſtris reſponſionibus uti nulla ratione poſſunt.

§. 19. p. 35. Vitus noſter, poſtquam laudaverat corporis Julii verba: Hier ſoll auch dieſe Erinnerung nicht vergeſſen werden, daß die Menſchen offt dem Heil. Geiſt widerſtreben, ſeine Würckung, ſo er durchs Wort bey ihnen ausrichten will, ausſchlagen, von ſich weiſen und ſtoſſen, und alſo das Werck GOttes in ihnen ſelbſt hindern; addit: Sic etiam Synodum *ſano ſenſu*, velle, Deum omnes ſerio vocare, quotquot per Evangelium vocentur. Quis vero, obſecro, ille ſanus ſenſus? Clariſſime Synodus negat Chriſtum pro omnibus ſatisfeciſſe, qui ergo poteſt ſeria vocatio eorum eſſe, quos Chriſtus redemtos à ſe noluit? Non ignoramus, Vite! in gratiam *Hypotheticorum*, qui ajunt omnes

voca-

vocatos esse, sed sub conditione impossibili, quam nec velit Deus possibilem facere, adeoque splendidis verbis nihil dicunt, in horum inquam hypotheticorum gratiam §. 8. à te laudato sic scriptum esse. *Quotquot autem per Evangelium vocantur, serio vocantur, serio enim & verissime ostendit DEUS verbo suo, quid sibi gratum sit, nimirum, ut vocati ad se veniant. Serio etiam omnibus ad se venientibus & credentibus requiem animarum & vitam æternam promittit.* Hæc qui sola legat, neque sciat, quæ supra §. 3. à me è Synodo excerpta sunt, ei fucum fieri posse video, at minime, cautioribus. Nobis itaque non videtur serio agere, qui aliquid sibi placere significet, sub conditione impossibili, ad quam implendam Christi meritum & vires in illum credendi negat. Sed hic ipse locus pertinet ad tertium argumentum Moshemii, quo negat pacem cum iis tuto iniri posse, qui formula ancipiti utuntur, sub cujus umbra variæ opiniones latere possint. Eadem ratio est §. 9. ex Synodo à Vito sed non integre recitati. „Quod multi per ministe-„rium Evangelii vocati non veniunt, & non „convertuntur, hujus culpa non est in Evan-„gelio, nec in Christo per Evangelium obla-„to, nec in Deo per Evangelium vocante, „*& dona etiam varia iis conferente.*“ NB. hæc verba omisit Vitus. *Sed in vocatis ipsis, quorum aliqui verbum vitæ non admittunt securi; alii admittunt quidem, sed non in cor immittunt.* Nimirum

mirum nolunt dici: in Deo vocante vel Evangelio culpam esse interitus hominum, quem homo suis peccatis sibi mereatur, latereque adeo id volunt patres Dordraceni, quod alibi dilucide explicant, neque tamen voluntatem Dei seriam esse, ut ille homo eripiatur, fatentur. Loquuntur de *oblato*, scil. publice *per Evangelium Christo*, sed non addunt, pro miseris, qui pereunt, Christum satisfecisse. Loquuntur *de Deo per Evangelium vocante*, sed non efficaciter, *dona etiam varia conferente*, sed non ea dona, quæ ad vitam spiritualem ducunt. Hic est, mi lector! ille sanus sensus Stephani Viti, qui quam alienus sit à corporis Julii verbis, ipse velim expendas.

§. 20. In nota p. 36. subjecta *nonnullis insulsis Lutheranis Augustini doctrinam blasphemam &c. stolidissime videri*, Vitus ait, cui paucis respondeo: esse nobis utique carum Augustinum, atque ea præcipue verba, quæ hoc loco à corpore Julio laudata sunt, esse optima. Ceterum, cum de Augustini doctrina non possit paucis verbis sententia dici, & tota res ad hoc, quod nunc agimus, nihil attineat, alio fortasse tempore, dante Deo, de Augustino uberius dicemus.

§. 21. p. 37. 38. Vitus ad hanc quæstionem totam litem reducit: Utrum à Spiritus S. gratia an à nobis proficiscatur, quod alii recte utantur salutis mediis & gratiæ non resistant,

stant, cum alii abutantur & gratiæ resistant. Si prius dixerimus, tum nos cum ipsa Synodo sentire, sin posterius, damnari nos à Corpore Julio. Sed hoc ipsum Vitus posuerat p. 31. cui abunde §. 16. respondi, quæ me non repetiturum ibi protestatus sum, neque enim placet mos cramben recoquendi centies, ut, quod re non potes, importunitate verborum consequaris.

Urbanus Regius, in formul. caute loquendi edit. Feustking. p. 7. dixerat: *De libero arbitrio item sine judicio & inepte quidam sic garriunt, apud populum:* Wir haben keinen freyen Willen überall, was wir thun, das müssen wir thun. *Hic nihil addunt, quo sermo ille mitigetur &c.* porro p. 8. *Similiter de arduo prædestinationis articulo, nulla simplicium ratione habita, supra modum scandalose quidam loquuntur, — nam hæc interdum eorum verba sunt:* Bist du von GOtt zur Seligkeit versehen, so kanst du nicht verdammt werden, du thust was du wollest, Böses oder Gutes &c. Quis credat ex his præclare à Regio dictis argumentum necti posse contra Moshemium? Sed Vitus tamen nexuit mirabili ratione. Nimirum ait mentem Regii esse: *non tam rem ipsam, quam verborum modum aversandum.* Bene hæc dixisti Vite! nam dari posse, & fuisse in Luthero sanum sensum istorum verborum: Wir haben keinen freyen Willen überall, was wir thun, müssen wir thun, postea, cum de b. Viri *Servo Arbitrio*, agendum erit, facile largiemur.

 Vitus

Vitus quidem ait: *non mitigandam hanc vocem hodierni Lutherani volunt, verum omni exſecratione proſequendam.* Quid vero de te dicemus Vite! noſti Habercornium, Schmidium, Witebergenſes, ceteros, mitigaſſe, non damnaſſe ejusmodi locutionem in B. Luthero, ſed id operæ pretium à te tulerunt, ut *impudentiſſimos* homines diceres. Quid porro dicemus de nota tua, p. 39? ubi eos, quos increpat Regius, *patres noſtros* fuiſſe ais. Lutherus certe in his non eſt, nam locutus quidem eſt ita, & interdum ſatis durè, *ſed mitigavit* ita, ut factum vult Regius, ceu videbimus.

§. 23. p. 40. ad verba Regii: Wer zum ewigen Leben verſehen iſt, der glaubt dem Evangelio &c. Vitus monet: *His recte electionem fidei cauſſam eſſe indicat.* Hic noſter, etſi rem veram colligit, male tamen colligit, nam ex his Regii verbis, nemo bona conſecutione deduxerit, electionem eſſe fidei cauſſam, quia nihil aliud dicit, quam electos aliquando credituros, utrum fides electionis, an hæc illius cauſſa ſit, his quidem verbis non definit, ſed ut monui, recte dicitur utrumque. Prævidit enim Deus media gratiæ à ſe olim offerenda & applicanda in aliquibus hominibus fidem generatura & ad finem vitæ conſervatura, elegitque adeo illos; hoc modo eſt prævisa illa fides ratio electionis; & quia prævidit fore, ut, ſi media iſta illis hominibus applicentur, recipiantur, decrevit in his fidem

dem operari, conſervare & ſic porro; ita electio eſt fidei excitatæ cauſſa. Neque ſe hæc mutuo tollunt, id quod probe obſervasſe in ſequentibus proderit.

§. 24. Ad præclara verba Regii: GOtt beruͤfft zu ſeiner Zeit einen in der Jugend / den andern im Alter nach ſeinem Willen / vide lector glosſam Viti p. 40. *Ergo non omes ſemper eadem ratione vocantur. Vocatio, quæ ſecundum propoſitum fit, irreſiſtibilis eſt, nec eſt niſi electorum, à qua toto cœlo diſtincta vocatio externa eſt, qua aut reprobi, aut electi quidem, ſed nondum ſecundum propoſitum DEI vocantur.* Hæc autem qua ſpecie è verbis B. Regii eliciuntur? Itane vocatio *irreſiſtibilis* affirmatur à Regio? Hoc modo ſi torques noſtros auctores, quod ſane facis, non ſupralapſarios modo, ſed, quicquid lubet, ex iisdem fingere ac refingere poteris. Ibidem Vitus verbis ſanctiſſimis Regii: Es bleibt kein Erwehlter im Unglauben und ſuͤndigem Leben endlich. Welcher aber immerhin Boͤſes thut und darauf beharret / der wird verdammt &c. *blaſphemam Lutheranorum calumniam*, retundere vult. Quid audio? Tam nos hæc b. Regii verba, una voce, uno animo probamus, quam tu, ſi doceas irreſiſtibilem gratiam, reſpondere nullo modo potes homini ſecuro, qui dixerit: Cum reſiſtere ſceleribus non poſſim gratiæ divinæ, illa me, ſi ita decrevit Deus, apprehendet vel reluctantem, ſi non decrevit, non ſceleribus arcetur gratia, ſed

per se ventura non fuerat; aut cum desperatione luctanti, qui in limine mortis positus ita dixerit: Irresistibili gratia omnes electi ante vitæ finem apprehenduntur, ego, cum sentiam me nulla irresistibili gratia apprehensum, morti autem proximum, non debeo de reprobatione dubitare. Tuum Vite! est cogitare, quid respondeas. Nos cum Regio ponimus gratiam & universalem & resistibilem esse, itaque securo illi dicimus: Non est expectanda irresistibilis gratia Dei, sed si eam expectabis, peribis, posses autem non perire, si non resisteres, ergo noli, dum tempus est, gratiæ vocanti reluctari, convertere te ipse non potes, at audire potes verbum Dei organon Spiritus Sancti, per quod hic operari vult. Desperabundum ita tractamus: Non est, quod desperes, quia nullam gratiam irresistibilem sentis, quæ nec promissa est, ut audis verbum te vocantis Dei, qui se nolle mortem peccatoris sanctissime protestatus est. Videt hic pius lector, atque utinam tu quoque, Vite doctissime! videres, nostram doctrinam expeditissimam, Reformatorum impeditissimam esse. Hæc quoque, ne idem sæpius repetendum sit, meminisse juvabit.

§. 25. Nondum satis ad innocentissima Regii verba calumniarum. Ita optime Regius p. 41. Wir sollen den tieffen Abgrund Göttlicher Versehung nicht mit menschlichem Fürwitz handeln, sondern

sondern thun, was uns GOtt heisset und befiehlet, nemlich dem Evangelio glauben, wer ihm glaubet, der ist der Erwehlten einer &c. Quid his Vitus noster? Primo dicit *arcanam* voluntatem hic à *revelata* distingui, illam vero Moshemio *exosam* esse. Alterum, quod mones Vite! verum est, distinguendam voluntatem arcanam à revelata, non quod sint oppositæ voluntates, sed quod eadem voluntas duplici modo intelligenda sit. Itaque revelata voluntate Dei docemur Christum omnibus peperisse salutem, accepturos autem solos credentes usque ad finem vitæ. Quinam vero hi sint, in hac vita non videmus perspicue: Verum arcana Dei voluntate, singuli credituri, suo quisque nomine ad salutem, ad damnationem, constituti sunt, hanc introspicere nec datum nobis, hac saltem vita, nec cupitum est. At hanc sanctissimam voluntatem, quam verendam merito dicimus, quis te docuit Moshemio aut cuiquam nostratium *exosam* esse? Porro eodem loco Vitus: *Lutheranis*, inquit, *ejusmodi abysso opus non est, eorum sententia expedita admodum, sed eo ipso neque Pauli, neque Lutheri, neque Urbani Regii sententia est.* Merito dicis sententiam nostram *expeditam*, h. e. ab objectionibus, quas ratio confingit, facile liberandam. Videtur hanc confessionem vel veritatis conscientia vel certe imprudentia elicuisse. Ceterum nos ii non sumus, qui omnia sibi expedita esse

postulent, potius cum consideramus dispensationem graduum gratiæ plane inæqualem, cum unius peccatoris derelictionem & obdurationem mature factam, alterius, vel æqualis, vel majoris peccatoris pœnitentiam incredibili lenitate tandem factam videmus, fatemur cum Paulo, nobis esse hic abyssos inextricabiles & impervestigabiles. Quod vero hanc nostram sententiam à Paulo, Luthero, Regio, discedere criminaris, hoc probandum erat, quam vero tu id non possis, sequentia docebunt.

§. 26. Supersunt etiam ad p. 41. Viti monenda. Tribuit nobis curiositatem vetitam. Nam ad verba: Nicht mit menschlichem Fürwitz: addit: *Ut Lutherani solent, quoties sacrosanctum hoc mysterium contra nos profano ore tractant.* Lapides loqui dixeris Vitum. Quid nos ad hæc? nihil; nam argumenta retundimus, non convicia. Ad verba Regii: Wer ihm glaubt/ der ist der Erwehlten einer/ annotat: *Ergo fides est solorum electorum, neque veram fidem unquam habuit, qui perit.* Glossa adversatur menti Regii, qui sane intelligit *constanter credentem*, nam labi aliquem posse è gratia, ne longe eamus, illico sequentia docent pag. 38. *edit. Feustk.* Wer hie nicht gräulich fallen will, wie Lucifer, der soll mit den heimlichen Gerichten GOttes unverworren bleiben. Ergo fieri potest, ut qui steterat, (nam nisi qui steterat, ut Lucifer labi non potest) cadat & gratia divina

exci-

excidat. Ad Regii verba: Wer ihm noch nicht glaubet, der ist entweder nicht aus der Zahl der Auserwehlten ꝛc. Vitus ait: *Ergo fides & vocatio ad fidem, & regeneratio & meritum Christi non pertinent, nisi ad solos electos.* Salutari eventu pertinere ad solos electos isthæc omnia, ἐξαγώνιον, sed, non esse peratam à Christo reliquis salutem, ut certe convivium in parabola illis quoque, qui spreverant vocantes ministros, paratum fuerat, quibus, precor te, artibus ex Regii verbis colliges? Sequuntur verba: Oder es ist die Stunde seines Beruffs noch nicht kommen. Vide, quot & quanta ex his Regii verbis Vitus colligat? p. 42. *Ergo gratia vocationis juxta propositum, sola & irresistibilis caussa est, uti regenerationis ita etiam fidei. Ergo, qui non credunt, eorum fidem non vult Deus arcana voluntate; ergo non eadem ratione omnes vocantur; ergo prædestinatio absolutissima est.* Quodsi Vite! hæc ita colligis, ut monstres, posse calumniandi artibus quidvis ex quovis confici; abuteris ea arte adversus nos, qui nolumus eam vel discere, vel exercere; sin credis ea omnia è Regii Verbis sequi, miror ingenium tuum, qui Lutheranos crassis ingeniis uti perhibes.

§. 27. Vereor, ut patiens lector sit tot inconditarum rerum Viti nostri, itaque paucis absolvam. Regii verba Vitus recitat: pag. 42. 43. *Propriè nulla est alia satisfactio pro peccatis mundi, quam pretiosa mors Christi, hæc una satisfecit*

fecit pro nobis justitiæ divinæ, & nos Deo reconciliavit. Sed illius satisfactionis nemo est particeps, nisi credentes evangelio Christi, & fide efficimur illius pretii participes, ut ipse sit nostra propitiatio. Nemo est Lutheranorum, quin eodem modo, ubi fert occasio, loquatur. Sed portenti simile est, quod ex his Vitus elicit: *Ergo ad solos credentes meritum & satisfactio Christi pertinet, neque credunt ex Regii mente, nisi qui vocantur secundum propositum Dei, neque vocantur secundum propositum Dei, nisi electi. Ergo ex mente Urbani Regii Christus non mortuus est, nisi pro electis.* Quamquam qui hoc modo & bona charta & lectorum patientia abutitur, ut hic Vitus fecit, indignus est, cui multum respondeatur, tamen, quia hodie non in omnium manibus Regii libri sunt, aliquot loca describam, unde lector judicare poterit, crediderit ne Regius: Christum pro omnibus mortuum esse, an minus? Itaque in *Oper. Lat.* Noriberg. 1562. editis, fol. 414. b. ita Regius: *Tum cogita, quod Dei filius cœlis demiserit sese ad infima, homoque factus tua TOTIUSque MUNDI peccata sibi imposuerit, proque iis in cruce ultro mortem oppetierit, pro iis omnibus satisfecerit, gravissimasque nostro nomine pœnas dependerit. Hic sanguis Christi pretiosissimus propter tuam etiam salutem profusus est, hujus mortis & tu particeps es, si modo credideris Christum æque pro te ac pro Petro & Paulo mortuum esse.* fol. 415. a. *Matth. XI. venite ad me omnes. Omnes ad se vocat, mi frater, nullum repudiat,*

pudiat,

pudiat, nullum rejicit. Huic voculæ, omnes, etiam te includes, ejusque misericordiam implorabis, & refocillabit & recipiet te. Parte III. p. 1. a. sunt de lapsu & restauratione hominis propositiones. Huc pertinet propositio sexta tota, nos excerpimus hæc verba: *Hic,* Christus, *legem Dei perfectissime implet, satisfacit DEO patri pro peccatis totius mundi, inimicitiam tollit.* fol. 18. a. *Filius ex ingenti ac ineffabili amore erga patrem & genus humanum deperditum fuit obediens patri, usque ad mortem, mortem autem crucis, & suscepit suam passionem, non sua ipsius necessitate coactus, sive nolens, sed volens, propter voluntatem æterni patris & salutem humani generis.*

§. 28. Pag. 43. & 44. Vitus, non, uti videtur studio calumniaturus, nam cui bono tales calumniæ essent? λοξίαν esse oportere Moshemium contendit, si hæc, quæ vidimus, ab ipso recitata è Regio, tum alia loca aliorum patrum Lutheranorum & Formul. Concordiæ, quæ se ex Johanne Pandocheo recitaturum minatur, possit ita interpretari, ut non videatur perjurus. Ego, quid hic dicam faciamve, plane incertus sum. Ridere, in re seria, absit! absurditatis se non patietur argui ab homine Lutherano Vitus, cum nos ut crassulos dudum contemserit. Res vero ita in aprico est, ut clarior vix animo intelligi possit. Magis ergo lugeo conditionem miseram hominum, qui, cum sibi videntur sapientissimi, obvia non vident. Hoc modo refu-

refutatum à ſe primum Moshemii argumentum credit Cl. Vitus, nempe eviciſſe ſe ait: vel non eſſe in Synodo Dordracena noſtram doctrinam repudiatam, vel ſi iſthic rejectam eſſe à propriis ſymbolicis libris & antiquiſſimis doctoribus Lutheranis. Ego vero lectorem meum intellexiſſe confido, quam parum ſolide, ne quid dicam acerbius cauſſam ſuam Vitus egerit?

§. 29. Antequam vero primum argumentum Moshemii Vitus plane deſerat acerrimo duello hoc ipſum cum tertio doctiſſimi Moshemii argumento committit, ea quidem duriſſima lege, ut alterutri civili hac contentione omnino pereundum ſit. Negat ſimul verum eſſe poſſe, ut Dordraceni patres Lutheranorum placita confixerint, &: ut verſute id egerint, ne, qui à Lutheranis propius abeſſent, ſe damnatos queri poſſent. Sed, mi Vite! hæc accidere, toto, quod ajunt, die ſolent, ut, quem petunt homines & tangunt manifeſte, paullo poſt non petiisſe videri velint. Quamquam iſti, quibus parcitum eſſe volebant patres, non fuere Lutherani, nam Univerſaliſtæ veſtri & hypothetici, quamquam interdum pulchre loquuntur, parum tamen, immo oppido parum ipſa re à ſupralapſariis abeunt. Cur ergo, o bone, non poteſt idem Moshemius dicere: in quibusdam palam noſtram, h. e. Lutheranorum doctrinam rejectam, in aliis capi-

capitibus astute ea vocabula adhibita, sub quibus sectæ, vel, si hæc vox displiceat, opiniones vestratium variæ in lites apertas erupturæ, ni arte sedentur, tegi commode possent. Sed quid opus est his verbis, cum rerum adsint testimonia?

§. 30. Pag 49. Notatu sunt dignissima verba Viti, qualia ex iis, quæ adhuc disputavi, non præcepisses animo. *Largior quidem synodum Dordracenam decretum absolutum prabavisse, concedo Arminianos damnatos, non nego quinque articulos saniori sensu probari Lutheranis.* Sed, mi Vite! si hæc largiris, quæ quidem vera esse non minus sciremus, si vel non largireris, quid pugnasti, nostram doctrinam Dordraci non esse rejectam? nam *absoluto decreto* nos omnes refragari probe nosti. Ceterum de quinque articulis hic quoque captiose disputas, nam tametsi isti quinque articuli, ut jacent, remoto Pelagiano fermento, facile à nobis admittantur; tamen, quia eorum ipsa verba non sunt Dordraci rejecta, ut adeo putare aliquis posset, mentem Arminianorum clarioribus verbis expressam, quæ ad nos nihil pertineat, à Synodo condemnatam; observandum, ipsam nostram doctrinam verbis minime ambiguis proscriptam esse in Synodo, ut §. 3. demonstratum est. Quamquam vero hæc ita sunt, & rejectam nostram, de absoluto decreto, negantem sententiam fatetur Vitus, hæc tamen obesse sacræ paci

negat

negat & pernegat. Tu vero, lector! mecum expende, fieri ne possit, ut duo societate inter se facta arctissima, ad eundem regem, ab utroque ante graviter læsum, pergant, quorum alter è tabulis regiis, utrique in gratiam redire licere, manifeste videt; alter credit alterutrum necessario periturum, neque fieri posse, ut incolumis præstetur, neque velle Regem, ut ille salvus sit, neutrum autem ad regem venire posse, nisi irresistibili ratione tractum? Ego vero putem illum, qui regias tabulas inspexit, recteque intellexit, ita cogitaturum: maxima esset in benignissimum regem injuria, cum eo societatem facere, qui nolle serio regem contendit, quod verbis significasset, qui expectare irresistibilem jubet vim, qua trahatur, neque blandis regiisque verbis se satis trahi putet.

§. 31. Tum concessurus est Vitus, synodum obesse pio pacis negotio, *ubi demonstravit Mosbemius*, 1) *vel doctrinam Dordracenorum labefactare fidei fundamentum. Vel*, 2) *Lutheranos eopse sensu admittere quinque articulos, quo eos synodum in Arminianis damnasse ostenderit. Vel*, 3) *synodum etiam Lutheranum quinque articulorum sensum proscripsisse.* De altero, Vite! non est, quod agamus, nam Pelagiana dogmata tueri Arminianos utrinque constat. Quod ad tertium attinet, vide §. 3. ubi nostra dogmata in synodo rejecta esse non opinatus sum,

non

non veritus, ſed demonſtravi. Sed & primum, nempe diſſenſu noſtro ipſum fidei fundamentum tangi, ſupra demonſtratum eſt ad præfationem tuam §. 5. Mirari ſubit, qua fiat ratione, ut homines in ceteris rebus non obtuſi ingenii, arbitrari poſſint levem diſſenſum eſſe eorum, quorum alter Chriſtum omnium hominum Salvatorem, alter pauciſſimorum, dixerit. Fac duos præcones eſſe, qui velint centum perduellibus gratiam principis clara voce nunciare, has tu leviter diſſentire putes, ſi ſe ambigere dixerint, utrũ centum adeoque omnes iſti perduelles veniæ poſſint eſſe participes, an tantum decem? Quod à Reformatis ſubinde objicitur, probe novi, nempe de reprobis non eſſe, quod ſimus ſoliciti, qui, ſive dixeris, Chriſtum pro iis quoque ſatisfeciſſe, ſive negaris, utrumque aſpernentur, neque venturi ſint. Agitur enim de convertendis & legis minis jam probe exterritis, quid illis dicemus de Evangelio: *Fortaſſe pro ipſis ſatisfeciſſe Chriſtum.* O miſerrimum ſolatium! Dicemusne habere ipſos jam ſignum gratiæ, quod ſerio de peccatis doleant, ſed hoc nondum eſt ſufficiens ſignum, cum Judas quoque proditor, & acriter quidem, doluerit, neque minus tamen in reprobis fuerit. Itaque, etſi fideles, qui jam credunt, Spiritusque Sancti teſtimonio interno gaudent, ſtare poſſe concedo, quamquam *particulare* Chriſti me-

ritum credunt, qui tamen ipsi, ubi tentationis hora venerit, in magno hærent discrimine: Longe tamen alia res est in convertendis, in quibus fides ex promissionibus haurienda certissime impeditur, si partem tantum, & quidem minimam generis humani redemtam & ad conversionem irresistibilem gratiam necesse esse putent. Dixeris, ut dicentem Vitum deinde audiemus: *Ex DEO revelato* agendum cum ejusmodi hominibus. Ego vero dicere non possum, quantopere hæc talia mihi displiceant? Universalem gratiam DEI prædicas? Quamquam Samuel Strimesius im kurtzen Entwurff der Einigkeit pag. 125. negat inter media agendi cum tentatis magis solere esse hypothesin de *universalitate meriti Christi*, quam alterum de *particularitate*. Sed res docet, virum bonum misere falli, nam apud nos *solere* hoc primo loco poni, praxis docet, *merito* autem fieri certissimi sumus. Itaque prædicas ad talem hominem vocatus universalem gratiam; sed estne verum, quod ais? non est verum, alioquin enim non diceres esse particularem. Dicis Christum hujus hominis in conscientiæ terrore constituti Salvatorem; sed estne? fortasse, inquies, si nempe electus est. Quin hoc ipsum dicis homini: fortasse Christum pro ipso satisfecisse. Non est, inquis, hoc modo loquendum; at cur ita sentis, ut loquendum negas esse. Hæc cum scribo, Vi-

te!

credas velim, tanta me affici tristitia, am fieri non potest, ut idonea tu ratione spondeas. Demonstravi igitur, atque utim difficilius fuisset demonstratu, *fundamenem esse dissensum*. Tu quidem, Vite! nnium, qui idem demonstrare ausi sint, *erilia plane & ineptissima argumenta* dicis fuisse, ag. 50. Sed, quo numero à te hæc argumenta habeantur, parum interest. Quæ ibiem criminaris, improbum schisma norum tueri nos non posse, nisi primam amque genuinam ecclesiam Lutheranam x ipsos nostros libros Symbolicos in fidei undamento errare ajamus: ea pueris dic, Vite! viris non credituris tibi parce. Tua, quæ nobis opponis, loca, ordine suo excutiemus. Omnia, quæ disserit Vitus pag. 50. 51. 52. ita sunt comparata, ut qui hunc §. legit, facillime respondere possit.

§. 38. Sunt aliqua p. 52. quæ movere hominem imperitum posse videantur. Nimirum, si vel ponatur, quod Vitus falsissimum credit, esse hodiernos Lutheranos etiam expressis verbis olim à Dordracenis damnatos, non tamen id hodie viventibus fraudi esse posse, nam homines fuisse Dordracenos patres, potuisse errare; sufficere, quod qui hodie vivunt Reformati, mitius sentiant de nobis. Ita jam instituit Vitus, qui toties effugere neminem posse ait, quin vel Manichæus vel Supralapsarius, vel hominum sit stupidissimus.

 simus.

simus. Unde acerrimo viro, tanta subito benignitas? Bene se omnia habent Vite! ubi abrogaveritis Synodo autoritatem, quod faciendum esse, si pacem coalescere velitis, quam boni omnes ardentissimi cupiunt, venerandus Moshemius, tota sua consultatione docuit. Sin sacro-sancta vobis, vt adhuc fuit, autoritas Synodi est, eaque Synodo nos, quod hoc loco tantisper ponis factum, damnati sumus, dic quæso! doctissime Vite! qui nos *contradictionibus pasci* ais, quomodo simul & *benigne* de Lutheranorum eorundem eadem doctrina sentire, & *dure ac rigide* cum Synodo decernere possis. Ita velim vir bonus haberi, ut, qui hæc simul fieri possint, non capio.

§. 33. Extrema pag. 52. Vitus ea dixit, quæ hominem imperitum in maximum odium Cypriani, Gothani Theologi, plane venerabilis inducere possint, hic non silenda. *Indigna sane Christiano homine ea sententia mihi videtur, qua doctissimus Cyprianus tuetur, vel eo nomine pacem nobiscum iniri non posse, si maxime scil. in fidei fundamento non erraremus; quia alias ecclesiæ Lutheranæ patres in rixatoribus habendi essent, quod nobiscum pacem colere detrectaverint.* Videtur & mihi, & Cypriano ipsi, ut in fronte libri von der Kirchl. Vereinigung gravissimis verbis protestatus est, sententia talis Christiano homine indigna, sed & hoc indignum homine Christiano, alteri sententiam talem temere affingere.

gere. Cur in tam gravi accuſatione omittis locum laudare, quo doctiſſimus Cyprianus talia docuerit? In lectoris gratiam huc deſcribam locum Cypriani. Unterricht von Kirchlicher Vereinigung pag. 347. edit. 1722.: Ich wollte den Frieden unter denen Proteſtanten durch GOttes Gnade mit meinem Tode erkauffen, wenn die Reformirten in denen Haupt-Puncten GOttes Eidſchwüren, auch Chriſti Thränen und klaren Worten glauben möchten: Demnach iſt es unnöhtig zu fragen, ob ich denn das Gezäncke immer wolle fortgeſetzt wiſſen? Denn wo es in meinem Willen gienge, ſo würde überall kein Zanck in der Welt gefunden werden. Nachdem wir aber die Göttliche Wahrheit vor uns haben, deren Vertheidigung uns auf unſere Seele gebunden iſt; ſo verabſcheue ich zwar alles Gezäncke und Bitterkeit, bevorab in Chriſti Schule dergleichen Fleiſches-Wercke ohnmöglich Platz haben können, und dannenhero rahte ich allezeit zur Sanfftmuht, geſetzt, daß man auch mit Juden oder Türcken zu thun bekäme. Aber ich habe darbey vor Chriſtum ſo viel Liebe, auch für die abgelebte redliche Fürſten, Staats-Leute und Theologen ſo viel Reſpect, daß ich in keinen Frieden geheelen kan, der ſowol jenes beſchwohrne Lehre aus gantzen Ländern jagen, als dieſe, welche doch in den gefährlichſten Zeiten Leib und Leben vor die Wahrheit gewaget, und ihren Richter ſchon gefunden haben, in ihren Gräbern mit dem Titul der Zäncker verunehren würde. Si hic, Vite! locus eſt Cypriani, in quem digitum

 intendis,

intendis, vereor, ne malæ fidei ab æquissimis hominibus damneris, si pag. 370. idem prorsus eveniet; si alium vis, reus calumniarum eris, dum protuleris.

§. 34. Pag. 53. *sufficere putat nobis* Vitus, *si Reformati publice fateantur, se nos in fidei sociis habere, aliam abrogationem Synodi minus esse necessariam. Quemadmodum vicissim ipsi à nobis non postulent abrogationem librorum nostrorum Symbolicorum, modo Lutherani publice profiteantur, se mitius de mutui dissensus momento, accuratius, quam à patribus suis factum, perpensis caussæ momentis, jam sentire.* Hoccine vero, ô bone! non est abrogare Formulam Concordiæ? Prima, quam pacis, si qua futura esset, legem esse vis, hem quam illa est vel iniqua vel obscura? Sic ais: *Sancita sacra pia* ἀμνηστίας *lege, quæ iniquius utriusque partis libri Symbolici de alterius partis erroribus constituerunt, ea abrogata existimantor. In ceteris vero sarta atque tecta librorum, quos utraque pars in Symbolicis censet, autoritas esto.* Obscuram hanc dixi legem, nam quisque pro suo sensu æqua iniquave censebit in libris Symbolicis, quæ volet; quanta vero hæc confusio? aut si hæc mens sit minime ambigua; licere unicuique in iniquis censere, quæ velit, annon hæc iniquissima lex, qua summa confusio studio inveheretur?

§. 35. Fac obtinere Vitum à suis posse, quod amplissimis verbis Moshemio pag. 44. promittit, de quo quidem multos puto haud

iud immerito dubitaturos: *Quodsi igitur iblico nomine certiorem me fecerit Clariss. Mosheius, per hoc unum stare, quo minus bonis omnibus optata pax aliquando constituatur; facile ego à ostris omnibus impetrabo, ut publico decreto sanciuri sint, non alio nomine Arminianos illos quinque rticulos cum fidei salutaris fundamento pugnare, aut dfirmavisse Dordracenos Patres, aut adfirmare debuisse, quam quo ex Lutheranis, quotquot sapiunt, eosdem Pelagianismi rectè arguunt.* Ista inquam, omnia, si obtineret Vitus, nihil tamen maximo studio egisset. Nam, ut omittam voces: *Quotquot sapiunt*, caussam plane perdere, continuo enim, si quis nostratium, aliquid contra monuerit, dicetis, *hunc non sapere*; nec multis repetam non ipsa verba quinque articulorum, sed nostram verissimam doctrinam claris verbis rejectam esse. Non sufficit, nos hodie à Vobis non putari in fidei fundamento errare, neque hoc beneficii loco à vobis accipimus, qui per DEI gratiam de veritate convicti sumus: Sed vestros errores non tangere fidei fundamentum, utinam per conscientiam liceret profiteri. Ridendos censes p. 55. illos, qui, cum Moshemio, Cypriano, Lœschero, sartam tectamque velle videntur suorum librorum Symbolicorum autoritatem, vestorum destructam: Ego vero, mi Vite! non rideo illos, sed doleo, qui, cum veritati cedere nolint, ipsa ejus pacis, quæ veritati noxia esset, oblatione

tione molesti sunt: Quin potius precamur DEUM, ut illustret corda hominum errantium? Quod ubi factum fuerit, tum pax utilis coalescet. Conviciis, quæ in optimos viros more tuo effundis, nullum hic locum concedo. Ceterum ea, quæ p. 56. de Sancta sibi autoritate Synodi peroravit noster, monstrant, quantum spei de pace per Vitum supersit. *Nostra*, inquit, *tuemur, & nunquam non tuebimur, quoad sua rationi, sua Scripturæ, sua orthodoxæ patrum ecclesiæ fidei auctoritas constabit.* Addidit quidem: *nisi nos erroris convicerint Lutherani fratres.* Sed, cum convincere vos, h. e. bonis rationibus veritatem demonstrare, non sit difficile, facere tamen, ut convictos fateamini vos, nostrum non est; sed DEI, quem, ut faciat, veneramur. Uno verbo moneo, me miratum esse, hic alibique *rationem* Scripturæ Sacræ à Clariss. Vito proponi, quamquam enim in ordine nihil momenti situm, non ab re tamen est suspicio, Vitum non quærere ex Scriptura veritatem, sed quam è ratione petiisse sibi videtur, inferre. Ceterum illico hanc suspicionem abjiciam, ubi intellexero, virum doctum cedere clarissimis dictis, e.g. *de universalitate meriti Christi.*

§. 36. Celeberr. Moshemius merito dolet in Synodo Dordracena durissimas opiniones Supralapsariorum non esse rejectas, neque adeo pacem Sacram iniri cum iis posse, per quos liceat horrenda ista dogmata, salva fra-

fraternitate ecclesiastica, tueri. Ad hæc ita Vitus respondet, ut se Supralapsarium esse citra ambages profiteatur, simulque indicet, se debellatis feliciter præjudiciis eo pervenisse, quo plurimis anniti non liceat, ob ingenii, ut puto, hebetudinem. Ceterum protestatur se, etsi Supralapsarius totus sit, malle tamen ad divini Lutheri exemplum cum *DEO revelato*, loqui. Quæro autem, vir doctissime! quid vult ille DEUS revelatus? Omnium Salutem, nam hoc Scriptura, e.g. 1 *Tim. II.* 4. clarissime dixit. Vultne serio? Sane; nam ludere DEUM non dixeris. Serione vero velle potest, qui media, quibus solis ad salutem perveniri potest, redemtionem filii, gratiam Spiritus Sancti, verbum, &c. non est oblaturus? minime; itaque Paulus eodem loco ad agnitionem veritatis perduci homines velle protestatur. Quid igitur *DEUS absconditus*? vultne his contraria? blasphemum. Sed vult aliqua, quæ nos hac in vita fugiunt; e.g. vult hominis, hujus, illius, quem vidit aspernaturum media salutis constanter, damnationem, reprobationem; vult huic plura, illi pauciora, utrique tamen sufficientia gratiæ media tribuere. Hoc modo, si cum revelato DEO loqueris & absconditum veneraris, Vite! recte facis atque pie. Si alia, quod vereor, mens tua est, non ego quidem debellata præjudicia tibi invideo, sed similis esse nolo.

§. 37. Calumniatoris perſonam, jam in eo eſt Vitus, ut induat pag. 58. præfatus: *Oſtendam primo loco ſalva eſſe Supralapſariorum omnia, ſi iisdem liceat pugnare armis, quibus utuntur Lutherani, quoties ex iniquis conſequentiis erroris à noſtris convincuntur.* Quid ſunt, Vite! iniquæ conſequentiæ? An, quod vox interdum ſignificat, *duræ*, ceterum legitima ratione elicitæ conſequentiæ? an *falſæ*? Si poſterius ſentis, quid opitulaberis Supralapſariorum dogmati, falſa tuens? Si prius; deſine, ubi ſatis diu noſtra dogmata calumniatus es, eo te recipere, ut calumniatum te ſtudio ajas! Porro Vitus ipſis Scripturæ locis idem plane objici poſſe & objectum ab impiis hominibus, ſed & à Paulo graviter refutatum eſſe, oſtenſurus eſt. Neque hic ſubſiſtet, ſed tertio loco Lutheranos, veteres, quarto, quod mireris, hodiernos quoque in Supralapſariis omnes eſſe docebit, ſed hos quidem, cum non debellarint præjudicia in rudibus modo & imperitis. Quinto denique ordine probabit Vitus, *non eadem tantum, ſed plura adhuc iniqua ex Lutheranorum de prædeſtinatione ex infallibili æternaque præſcientia, de peccato originis, divinaque mali permiſſione, ſententiis, conſequi.*

§. 38. Tutine erunt Supralapſarii, ſi iis armis defendentur, quibus Lutherani ſuas tuituri ſententias, uti ſolent? Ita plane credit Vitus, adeoque pag. 59. & 60. expoſita Supralapſariorum ſententia, horribili profecto, ubi

ubi claris verbis docet: *malum, quo non existente, bonum existere non posset, nonnisi DEO volente & decernente, existere*, quibus refutandis alius locus erit; pergit, hæc ideo credenda, quia DEUS sit potentissimus, beatissimus, independentissimus. Porro, quia aliquot Scripturæ dicta *expressissime* mali originem ad sapientissimi numinis arbitrium referre, NB. *videantur.* (itaque, quia Scriptura videtur referre, Vitus reapse refert *malum*, *culpæ* puta, nam de malo *pœnæ* nihil controversamur, ad *volentis & decernentis* DEI, nam de *permissione* pariter nulla lis est, arbitrium.) Si quis ex his Supralapsariorum thesibus consequi dixerit, *DEUM esse injustum & mali autorem*, tum Vitus negat consequi, *ἀκατάληπτα* esse non *ἀσύςατα*, sufficere expressima Scripturæ verba. „Licet componi non possint, utcun-" que tamen istas veritates constare; multa" esse, quæ singula quidem vera esse recte te-" neas: conjungere tamen invicem non" possis; Agi hic de infinitis perfectionibus," quarum rationem omnem ut consequamur" ne fieri quidem possit, per arctis admodum" limitibus circumscriptam nostræ rationis" naturam. Rationem rebellem captivan-" dam esse & vel invitam Scripturæ jugo sub-" jiciendam." Adhuc recitasti, Vite! ea, quibus nos uti fatemur, cum in aliis, tum in capite de sacra cœna. Sed quod assuisti acerbissimum & impium scomma de nostra

in argumento S. cœnæ ſententia, non pacificum produnt animum, maxime, cum ita recites, ut fateri hæc omnia Lutheranos æque ac ſuperiora, putare incautus lector poſſit. Sed ſuperiora illa & à me facile conceſſa, ſi dicerent Supralapſarii, illico diſſipatum iri opinatur Vitus omnes copias Moshemii. Experire ergo Vite! reſpondebimus.

§. 39. Neſcio, qui fiat, ut ſubito mutet mentem Vitus noſter, aliterque aciem inſtituat pag. 61. §. 11. *Verum*, inquit, *cum Lutherani his armis uti non poſſint, quin ſe erroris convictos eo ipſo fateantur*, (immo vero omnibus, quæ §. præcedente poſita ſunt, utuntur Lutherani, neque ſe fatentur ullo modo conſtrictos. Quin tu utere, Vite, iis armis, quæ credimus optima eſſe, ſi putes, te uti poſſe; intempeſtiva eſt tua iſta in Lutheranos clementia) *majori æquitate verſari in hac cauſſa licet Supralapſariis, quo enim ſolent eſſe candore, negant contradictoria eſſe poſſe ſimul vera*, (quaſi non idem negarent Lutherani omnes) *adeoque ſponte largiuntur, aut ſuam hypotheſin eſſe falſam, aut falſas divinæ bonitatis, ſanctitatis juſtitiæ ideas eſſe, quibus illorum adverſarii nituntur.* In his, Vite doctiſſime! candorem in te non deſidero, & tecum certum eſſe ajo, alterutrum horum neceſſario eſſe falſum. In his vertitur diſputationis cardo.

§. 40. Itaque ideas bonitatis, ſanctitatis, juſtitiæ, veracitatis, ſapientiæ divinæ, quas Lu-

Lutherani habent, exponam, & juberi nos in Scriptura eas habere, age demonſtrabo. *Bonitatis & miſericordiæ*, quæ duo vocabula hic unum idemque ſunto, in hominibus, hæc eſt ſignificatio, ut miſericors ſit, qui alterum miſerum eſſe ſerio dolet, & ſi poteſt, facit ratione, quæ ad ſublevandam miſeriam ſufficere queat, ne ſit miſer: Ut vero omnibus viribus, quæ in homine ulla ratione ſunt, ad levandam alterius miſeriam utatur, ſpretis maxime, oblatis, quæ ſufficientia fuerant, mediis; conſtat non requiri. Miſericors enim ſummo jure dicitur, qui ægrotum in via inventum domum vel ſuam, vel hoſpitis publici, perferri curat, quæque ad ſanandum ſufficiant, præbet, quamquam filios interim domi melius veſtiat, melioribus cibis paſcat; nec laudem miſericordis amittit, nec non ſerio hominis incolumitatem voluiſſe cenſendus eſt, ſi hominem, non ſuis utique viribus, ſed oblatis aliunde ſanabilem, ubi is ſemel iterumque vulnera refricuerit ipſe, & mori velle ac ſpernere pharmaca præ ſe tulerit, tandem relinquat. Jam videamus, an hæc miſericordiæ inter homines ratio, atque idea, poſſit debeatque referri ad miſericordiam divinam? Sine ambagibus ajo. Nam ita Chriſtus: *Luc. VI. 36.* γίνεσθε οἰκτίρμονες καθὼς καὶ ὁ πατὴρ ὑμῶν οἰκτίρμων ἐστι. In quem iſta miſericordia exercenda? In malos quoque atque ingratos. vid. *v.* 35. Quid

Quid ergo faciendum sibi putarunt sanctissimi viri, ut hoc mandatum Salvatoris sui sequantur? age videamus! Fecerunt, quod Paulus 2 *Tim. II.* 25. monet: ἐν πραότητι παιδεύοντα τοὺς ἀντιδιατιθεμένους, & *cap. IV.* 2. seq. Κήρυξον τὸν λόγον, ἐπίστηθι εὐκαίρως, ἀκαίρως, κ. τ. λ. Porro, ubi nihil agi manifestum esset, & summa pervicacia pessimi homines conculcarent uniones, fecerunt, quod apostolus fieri vult, *Tit. III.* 10. αἱρετικὸν ἄνθρωπον μετὰ μίαν καὶ δευτέραν νουθεσίαν παραιτοῦ εἰδὼς ὅτι ἐξέστραπται ὁ τοιοῦτος καὶ ἁμαρτάνει ὢν αὐτοκατάκριτος. item, quod Christus jussit, *Matth.* X. 14. Ἐκτινάξατε τὸν κονιορτὸν τῶν ποδῶν ὑμῶν. Hæc omnia, si fecerunt sancti Christi discipuli, ut sane fecerunt, secuti sunt illud mandatum Christi: *Estote misericordes, ut pater vester in cœlo misericors est.* Itaque patris in cœlo hæc est misericordia, ut, quos videt miserrimos, serio velit miseria liberatos, & cum possit liberare, sufficientia media, quibus liberatio posset fieri, suppeditet, vocet homines &c. quos refragari videt pertinaciter, tandem deserat. Hæc est, mi Vite! *misericordiæ divinæ idea*, quam Lutherani habemus, & conformem esse verbo divino certo scimus. Ceterum, idem quod ad *Luc. VI.* 36. dixi, ad alia loca, v.g. 2. *Cor. I.* 3. *Psalm. CIII.* 13. æque facile dici potuisse in aprico est.

§. 41.

§. 41. *Justitia* ea in animis nostris idea est, ut 1) ex legibus, qui leges habet, accurate agat; 2) ut, quæ quis libere promisit, si possit, præstet; 3) neminem malo afficiat, nisi qui pœnam meretur; 4) puniat, si possit, qui meretur. Cum de justitia divina cogitamus, primum, quod dixi, locum non habet, quod nemo sit DEO superior, à quo leges DEO observandæ proficisci possint. Cetera omnia in justitia divina quærunt Lutherani, ita quidem, ut verum esse DEUM negent, qui 1) quæ promisit se facturum, ita, ut promisit, non præstiterit; 2) qui innocentem puniverit; 3) qui nocentem non puniverit. Superest, ut videamus, an Scriptura S. illas nobis ideas de justitia divina ingeneret? *Num. XXIII.* 19. Bileami, sed à Spiritu S. ingesta verba, cum quibus e.g. 2. *Sam. XV.* 29. *Tit. I.* 2. aliaque infinita consonant, hæc sunt: *Num dicet, & non faciet? loquetur, neque sistet?* אמר ולא יעשה ודבר ולא יקימנה: Qui hoc loco clarius aliquid postulat, ei puto nihil sufficere. Reliqua duo clarissime extant, cum alibi, tum *Ezech. XXXIII.* 17. 18. 19. 20. Cujus verba è versione Junio-Tremelliana recitabo. *Interea dicunt populares tui: non est æqua via Domini, cum ipsorum, ipsorum via non sit æqua. Quum avertit se justus à justitia sua & facit iniquitatem, etiam moritur in istis. Quum autem avertit se improbus ab improbitate sua, & exercet judicium & justitiam; in his ipse vivit. Et*

dicitis:

ſimus. Unde acerrimo viro, tanta ſubito benignitas? Bene ſe omnia habent Vite! ubi abrogaveritis Synodo autoritatem, quod faciendum eſſe, ſi pacem coaleſcere velitis, quam boni omnes ardentiſſimi cupiunt, venerandus Moshemius, tota ſua conſultatione docuit. Sin ſacro-ſancta vobis, vt adhuc fuit, autoritas Synodi eſt, eaque Synodo nos, quod hoc loco tantiſper ponis factum, damnati ſumus, dic quæſo! doctiſſime Vite! qui nos *contradictionibus paſci* ais, quomodo ſimul & *benigne* de Lutheranorum eorundem eadem doctrina ſentire, & *dure ac rigide* cum Synodo decernere poſſis. Ita velim vir bonus haberi, ut, qui hæc ſimul fieri poſſint, non capio.

§. 33. Extrema pag. 52. Vitus ea dixit, quæ hominem imperitum in maximum odium Cypriani, Gothani Theologi, plane venerabilis inducere poſſint, hic non ſilenda. *Indigna ſane Chriſtiano homine ea ſententia mihi videtur, qua doctiſſimus Cyprianus tuetur, vel eo nomine pacem nobiscum iniri non poſſe, ſi maxime ſcil. in fidei fundamento non erraremus; quia alias eccleſiæ Lutheranæ patres in rixatoribus habendi eſſent, quod nobiscum pacem colere detrectaverint.* Videtur & mihi, & Cypriano ipſi, ut in fronte libri von der Kirchl. Vereinigung graviſſimis verbis proteſtatus eſt, ſententia talis Chriſtiano homine indigna, ſed & hoc indignum homine Chriſtiano, alteri ſententiam talem temere affingere.

gere. Cur in tam gravi accuſatione omittis locum laudare, quo doctiſſimus Cyprianus talia docuerit? In lectoris gratiam huc deſcribam locum Cypriani. Unterricht von Kirchlicher Vereinigung pag. 347. edit. 1722.: Ich wollte den Frieden unter denen Proteſtanten durch GOttes Gnade mit meinem Tode erkauffen, wenn die Reformirten in denen Haupt-Puncten GOttes Eidſchwüren, auch Chriſti Thränen und klaren Worten glauben möchten: Demnach iſt es unnöhtig zu fragen, ob ich denn das Gezäncke immer wolle fortgeſetzt wiſſen? Denn wo es in meinem Willen gienge, ſo würde überall kein Zanck in der Welt gefunden werden. Nachdem wir aber die Göttliche Wahrheit vor uns haben, deren Vertheidigung uns auf unſere Seele gebunden iſt; ſo verabſcheue ich zwar alles Gezäncke und Bitterkeit, bevorab in Chriſti Schule dergleichen Fleiſches-Wercke ohnmöglich Platz haben können, und dannenhero rahte ich allezeit zur Sanfftmuht, geſetzt, daß man auch mit Juden oder Türcken zu thun bekäme. Aber ich habe darbey vor Chriſtum ſo viel Liebe, auch für die abgelebte redliche Fürſten, Staats-Leute und Theologen ſo viel Reſpect, daß ich in keinen Frieden geheelen kan, der ſowol jenes beſchwohrne Lehre aus gantzen Ländern jagen, als dieſe, welche doch in den gefährlichſten Zeiten Leib und Leben vor die Wahrheit gewaget, und ihren Richter ſchon gefunden haben, in ihren Gräbern mit dem Titul der Zäncker verunehren würde. Si hic, Vite! locus eſt Cypriani, in quem digitum intendis,

intendis, vereor, ne malæ fidei ab æquissimis hominibus damneris, si pag. 370. idem prorsus eveniet; si alium vis, reus calumniarum eris, dum protuleris.

§. 34. Pag. 53. *sufficere putat nobis* Vitus, *si Reformati publice fateantur, se nos in fidei sociis habere, aliam abrogationem Synodi minus esse necessariam. Quemadmodum vicissim ipsi à nobis non postulent abrogationem librorum nostrorum Symbolicorum, modo Lutherani publice profiteantur, se mitius de mutui dissensus momento, accuratius, quam à patribus suis factum, perpensis caussæ momentis, jam sentire.* Hoccine vero, ô bone! non est abrogare Formulam Concordiæ? Prima, quam pacis, si qua futura esset, legem esse vis, hem quam illa est vel iniqua vel obscura? Sic ais: *Sancita sacra piæ ἀμνηστίας lege, quæ iniquius utriusque partis libri Symbolici de alterius partis erroribus constituerunt, ea abrogata existimantor. In ceteris vero sarta atque tecta librorum, quos utraque pars in Symbolicis censet, autoritas esto.* Obscuram hanc dixi legem, nam quisque pro suo sensu æqua iniquave censebit in libris Symbolicis, quæ volet; quanta vero hæc confusio? aut si hæc mens sit minime ambigua; licere unicuique in iniquis censere, quæ velit, annon hæc iniquissima lex, qua summa confusio studio inveheretur?

§. 35. Fac obtinere Vitum à suis posse, quod amplissimis verbis Moshemio pag. 44. promittit, de quo quidem multos puto haud

haud immerito dubitaturos: *Quodsi igitur publico nomine certiorem me fecerit Clariss. Moshemius, per hoc unum stare, quo minus bonis omnibus exoptata pax aliquando constituatur; facile ego à nostris omnibus impetrabo, ut publico decreto sancituri sint, non alio nomine Arminianos illos quinque articulos cum fidei salutaris fundamento pugnare, aut adfirmavisse Dordracenos Patres, aut adfirmare debuisse, quam quo ex Lutheranis, quotquot sapiunt, eosdem Pelagianismi rectè arguunt.* Ista inquam, omnia, si obtineret Vitus, nihil tamen maximo studio egisset. Nam, ut omittam voces: *Quotquot sapiunt*, caussam plane perdere, continuo enim, si quis nostratium, aliquid contra monuerit, dicetis, *hunc non sapere*; nec multis repetam non ipsa verba quinque articulorum, sed nostram verissimam doctrinam claris verbis rejectam esse. Non sufficit, nos hodie à Vobis non putari in fidei fundamento errare, neque hoc beneficii loco à vobis accipimus, qui per DEI gratiam de veritate convicti sumus: Sed vestros errores non tangere fidei fundamentum, utinam per conscientiam liceret profiteri. Ridendos censes p. 55. illos, qui, cum Moshemio, Cypriano, Lœschero, sartam tectamque velle videntur suorum librorum Symbolicorum autoritatem, vestorum destructam: Ego vero, mi Vite! non rideo illos, sed doleo, qui, cum veritati cedere nolint, ipsa ejus pacis, quæ veritati noxia esset, oblatione

tione molesti sunt: Quin potius precamur DEUM, ut illustret corda hominum errantium? Quod ubi factum fuerit, tum pax utilis coalescet. Conviciis, quæ in optimos viros more tuo effundis, nullum hic locum concedo. Ceterum ea, quæ p. 56. de Sancta sibi autoritate Synodi peroravit noster, monstrant, quantum spei de pace per Vitum supersit. *Nostra*, inquit, *tuemur, & nunquam non tuebimur, quoad sua rationi, sua Scripturæ, sua orthodoxæ patrum ecclesiæ fidei auctoritas constabit.* Addidit quidem: *nisi nos erroris convicerint Lutherani fratres.* Sed, cum convincere vos, h. e. bonis rationibus veritatem demonstrare, non sit difficile, facere tamen, ut convictos fateamini vos, nostrum non est, sed DEI, quem, ut faciat, veneramur. Uno verbo moneo, me miratum esse, hic alibique *rationem* Scripturæ Sacræ à Clariss. Vito proponi, quamquam enim in ordine nihil momenti situm, non ab re tamen est suspicio, Vitum non quærere ex Scriptura veritatem, sed quam è ratione petiisse sibi videtur, inferre. Ceterum illico hanc suspicionem abjiciam, ubi intellexero, virum doctum cedere clarissimis dictis, e.g. *de universalitate meriti Christi.*

§. 36. Celeberr. Moshemius merito dolet in Synodo Dordracena durissimas opiniones Supralapsariorum non esse rejectas, neque adeo pacem Sacram iniri cum iis posse, per quos liceat horrenda ista dogmata, salva fra-

fraternitate ecclesiastica, tueri. Ad hæc ita Vitus respondet, ut se Supralapsarium esse citra ambages profiteatur, simulque indicet, se debellatis feliciter præjudiciis eo pervenisse, quo plurimis anniti non liceat, ob ingenii, ut puto, hebetudinem. Ceterum protestatur se, etsi Supralapsarius totus sit, malle tamen ad divini Lutheri exemplum cum *DEO revelato*, loqui. Quæro autem, vir doctissime! quid vult ille DEUS revelatus? Omnium Salutem, nam hoc Scriptura, e. g. 1 *Tim. II.* 4. clarissime dixit. Vultne serio? Sane; nam ludere DEUM non dixeris. Serione vero velle potest, qui media, quibus solis ad salutem perveniri potest, redemtionem filii, gratiam Spiritus Sancti, verbum, &c. non est oblaturus? minime; itaque Paulus eodem loco ad agnitionem veritatis perduci homines velle protestatur. Quid igitur *DEUS absconditus*? vultne his contraria? blasphemum. Sed vult aliqua, quæ nos hac in vita fugiunt; e. g. vult hominis, hujus, illius, quem vidit aspernaturum media salutis constanter, damnationem, reprobationem; vult huic plura, illi pauciora, utrique tamen sufficientia gratiæ media tribuere. Hoc modo, si cum revelato DEO loqueris & absconditum veneraris, Vite! recte facis atque pie. Si alia, quod vereor, mens tua est, non ego quidem debellata præjudicia tibi invideo, sed similis esse nolo.

E 5 §. 37.

§. 37. Calumniatoris personam, jam in eo est Vitus, ut induat pag. 58. præfatus: *Ostendam primo loco salva esse Supralapsariorum omnia, si iisdem liceat pugnare armis, quibus utuntur Lutherani, quoties ex iniquis consequentiis erroris à nostris convincuntur.* Quid sunt, Vite! iniquæ consequentiæ? An, quod vox interdum significat, *duræ*, ceterum legitima ratione elicitæ consequentiæ? an *falsæ*? Si posterius sentis, quid opitulaberis Supralapsariorum dogmati, falsa tuens? Si prius; desine, ubi satis diu nostra dogmata calumniatus es, eo te recipere, ut calumniatum te studio ajas! Porro Vitus ipsis Scripturæ locis idem plane objici posse & objectum ab impiis hominibus, sed & à Paulo graviter refutatum esse, ostensurus est. Neque hic subsistet, sed tertio loco Lutheranos, veteres, quarto, quod mireris, hodiernos quoque in Supralapsariis omnes esse docebit, sed hos quidem, cum non debellarint præjudicia in rudibus modo & imperitis. Quinto denique ordine probabit Vitus, *non eadem tantum, sed plura adhuc iniqua ex Lutheranorum de prædestinatione ex infallibili æternaque præscientia, de peccato originis, divinaque mali permissione, sententiis, consequi.*

§. 38. Tutine erunt Supralapsarii, si iis armis defendentur, quibus Lutherani suas tuituri sententias, uti solent? Ita plane credit Vitus, adeoque pag. 59. & 60. exposita Supralapsariorum sententia, horribili profecto, ubi

ubi claris verbis docet: *malum*, *quo non existente*, *bonum existere non posset*, *nonnisi DEO volente & decernente*, *existere*, quibus refutandis alius locus erit; pergit, hæc ideo credenda, quia DEUS sit potentissimus, beatissimus, independentissimus. Porro, quia aliquot Scripturæ dicta *expressissime* mali originem ad sapientissimi numinis arbitrium referre, NB. *videantur*. (itaque, quia Scriptura videtur referre, Vitus reapse refert *malum*, *culpæ* puta, nam de malo *pœnæ* nihil controversamur, ad *volentis* & *decernentis* DEI, nam de *permissione* pariter nulla lis est, arbitrium.) Si quis ex his Supralapsariorum thesibus consequi dixerit, *DEUM esse injustum & mali autorem*, tum Vitus negat consequi, ἀκατάληπτα esse non ἀσύστατα; sufficere expressima Scripturæ verba. „Licet componi non possint, utcunque tamen istas veritates constare; multa esse, quæ singula quidem vera esse recte teneas: conjungere tamen invicem non possis; Agi hic de infinitis perfectionibus, quarum rationem omnem ut consequamur ne fieri quidem possit, per arctis admodum limitibus circumscriptam nostræ rationis naturam. Rationem rebellem captivandam esse & vel invitam Scripturæ jugo subjiciendam." Adhuc recitasti, Vite! ea, quibus nos uti fatemur, cum in aliis, tum in capite de sacra cœna. Sed quod assuisti acerbissimum & impium scomma de nostra in

in argumento S. cœnæ ſententia, non pacificum produnt animum, maxime, cum ita recites, ut fateri hæc omnia Lutheranos æque ac ſuperiora, putare incautus lector poſſit. Sed ſuperiora illa & à me facile conceſſa, ſi dicerent Supralapſarii, illico diſſipatum iri opinatur Vitus omnes copias Moshemii. Experire ergo Vite! reſpondebimus.

§. 39. Neſcio, qui fiat, ut ſubito mutet mentem Vitus noſter, aliterque aciem inſtituat pag. 61. §. 11. *Verum*, inquit, *cum Lutherani his armis uti non poſſint, quin ſe erroris convictos eo ipſo fateantur*, (immo vero omnibus, quæ §. præcedente poſita ſunt, utuntur Lutherani, neque ſe fatentur ullo modo conſtrictos. Quin tu utere, Vite, iis armis, quæ credimus optima eſſe, ſi putes, te uti poſſe; intempeſtiva eſt tua iſta in Lutheranos clementia) *majori æquitate verſari in hac cauſſa licet Supralapſariis, quo enim ſolent eſſe candore, negant contradictoria eſſe poſſe ſimul vera*, (quaſi non idem negarent Lutherani omnes) *adeoque ſponte largiuntur, aut ſuam hypotheſin eſſe falſam, aut falſas divinæ bonitatis, ſanctitatis juſtitiæ ideas eſſe, quibus illorum adverſarii nituntur.* In his, Vite doctiſſime! candorem in te non deſidero, & tecum certum eſſe ajo, alterutrum horum neceſſario eſſe falſum. In his vertitur diſputationis cardo.

§. 40. Itaque ideas bonitatis, ſanctitatis, juſtitiæ, veracitatis, ſapientiæ divinæ, quas Lu-

Lutherani habent, exponam, & juberi nos in Scriptura eas habere, age demonstrabo. *Bonitatis & misericordiæ*, quæ duo vocabula hic unum idemque sunto, in hominibus, hæc est significatio, ut misericors sit, qui alterum miserum esse serio dolet, & si potest, facit ratione, quæ ad sublevandam miseriam sufficere queat, ne sit miser: Ut vero omnibus viribus, quæ in homine ulla ratione sunt, ad levandam alterius miseriam utatur, spretis maxime, oblatis, quæ sufficientia fuerant, mediis; constat non requiri. Misericors enim summo jure dicitur, qui ægrotum in via inventum domum vel suam, vel hospitis publici, perferri curat, quæque ad sanandum sufficiant, præbet, quamquam filios interim domi melius vestiat, melioribus cibis pascat; nec laudem misericordis amittit, nec non serio hominis incolumitatem voluisse censendus est, si hominem, non suis utique viribus, sed oblatis aliunde sanabilem, ubi is semel iterumque vulnera refricuerit ipse, & mori velle ac spernere pharmaca præ se tulerit, tandem relinquat. Jam videamus, an hæc misericordiæ inter homines ratio, atque idea, possit debeatque referri ad misericordiam divinam? Sine ambagibus ajo. Nam ita Christus: *Luc. VI. 36.* γίνεσθε οἰκτίρμονες καθὼς καὶ ὁ πατὴρ ὑμῶν οἰκτίρμων ἐστί. In quem ista misericordia exercenda? In malos quoque atque ingratos. vid. *v.* 35.

Quid

§. 41. *Justitiæ* ea in animis nostris idea est, ut 1) ex legibus, qui leges habet, accurate agat; 2) ut, quæ quis libere promisit, si possit, præstet; 3) neminem malo afficiat, nisi qui pœnam meretur; 4) puniat, si possit, qui meretur. Cum de justitia divina cogitamus, primum, quod dixi, locum non habet, quod nemo sit DEO superior, à quo leges DEO observandæ proficisci possint. Cetera omnia in justitia divina quærunt Lutherani, ita quidem, ut verum esse DEUM negent, qui 1) quæ promisit se facturum, ita, ut promisit, non præstiterit; 2) qui innocentem puniverit; 3) qui nocentem non puniverit. Superest, ut videamus, an Scriptura S. illas nobis ideas de justitia divina ingeneret? *Num. XXIII.* 19. Bileami, sed à Spiritu S. ingesta verba, cum quibus e.g. 2. *Sam. XV.* 29. *Tit. I.* 2. aliaque infinita consonant, hæc sunt: *Num dicet, & non faciet? loquetur, neque sistet?* אמר ולא יעשה ודבר ולא יקימנה: Qui hoc loco clarius aliquid postulat, ei puto nihil sufficere. Reliqua duo clarissime extant, cum alibi, tum *Ezech. XXXIII.* 17. 18. 19. 20. Cujus verba è versione Junio-Tremelliana recitabo. *Interea dicunt populares tui: non est æqua via Domini, cum ipsorum, ipsorum via non sit æqua. Quum avertit se justus à justitia sua & facit iniquitatem, etiam moritur in istis. Quum autem avertit se improbus ab improbitate sua, & exercet judicium & justitiam; in his ipse vivit. Et*

dicitis:

dicitis: non est æqua via Domini, quemque secundum vias suas judicabo vos. O domus Israëlis. Ita cum David *Psalm. XI. 7.* ait: צדיק והוה צדקות אהב intelligi sane voluit, at non potuit intelligi, nisi haberemus communem aliquam & veram justitiam, cum divinæ, tum humanæ ideam.

§. 42. Verax in hominibus dicitur, qui ea voce vel gestu significat, quæ credit esse vera, atque adeo, nisi ipse aliunde deceptus sit, neminem decipit. Eadem est penitus veracitatis divinæ idea, & ratio, ita ut DEUS non sit, qui aliud verbis præ se ferat, aliud secum premat. Hoc Lutherani credunt, præeunte Scriptura, quod, tametsi omnia, quæ de justitia divina dicta sunt, huc pertinent, speciatim tamen probasse non ab re erit. *Rom. XV. 8.* ὑπὲρ ἀληθείας Θεοῦ εἰς τὸ βεβαιῶσαι τὰς ἐπαγγελίας τῶν πατέρων. Quænam *hæc veritas DEI?* Nimirum, ut, quæ ore prophetarum & apostolorum prodit, secum præstare decernat, & justo statutoque tempore ipsa re præstet. Confer & expende *Psalm. LXXXIX. 2. 3. 6. 9.*

§. 43. Sanctitas in homine complectitur officia circa se ipsum, quibus id agunt pii, ut, quantum fieri potest, nam perfecta sanctitas hujus vitæ non est, ab omni vitio & imperfectione alieni deprehendantur. Eadem est plane idea sanctitatis divinæ, quam B. Buddeus, non improbante Vito, Institut.

Theol.

Theol. dogmat. p. 252. ita explicat: *Quando DEUS se ipsum amore purissimo amare concipitur, ut simul ab omni imperfectione remotus, secretus, separatus censeatur, amor ille vocatur sanctitas.* Eandem vero ideam capiendam esse Petrus docet, 1. *Ep. I*, 15. 16. quem locum Beza ita vertit: *Sed, sicut is, qui vos vocavit, sanctus est, ipsi quoque sancti in omni conversatione reddamini. Propterea quod scriptum est: Sancti estote, nam ego sanctus sum;* plura non addo.

§. 44. *Sapientia* in hominibus vocatur, cum bonum à malo discernendi facultas, tum vero, notione cum *prudentia* communi, ea facultas, qua aliquis finem optatum commodis mediis nancisci potest. Hujus, cum in homine vix umbra existat, in Deo vero sapientia & prudentia sit eminentissima, porro, homo, certis modis, si assequi finem velit, necessario procedere debeat; DEUS omnibus modis ad finem pertingere possit: lubens largior, & observari studiose velim, non esse ita eandem rationem & ideam sapientiæ divinæ humanæque, ut omnino esse eandem in ceteris virtutibus, adhuc demonstratum est, cum propriè loquendo, sapientia non virtus aliqua, sed summa intellectus præstantia sit. Itaque Deus μόνος σοφὸς vocatur 1. *Tim. I*, 17. *Esaiæ* vero *cap. LV*, 8. 9. ipse ait: *Cogitationes meæ non sunt cogitationes vestræ, nec viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus. Sed quantum cælum altius est terra, tantum viæ meæ sunt al-*

F tiores

tiores viis vestris, & cogitationes meæ cogitationibus vestris. Potest quidem de ceteris quoque e. g. de *bonitate* Dei dici, non esse ut bonitatem hominum, nempe quia homines per peccatum mali sunt; sed manet tamen eadem idea bonitatis, etiamsi apud homines revera ita non existat. Sapientia vero, qualis in Deo est, non modo non existit in homine, sed nec idea earum rationum, quibus Deus agit, in nostro intellectu est, præter generalissimam, attingi scopum, quem vult Deus. vid. *Psalm. CXXXIX, 6.*

§. 45. His ita expositis, merito à Vito postulo, ut, cum certum sit, bonitatis, justitiæ, sanctitatis divinæ non aliam esse debere, quam quæ nostra est, ideam, abjicere adamatas Supralapsariorum hypotheses ne cunctetur. Ceterum, quando p. 61. extrema, Vitus ad *bonitatem* Dei secundum Lutheranos, requiri perhibet, ut optima quæque suis creaturis — *quantum in ipso est*, non possit non efficere, jam observatum est omnes vires adhibendas in homine invito servando, ad bonitatis ideam non pertinere. Porro, cum Vitus p. 62. dicit: *Quodsi tanta est Deus sanctitate, ut ne magis quidem abhorrere possit ab omni mali existentia: ea decernere non poterat, cum quibus tot tantaque scelera necessario nexu conjunctissima esse intelligebat.* Captiose loquitur. Non enim, vel Lutherani, vel ipsa etiam Scriptura sanctitatem Dei in eo ponit, quod à *mali existentia*

tia maxime abhorreat, ita enim nec permitti potuiſſet malum, ſed quod abhorreat à *mali approbatione. Pſalm. V, 5. Tu non es DEUS, cui malitiâ placeat.* לא אל חפץ רשע אתה. Sed & hoc rectiſſime ſequitur: Qui quam vehementiſſime abhorret ab approbatione mali, ea decernere non poterat, cum quibus tot tantaque ſcelera neceſſario nexu conjunctiſſima eſſe intelligebat. Hinc decreviſſe Deum, ut malum fieret, nulla ratione dici poſſe credimus.

§. 46. Videamus, qua ratione Vitus ſatagat probare, falſiſſimas eſſe, ſi propius ſpectentur, quibus adverſarii, Lutherani, utuntur, harum divinarum perfectionum ideas. Negat, quod nos probatum dedimus, Scripturæ ſacræ eas convenire, *quoties Deus dicitur malorum animos movere, ad odium populi ſui. Pſalm. CV, 25.* Reſp. verbis Wolfgangi Muſculi, Theologi Bernatis ad hunc ipſum pſalmi locum. p. 878. edit. 1573. Baſil. *Sed quæritur hic: quomodo Deo tribui poſſit, quod corda mortalium ab eo, quod bonum eſt, ad malum & iniquum vertat, præſertim à dilectione populi ſui ad illius odium? Non eſt hoc Dei, ut, quæ bona ſunt, juſta & æqua, vertat in mala, injuſta & iniqua, hoc eſt, ut ex bonis, juſtis & æquis hominibus faciat reprobos, injuſtos & iniquos. Illi, quorum corda Deus ad hoc vertit, ut odio populum ſuum proſequerentur, boni non erant, nec vera & ſincera erat dilectio, qua antea Iſraëlitas erant proſecuti. Erant homines carnales, mali*

& reprobi. Non mutavit eos, sed malitiam cordis eorum detexit, & in lucem produxit. Cor rectum non pervertit: sed perversum, ne rectum videatur, patefacit. Hæc perversio erat ex eo, quod populo Israëlis multiplicationem & corroborationem invidebat, invidia felicitatis alienæ manifestum argumentum habet cordis non sincerè amantis. Quamquam Kimchi ebræus etiam sic legi posse putat, hanc particulam, ut verbum הפך *non active, sed passive legatur, idemque esset, ac si diceret* נהפך לבכם *i. e. conversum est cor eorum. Verum non est opus isto effugio.* Ita instituit Helvetius, minime tibi Vite! spernendus doctor. Quod nisi Lutherani nostri non tam obtuso ingenio uti tibi viderentur, Glassium nostrum laudassem, ad quem & Geierus remittit & exempla commendassem inspicienda: *Gen. XLII*, 38. *Gen. XLIII*, 4. *Exod. XXIII*, 8. *Deut. I*, 26. 2. *Sam. XII*, 14. *&c.* Reliqua loca, quæ opponis Vite! strictius vindicabo. *Esaiæ XIX*, 14. Quid mirum impiis Israëlitis eripi à Deo, quam sibi videbantur habere, prudentiam? Ad locum *Jes. LXIII*, 17. jubeo te Glassium videre, nam vocem, quæ *efficere* significat, sæpe interpretandam esse pro *permissione*, inter Philologiæ sacræ studiosos caret dubio. 2. *Thess. II*, 11. misit Deus ἐνέργειαν πλάνης. Respondetur 1) de pervicacibus hominibus sermo est, quibus Deus veritatem, quin & amorem veritatis obtulerat, quosque salvatos voluerat, ut adeo incaute hic locus pro tua caussa lau-

laudetur, quam penitus evertit. 2) Si *mittere* aliud, quam dispositionem occasionum, quibus homo in interitum suum abutitur, significat, non potes effugere, quin *peccati autorem* Deum dicas, quod tamen supralapsarii tui & merito quidem haud sustinent dicere. *Rom. XI*, 3. hui, quam inconcinne huc rapitur! cum sensus manifestus sit: *DEUM omnia complexum esse sub peccato*, non ut *faciat*, sed ut *demonstret* omnes peccatores. 1. *Petr. II*, 8. supersedisses laudare, si Gerhardum in eum locum consuluisses, εἰς ὃ ἐτέθησαν. Fac, quod mihi videtur falsissimum, eum esse sensum: *positos esse ad interitum*, superesset quærere: *A quo sint positi?* Quæstionem movit Aretius, haud ignobilis inter vestrates, interpres; atque ita solvit: minime à DEO, nullius mali autore, sed à Satana & innata malitia positos esse. Ceterum, vera mihi videtur, quod aliter explicantibus fraudi nolim esse, sententia: *Non credunt illi*, in quo repositi sunt, hoc est columini suo, cui maxime fidendum fuerat, diffidunt. De voce καὶ hic inserta, græce doctis nulla erit cura, quibus eundem usum frequentissimum esse constat. De *Exod*, *IV*, 21. & *Rom. IX*, 17. quæ loca nemo minus quam Vitus noster intelligit, agetur paullo post ex instituto. Locum 2. *Sam. XXIV*, 1. cur huc trahis, Vite clarissime! Ignorastine 1. *Paralip. XXI*, 1. qui locus alteri parallelus est, autorem pravæ sugge-

 stionis

ſtionis in loco Samuelis tacitum ſuo nomine appellari *Satanam.* 2. *Sam. XVI*, 10. quis credet Davidis eam mentem eſſe, ut proprie præcepiſſe Deum ingens flagitium putaverit, ſed quod ſpecialis Dei providentia ingenio peſſimo Simei uſa eſſet ad humiliandum Davidem, ita ſignificanter loqui Davidi placuit. *Joh. XIII*, 27. Itane, quem tam blande à peccato retrahere ſtuduit, ipſe in peccatum impulit, aut cum vir conſtans irruentes in ſe percuſſores ferire jubet, quando ita velint, autorne cædis vel ſuaſor vel approbator habebitur. 1. *Reg. XXII*, 23. ita clare de permiſſione, in peſſimi regis exitium agit, ut verbum addere nolim. Saltem laudaſſes loca, quæ ſane extant, paululum difficiliora. *Jeſ. VI*, 10. horrenda judicia Dei de excœcandis contemtoribus verbi habentur, at inde non ſequitur, noluiſſe Deum, & ſerio quidem eorum ſalutem, ut ex iis, quæ de notione *Bonitatis* expoſui, patet. Porro excœcatio, non eſt tenebrarum offuſio, ſed luminis ademtio, nam illa, cum homines mali, per ſe meræ ſint tenebræ, nec opus eſt. Ad *Act II*, 23. verbo reſpondeo. Senſus palam eſt. Chriſtus divino conſilio & præſcientia tradendus erat ἔκδοτος manibus impiorum. Quid vero inde ſequitur? Facultatem Chriſtum rapiendi ad mortem non negatam eſſe à Deo ſcimus & fatemur omnes, ſed ab eodem Deo impulſos eſſe latrones, ut raperent, nec ſcriptura

dixit,

dixit; neque nos credimus. *Prov. XVI, 3. dies malus* significat *malum pœnæ*, ad hoc vero homines malos constitui, quid mirum? Ceterum de hoc loco ad vindicias tuas agendum esse paucis video.

§. 47. Ita nulla arte, qua nec nos utimur, nec adversus Vitum, minime bonum Philologum, opus est, multo minus illa violentia, vindicavimus loca, quæ non selegisse, sed corrasisse Clar. Vitus videtur. Facile fuerat ex aliquibus eorum jugulare supralapsarium dogma, quod tueri debuerant. Sed jam tempus est de vexato loco, *ep. ad Rom. cap. IX.* sententiam meam caste & verecunde dicere, non enim puto à præstantissimis licet Theologis nostratibus antiquis, ubique satis bene expositum, non quasi vel impii vel falsi quidquam in re docuissent, sed quod sensum apostoli, alias probum hic putassent esse, qui non erat.

§. 48. Multa, quod vera fides solet, de firmitate promissionum divinarum Apostolus cap. 8. prædicaverat. Qui potuit non recurrere in memoriam miserrima populi Judaici, quæ & tum fuit, & hodie, proh dolor! est, conditio? unde prona, licet falsa, consecutio est: Non stetisse Deum amplissimis promissionibus, isti populo factis, & contra, mutato consilio, pro rejectis libere Israëlitis, gentes adhuc contemtas prætulisse. Itaque apostolus, postquam primis quinque com-

matibus dolorem ſuum & gravitatem rei, porro amplitudinem beneficiorum olim in gentem Judaicam congeſtorum expoſuiſſet, negat vere elici inde poſſe, quod putabatur, *oblitum nempe Deum ſuarum promiſſionum eſſe*. v. 6. Nam ampliſſima iſta non omnibus promiſſa eſſe, qui præclaro nomine *ſeminis Abrahæ* abutantur, cum ſolo ſanguine eum contingant, ceterum fide deſeruerint; eos potius, quos prævidiſſet Deus *in fide Abrahæ ambulaturos*, ipſique adeo ut genuinos filios promiſiſſet, in hoc ſemine cenſendos, uno verbo: ad *promiſſionis filios*, præclaras promiſſiones pertinere. Objici ſibi poſſe videt Paulus atque ideo occupat v. 9. Judæos omnes promiſcue *filios promiſſionis* dici commode poſſe, neque adeo quemquam eorum excludendum videri, nam promiſſoria iſta verba *Gen. XIX*, 10. 14. fuiſſe, quibus Iſaacus promiſſus eſt, cujus æque omnes filii ſint, neque hoc loco *Geneſeos* ſolo niti communem Judæorum omnium prærogativam, potius, ne quis cavilletur, ita eodem modo promiſſiones ad Edomitas quoque pertinere, cum Rebecca v. 10. 11. 12. 13. ex uno marito eodem utero, duplicem fœtum geſtaret, plane pro arbitrio Dei promiſſiones Jacobo Judæisque adeo, qui ab ipſo deſcenderent, omnes vindicatas, rejecto Eſavo ac poſteris. Et in his quoque Deum, quicquid agant faciantve homines, non videri conſiderare. Eo igitur omnia,

quæ

quæ ex mente queruli alicujus, apoſtolus inde à v. 9. occupavit, collineant. 1) Judæos ſine ratione, immeritos eſſe repudiatos. 2) Hunc eſſe ſupremi Numinis morem, ut, quicquid homines agant, quos nolit habere, rejiciat.

§. 49. Hæc vero, ut ita ſe habere, quemadmodum expoſui, evincam, non dicam, ſi hæc ex ipſius apoſtoli mente accipiantur, palam contradici reliquæ ſcripturæ univerſæ, quæ ita clare *abſoluto decreto* ubique repugnat, ut clarius nihil eſſe poſſit; ſcio enim, mihi hic cum ſupralapſario doctore rem eſſe, qui ſumi, quod diſceptatur, illico clamabit. Sed ex ipſis textus viſceribus luculenter docebo, non eſſe ipſius Pauli mentem. Nam 1) *verſibus* 6. 7. 8. in aprico eſt defendere apoſtolum promiſſionum divinarum conſtantiam, quæ non labefactata ſit, exciſis licet plurimis Judæorum, hos enim non fuiſſe *filios promiſſionis*. Hoc ipſum, ſi τὸ γὰρ *cauſſale* eſt, & apoſtolus ex ſua mente loqui pergit, demonſtrandum hoc ipſo commate fuerat. At è *Geneſ. XVIII*, 10. 14. non demonſtrari poteſt, paucos tantum Judæos eſſe filios promiſſionis, cum *a*) iſta promiſſio non ſit ſpiritualis, *b*) ſi eſſet etiam, minime appareat, ad aliquos tantum ex Iſaaco gignendos pertinere, ſed contrarium potius videatur ſequi. Quæ enim Iſaaco promiſſa forent, merito derivanda cum ipſo ſanguine ad poſteros omnes videri

 poſſent.

possent. 2) Si, quod falsum est, voluisset apostolus his commatibus thesin suam de constantia promissionis divinæ erga veros Abrahæ filios h. e. credentes, demonstrare, quid huc pertinebat locus *Gen. XXV*, 23. qui locus ampliorem conditionem Jacobi posteris quam Esavi, vaticinatur, quæ res ad electionem vel reprobationem non est referenda, & si, quod quin fiat, intercedere nolo, in spiritualibus quoque prærogativa Jacobi posteris prædicatur, exclusos tamen omnes Esavi posteros à fœdere gratiæ nemo dixerit; dicendum autem foret, si ea, quam volunt interpretes, mens Apostoli esset. Idem plane sentiendum, de loco *Malach. I*, 2. ubi discrimen, quod Deus inter utrumque populum fecisset, ad terrena beneficia clarissime refertur. Itaque nihil ex his locis colligere pro sua demonstranda thesi potuit apostolus, neque adeo colligere voluisse censendus est; contra *queruli* objectio, non solida illa quidem, nam paullo post refutabitur, sed specietenus tamen inde formari potuit. 3) Videbimus luculenter, Paulum ad ipsa hæc loca Scripturæ, collectasque inde objectiones accurate respondisse, ut adeo minus bene dicatur ea ex sua mente posuisse, quæ mox solide refellit. Ceterum particulam γὰρ sæpissime esse *objicientis* & *excipientis*, indubium est. Exemplorum, quod satis est, colligitur à me in Observatt. S. S. ex Isocrate. Vid. *Act. XVI*, 37.

§. 50.

§. 50. Pergamus, si placet. Interpellat Apostolus hunc, quem objicientem sibi, quasi præsentem stiterat μεμψιμοιρον v. 14. *Quid ergo dicemus?* quo istæ tuæ criminationes tendunt? Num injustitiæ accusabis Deum? hoc vero absit! Pergere vero patitur eundem v. 15. ubi locus *Exod. XXXIII*, 19. laudatur, cujus clara significatio est in ebræo codice, nempe *Deum, cujus cœpit misereri ejus porro misertu rum.* In græca versione haud diffitendum, ita posita verba esse, ut aliquam speciem præbeant, arbitrii divini, pro summa sua libertate, non consideratis, quæ ab homine fiunt, agentis. Igitur, qui potuerint hæc verba ab Apostolo, cujus thesin vidimus, pro illa demonstranda thesi laudari, non dixeris. Neque minus abludit à scopo Pauli sequela illa v. 16. *Non est igitur volentis neque currentis, sed miserentis Dei.* Novi à doctis viris, quorum mihi venerabilis est autoritas, hæc ita connecti cum scopo Apostoli, ut jubeant vocem *promissionis* potissimum attendere; docere voluisse Paulum, non ex operibus beneficia illa obtineri, sed è mera misericordia Dei. Verum licet hæc omnia, alibi dicta, sunt verissima, vereor tamen, ut huic loco satis congruant, nam v. 6. scopus Apostoli exstat, probandum nempe sumit Deum stetisse promissionibus suis præclare, cui positioni opponi quidem specietenus poterat hoc dictum, unde aliquis posset suspicari, nolle Deum in promissionibus

bus constantem esse; sed qua ratione ad tuendam illam thesin faciat, ego quidem non perspicio.

§. 51. Pergit ὁ μεμψίμοιρος commate 17. recitando locum *Ex. IX*, 16. aliter, ac vel in ebræo, vel antiquo græco textu extat. Nam, cum ebræa vox העמדתיך & græca διετηρήθης significent summam benevolentiam, qua adhuc usus esset Deus, parcendo, & conservando Pharaone, qui dudum interitum, qualem deinde nactus est, meruerat, vox ἐξήγειρα, præsertim additis vocibus εἰς αὐτὸ τοῦτο, aliter explicari nequit commode, quam voluisse Deum in Pharaone exemplum hominis habere, quem plectere posset. Quæ ipsa ac præterea accurata responsio Pauli, ad hanc objectionem, quam confestim monstrabo, attentum interpretem, maxime si præmonitus sit, docere poterunt, hæc non ex Apostoli, sed alterius mente dicta, quod à Te, doctissime Vite! nisi vera non sint, quæ de expugnatis solertia tua, præjudiciis, narras, expectare licebit.

§. 52. Eidem querulo deberi *commia XVIII.* ex adhuc dictis facile liquebit. Istas ergo omnes objectiones excipit v. 19. apostolus, & primo, quorsum omnia tendant, ostendit, nempe Judæos rejectos innocentes videri, culpam in Deo, cujus voluntati nemo resistere queat, residere: Hæc, ut par erat, primo Apostolus graviter verbis castigat, mox, quod

quod necesse fuit, ad argutationes, quas adhuc vidimus, respondet. Quod objectum fuerat: ex eodem patre eademque matre genitos fratres, absoluto Dei arbitrio, plane contrariam sortem nactos, respondet: Figuli, saltem non majus jus esse debere, quam creatoris Dei, qui cum voluerit, in rebus externis, nam de his agere laudata dicta, frustra negatur, ignobiliorem populum Edomiticum Judaico esse, ita libere egisset, ut absoluto decreto, quo aliquis immerens rejectus sit, nullus omnino locus concedatur. Ad Pharaonis servorumque ejus historiam pariter objectam luculentissime *v.* 22. respondetur: *An ostensurus iram & patefacturus potentiam tanta LONGANIMITATE, vasa iræ ad interitum parata*, Pharaonem servosque, dudum perniciem meritos, *tulit*? Nemo ignorat vim ejusmodi interrogantis orationis. Nimirum negat Apostolus totam illam historiam *absoluti decreti*, sed potius *patientiæ divinæ* argumentum esse, qui tarde, cum citius justissime potuisset, puniat. Sed ex v. 23. simili interrogatione aliud dubium tollitur. Nempe videbatur Deus impetu aliquo olim populum Judaicum olim elegisse, hodie repudiasse. His respondet ita quærens apostolus: An hæc omnia fecit, de Pharaone, & quæ deinceps facta sunt, ut essent modo vasa cœco arbitrio electa, in quibus prodigeret suam liberalitatem? minime vero; ita potius

tius elegit populum, ut, si deficeret, repudiaret, neque unquam ceteræ gentes penitus spernerentur, è quibus, non ex solis Judæis, sibi Deus ecclesiam colligit, ut fusius deinde à Paulo demonstratur.

§. 53. Hæc mea dudum fuit de vexatissimo loco sententia, quem me primum invenisse putabam, cum ante annos XV. fere in eum modum, quo nunc feci, in disputatione Jenensi commentarer. Sed aliis me longe doctioribus viris atque in his C. A. Heumanno, viro clarissimo, non dissimilia in mentem ante me venisse deinde cognovi. Dixeris Vite! non esse hanc interpretationem veterum Lutheranorum, neque autorum Formulæ Concordiæ; neque ego contra habeo, quæ dicam. Nimirum putarunt sanctissimi viri, putant forte plerique hodie, apostolum ex sua mente duriora illa locutum, sed ex sensu dictorum è Veteri T. laudatorum non tam duram fuisse Pauli mentem, quam verba præ se ferunt, putarunt; ut certe clarum est, omnia illa è Veteri T. recitata supralapsariorum hypothesi minime favere. Quod vero mitiorem explicationem horum dictorum cum nexu sermonis apostolici non satis feliciter combinare potuerunt viri egregii, neque quisquam in istorum contumeliam rapiet, neque me aliosque putabit de inventionis gloria gaudere, quid enim mirum nos pumiliones istorum heroum humeris impositos

ali-

aliquanto longius profpicere? Ceterum, ut à patribus meis in explicatione dicti biblici diffentiam, dogmata certe nobis eadem manent communia.

§. 55. Pag. 66. ex hoc Paulino loco patere ait Vitus, *nihil continere fupralapfariorum fententiam', quod verè divinæ bonitati detrahat, aut fanctitati aut juftitiæ, non enim Deum ultra creaturis bonum effe, quam ipfe, non temere, fed fapientiffime velit.* Refpondeo: recte hæc poftrema dicta funt. Non eft ultra bonus creaturis fuis, quam ipfe fapientiffime vult, hinc eft, quod cum Paulo admiramur fapientiæ divinæ abyffos, qui, cum à nemine quidquam acceperit, nec debet cuiquam quidquam, adeoque gratiæ gradus pro fuo fanctiffimo lubitu difpenfat, cum eo tamen, ut neminem plane prætereat, ut promiffiones omnes humano generi, non debitas illas quidem, fed factas, præftet. *Act. XIII*, 34. An fupralapfariorum dogmata nihil detrahant ideis, quas de juftitia, mifericordia &c. Dei in fcripturis jubemur habere, age parvo fpecimine experiamur. Nofti vir clariffime! verba Joh. Calvini, *Inftitut. libro III. c. XXI. §. 5. p. m.* 327. *Non pari conditione creantur omnes, fed aliis vita æterna, aliis damnatio æterna præordinatur; itaque prout in alterutrum finem quisque conditus eft, ita vel ad vitam vel ad mortem prædeftinatum dicimus.* Bonitatis five mifericordiæ ideam fcriptura nos eam habere juffit, ut, qui mifericors fit,

effe

esse aliquem miserum serio doleat, &, si possit, media, quibus posset ille miser levari, suppeditet. Eandem ideam *suæ bonitatis* DEUS sæpissime nobis proponit, testatus, se nolle mortem peccatoris, se colligere Hierosolymam voluisse sub alas, &c. At, si Calvino credimus, condidit Deus plurimos homines, in eum finem ut damnentur. Itaque secundum scripturam, remoto respectu ad *media gratiæ* ab hominibus *contemta*, *non vult* hominum mortem; secundum supralapsarios, remoto etiam respectu ad media gratiæ ab hominibus contemta, *vult* hominum mortem. Si hæc possint simul consistere, Vite doctissime! qui contradictiones, & merito quidem, odisti, qui expugnasti præjudiciorum monstra, dic, quid sit contradictio?

§. 55. Vitus p. 67. ita loquitur: *Quod si fieri posset, ut in æternis omnium creaturarum miseriis, suo huic amori*, in quo nempe sanctitas Dei consistit, *consuleret sanctissimum Numen*, non posset *tantum*, *sed deberet etiam velle*, *æternas omnium creaturarum miserias*. Quem in finem hæc disputantur? *Si posset*, inquis, *fieri*. Negas ergo posse fieri. Quod si aliquarum creaturarum æternas miserias non potest per sanctitatem suam velle; qui potest ceterarum eadem ratione velle. Vide te Philosophum tuum, clarissimum Wolfium, quem principem Philosophorum nobis narras, in oculis ferre. Ejus nosti *principium*, seu primarium philo-

philosophico ædificio substratum lapidem: *rationis sufficientis*, vom zureichenden Grunde. Ex supralapsariorum mente Deus conditurus homines, nondum respicit ad media gratiæ, ab hominibus vel admittenda, vel repudianda; ergo ut plane similes considerat, saltem in iis rebus, quæ ad salutem damnationemve movere possent, plane similes. Quodsi horum partem ad damnationem prædestinasset, partem ad salutem; neutram, prout se olim habitura esset, consideratam, alterutrum, si non utrumque factum esset ohne zureichenden Grund, quod per Philosophum tuum non licet.

§. 56. Eadem pag. 67. negat supralapsarios justitiæ divinæ nocere. *Sibi enim*, inquit, *soli omnia debet, nec creaturis quidquam debet, nisi quod sapientissimo quidem sed nobis impervestigabili consilio creaturis destinavit.* Si *deberi* intelligis vel, quod postulari, si vel non sit promissum, potest, recte negas quidquam Deum debere creaturis. Sed neque hoc modo Deus dicendus esset *sibi omnia debere*, neque enim Deus se ipsum, ut alterum, à se aliquid postulantem, considerat. Verum, quicquid hujus sit, *debet* Deus, quæ promisit, cum non debuisset, si non promisisset; & hoc est veræ fidei fundamentum, non posse non Dei promissiones firmas esse. Quid vero vis tibi his verbis: *nisi quod sapientissimo quidem sed nobis impervestigabili consilio creaturis destinavit.*

Suntne omnia, quæ creaturis destinavit, imperveſtigabilia? Non dices, ſpero, quid enim ſcriptura de promiſſionibus divinis fuſe agit, ſi nihil ſit, quod perveſtigari poſſit? Si aliqua, & multa adeo, ſunt imperveſtigabilia, qua de re quis eſt, qui dubitet? Sufficit aliqua eſſe & promiſſa & perveſtigabilia, quæ, ſi non præſtaret Deus, non eſſet juſtus, illa juſtitiæ idea, quam è ſcriptura hauſimus. Pag. 68. minatur ſe demonſtraturum, *Lutheranos tueri ſua non poſſe, niſi adfirmarint, Deo licere eſſe & bono & ſancto & juſto in iis actionibus, in quibus homines, juxta leges divinitus latas, neque boni eſſe poſſint, neque ſancti neque juſti.* Scito Vite! hoc non ſufficere, ſi demonſtraris Deum ſalva juſtitia facere poſſe, cum neminem legislatorem habeat, quæ homini legibus ſubdito, ſalva juſtitia, non licent, nam hoc fatemur omnes. Sed demonſtrare debes, Lutheranos tueri ſua non poſſe, niſi admittant Deum facere poſſe, quæ ſupra expoſitæ ideæ, de juſtitia è ſcriptura hauſtæ, repugnant, quod, certe ſcio, nunquam facies.

§. 57. Pœnitet fere ſumtæ adhuc operæ Vitum noſtrum. p. 68. §. 12. facilius enim, & uno quaſi ictu proſtraturus eſt Lutheranos hodiernos, ubi demonſtraverit, primam noſtram eccleſiam in Luthero ſupralapſariam fuiſſe, nam hoc ſaltem ſe impetraturum confidit, ut adulterinos nos filios patrum alia ſentientium confiteamur. Monitum te

volo,

volo, antequam in hanc arenam descendamus Vite! non agi de caussæ nostræ capite, nam si, vel aliquando, vel semper, Lutherus supralapsarius fuit, quid ad nos magnopere pertinet, qui in Lutheri verba, nisi quantum eorum symbolicis nostris libris continetur, nunquam juravimus? Pone ergo quod falsum esse videbimus, Lutherum, cum librum de servo arbitrio scriberet, supralapsarium fuisse, negasse gratiam universalem, dixisse gratiam irresistibilem, negasse vere regenitum excidere gratia posse; cum liber non sit in symbolicis, neque alio in capite à Formula Concord. laudatus, quam quo Pelagianis atque Semipelagianis graviter contradixit; nostræ caussæ nihil decederet. Unum hoc sequeretur, si criminationes tuæ tam veræ essent, quam sunt inanes, rectius nos carituros nomine Lutheranorum, qui à Lutheri opinione in re maximi momenti abiremus: sed nec sumsimus istud nominis ipsi, & si tam foret necesse quam minime est, carere eo possemus æquo animo. Amplius aliquid est, quod incredibili conatu libros nostros symbolicos supralapsarios esse perhibes, quod si verum esset, aut fatendum nobis esset perjurium, aut abjiciendi ipsi libri. De ceteris scriptis veterum, qui vocati ita sunt, Lutheranorum non ita necesse est disputari, sed quoniam ex Joh. Pandocheo aliquot loca tibi favere visa supralapsariis, ut certe ipsi Col-

lectori minime visa sunt, laudasti; non ab re erit, quam falsus ubique sis, quamque parum in Lutheranorum libris versatus, modeste ostendere. Superest paucis explicare, quæ firmiter credam, nimirum, Lutherum, tum cum scripsit adversus Erasmum, recte de merito Christi & universali gratia sensisse, fervidius justo locutum, non satis bene omnia explicuisse; Formulæ Concordiæ autores autem à supralapsariis & re & verbis longe fuisse alienissimos.

§. 58. Duo capita accusationis Vitus p. 69. constituit. 1) Lutherum, ut supralapsarii solent, contra Erasmum de absoluto decreto, gratia particulari & irresistibili sensisse; 2) Erasmum idem, quod hodiernis Lutheranis videtur, professum, iisdemque armis, quibus hi contra supralapsarios hodie utuntur, depugnasse. Tertio vero loco acerbissimum Viti dicendi genus notandum esset, qui, cum mitissime loquitur, nescire se ait: *utrum imperitius, an impudentius quidquam hodiernis Lutheranis sit?* prorsus, quasi sine conviciis caussam suam tueri non posset. Tertiæ hujus partis nihil in mea responsione extabit. At duo ista capita ita tractabo, ut non desperem fore aliquando, ut clar. Vitum hæc ita scripsisse pœniteat. Quæ p. 70. de libris cum Erasmi, tum Lutheri eristicis exponit doctissimus Vitus, recte se habent, iisdem & ego utor. Judicium vero Viti de

Lu-

Lutheri libro: *quo asperrimis & indignis profecto sapiente viro, nedum Theologo Reformatore, conviciis, eruditam & modestam Erasmi diatriben refutavit*, hoc, inquam judicium, lector! mecum in eo viro mirare, qui Lutherum accusat conviciorum, cum is & caussam bonam defenderit, & seculi istius more, qui mihi quidem non placet, usus sit, neque decimam tamen vel centesimam partem eorum conviciorum adhibuerit, quæ in utroque libro Viti ita copiosa sunt, ut muscæ, cum caletur maxime. Ceterum verba mihi placent Melanchthonis præfat. ad tom. II. operum Lutheri latin. Witeberg. 1546. in qua vitam B. Lutheri paullo ante fatis functi exponit: p. 9. *Etiamsi alii magis, alii minus concinne aliquid explicant, aut alius alio horridius interdum loquitur, tamen de rebus in summa, inter pios & eruditos consensio est.* Fateor *horridius* aliqua esse in hoc libro dicta, nisi in hac voce, convicium aliquod sit, quod vir beatus non meretur; non fuisse summa in rei summa consensum nobiscum merito nego. Itaque cum studiose legerim aureum hunc B. Lutheri libellum, omissis jam Seb. Schmidii & Habercornii præstantissimis observationibus, omissis, quæ Theologi Witebergenses Rintelensibus responderunt, lectis quidem à me & probatis suo merito, ut à Vito meo iniquissime sunt contemta; ita constitui ipsum librum percensere, ut 1) loca, quæ plane Lutherum

cum hodiernis Lutheranis consensisse Vitum docere poterant, excerpam. 2) Quæ mihi in tropopædiæ minus commode dicta videntur, salva ea pietate, quam sanctissimo & incomparabili viro debeo, ingenue indicem. Quibus præmissis, à lectore meo petere licebit, ut, ubi objectionibus atque criminationibus Stephani Viti breviuscule respondero, non desideret in me fusiorem orationem.

§. 59. Constitutum est eam editionem libri de S. A. sequi, quæ Witebergæ prodiit Tom. II. oper. Luther. latin. præfante Melanchthone; cui tomo, eodem teste, ipse b. vir vitam suam præmissurus fuerat, ni fatis occupatus esset. Incipio pulcherrimis B. Lutheri verbis: p. 458. quæ tibi mi Vite! dicta velim: *Quis scit, si Deus te quoque visitare dignabitur, optime Erasme! per me miserum & fragile vasculum suum, ut felici hora, quod ex corde rogo patrem misericordiarum per Christum Dominum nostrum, hoc libello ad te veniam & charissimum fratrem lucrifaciam.* Apostolicus plane spiritus in toto hoc libro regnat, qui & zelum pro veritate & adversus Erasmi maximos errores, & caritatem, & dotum, quas Erasmus à Deo acceperat, justam æstimationem præ se fert, & ubique ostendit, ita tamen alicubi loquitur, ut hominem fuisse Lutherum ne nesciamus.

§. 60. *Necessitatis* & *contingentiæ* vocabula, cum non eodem omnibus sensu accipiantur, eaque male intellecta caussa sint, ut Reformati aliquot

quot supralapsarium, nostratium aliqui imperitiores, nescio quid monstri in hoc libro sibi vidisse visi sint, operæ pretium est semel observasse, quid Megalander his sibi vocibus velit. f. 462. a. *Contingenter autem fieri dicitur, ne vocabulis abutamur latina lingua, non ipsum opus contingens fieri, sed contingente & mutabili voluntate fieri, qualis in Deo non est. Deinde contingens opus dici non potest, nisi quod nobis contingenter, & velut casu imprudentibusque nobis fit, quia nostra voluntas, vel manus illud arripit velut casu oblatum, ut qui nihil de eo aut cogitavimus aut voluimus antea. Optarim sane aliud melius vocabulum dari in hac disputatione, quam hoc usitatum:* NECESSITAS, *quod non recte dicitur neque de divina neque de humana voluntate, est enim nimis ingratæ & incongruæ significationis pro hoc loco, quandam velut coactionem & omnino id, quod contrarium est voluntati, ingerens intellectui. — Igitur, quod non præstat vox, impleat intellectus legentis, necessitatem intelligens, id, quod dicere velles immutabilem voluntatem Dei & impotentiam nostræ voluntatis malæ, ut aliqui dixerunt, necessitatem immutabilitatis, nec hoc satis grammatice nec theologice.* Itaque beato Luthero necessarium est, quod nos *certum* dicimus, necessario futurum, certo futurum. Id quod luculentius etiam patet ex alio loco. f. 463. a. *At quo modo certus & securus eris? nisi scieris illum certo & infallibiliter, & immutabiliter ac necessario scire & velle & facturum esse, quod promittit. Neque solum certos opor-*

tet nos esse, Deum necessario & immutabiliter velle, & facturum, sed etiam gloriari in hoc ipso, ut Paulus Rom. III. &c. Videt lector sanctissimam animam Lutheri solicitam fuisse de certo, quod in promissionibus divinis est, atque ideo vocabulo prægnanti, quale est *necessitas*, utendum sibi ratum.

§. 61. Vitus noster ceterique Reformati subinde monent, quæ ipsis de prædestinatione videntur non esse vulgo proponenda; Verum aliam beato Luthero mentem fuisse, utpote nihil, quod sensit, non palam dicendum esse credidit, ipse docet f. 463. b. *Dixi superius ea, quæ sacris literis aut traduntur aut probantur, esse non modo aperta, sed & salutaria, ideo tuto invulgari, disci & sciri posse immo debere, ut falsum sit, quod dicis, non esse prostituenda promiscuis auribus, si de iis, quæ in scriptura sunt, dicis; nam de aliis si dixeris, nihil ad nos, nec in loco dixeris, sed verbis chartas & tempora perdis.*

§. 62. Reformati probe considerent velim Lutheri verba: p. 464. a. *Pius animus non exhorret audire Deum esse in morte, vel in inferno, quorum utrumque horribilius ac fœdius est antro, vel cloaca. Immo, cum scriptura testetur, Deum esse ubique & replere omnia, non solum dicit eum esse in locis illis, verum necessario discet & noscet eum ibi esse. Nisi forte, si qua per tyrannum captus in carcerem aut in cloacam projicerer, quod multis sanctis contigit, non mihi licebit Deum invocare &c. Verum ut dixi, more tuo sic odiose pungis, ut causam*

ſam noſtram graves & exoſam reddas, quod videres eam tibi inſuperabilem & invictam. Utinam non ita odioſe Reformati ſanctum de omnipræſentia Chriſti hominis dogma exagitarent!

§. 63. Hæc quoque Theandri egregia ſunt fol. 466. a. *Supra probavi ea, quæ in ſcripturis prodita ſunt, talia eſſe, quæ omnibus expoſita & invulganda neceſſario & ſalubria ſunt, — Hi, qui animas redemtas nolunt, ſicut Papa cum ſuis, illorum eſto verbum Dei alligare, & homines vita & regno cœlorum prohibere, ne ipſi intrent, nec alios intrare ſinant, quorum furori tu Eraſme! hoc conſilio tuo pernicioſe inſervis.* Videsne hic, Vite doctiſſime! & eas à Luthero redemtas animas dici, quæ à Papa prohibentur intrare in regnum cœlorum, nam reapſe aliquas, atque adeo multas prohiberi, quis dubitet? Ergo ſecundum Lutherum, & qui pereunt, redemti ſunt, quod qua ratione tuæ ac ſupralapſariorum hypotheſi congruat, ipſe videris. Eodem pertinet alter locus fol. 466. b. *Sed interim Eraſme! quid facient animæ iniquo illo ſtatutæ ligatæ & occiſæ?*

§. 64. *Repugnantiam* malitioſam nempe & voluntariam, (nam naturalis præveniente Dei gratia tollitur,) non poſſe hominem ſuis ab ipſa gratia præveniente acceptis viribus omittere, &, ſi efficax Dei gratia adſit, non poſſe repugnare, Vitus cum ſupralapſariis ubique contendit. Quid Lutherus? f. 475. b. *Quaſi ignoremus mundum eſſe regnum Satanæ, ubi*

præter naturalem cæcitatem agnatam ex carne, etiam nequissimis spiritibus regnantibus super nos, in ipsa cæcitate induramur, & dæmoniacis, nec jam humanis tenebris tenemur. Hinc patet, Lutherum credidisse discrimen inter naturalem & voluntariam repugnantiam, quod Vitus *portentum distinctionis* vocavit. Porro Lutherus fol. 485. b. *Quare illo verbo: Nolo mortem peccatoris; nihil aliud agi vides, quam prædicari & offerri divinam misericordiam in mundo, quam solum afflicti & morte vexati cum gaudio & gratitudine suscipiunt, ut in quibus jam lex suum officium, id est, cognitionem peccati complevit. Illi vero, qui legis officium nondum sunt experti, nec agnoscunt peccatum, nec mortem sentiunt, contemnunt misericordiam promissam eo verbo.* Credit igitur Lutherus & contemtoribus, quorum utique plurimos manere contemtores & perire constat, offerri, & serio quidem, nam ex Deo dissimulatorem Lutherus non facit, gratiam Dei, & illam gratiam contemni. Quid ergo manifestius, quam gratiam & universalem & resistibilem à Luthero contra supralapsarios doceri? Denique illam repugnantiam ab homine gratia Dei prævento omitti posse clare significat Lutherus fol. 486. b. *Hanc enim vim, hoc est, aptitudinem, seu, ut Sophistæ loquuntur, dispositivam qualitatem & passivam aptitudinem & nos confitemur, quam non arboribus neque bestiis inditam esse, quis est, qui nesciat? neque enim pro anseribus, ut dicitur, cælum creavit.* Rectissime

ſime omnes cum b. viro activam aptitudinem, qua homo ſe ad impetrandam gratiam applicare poſſet, negamus, ſed illi Lutheri mentem non aſſequuntur, qui ne poſſe quidem omittere voluntariam illam repugnantiam contendunt, id quod adeo à Luthero, ut hic *cooperarios nos* in ipſo opere converſionis appellet, phraſi paullo ſecuriori, qua deinceps Synergiſtæ pro ſua opinione uti potuerunt, ut paullo poſt videbimus.

§. 65. Porro pulchre Lutherus de ipſo vocabulo *liberi* arbitrii diſputat f. 468. b. *Sequitur nunc liberum arbitrium eſſe plane divinum nomen, nec ulli poſſe competere, quam ſoli divinæ majeſtati, ea enim poteſt & facit, ſicut Pſalmus canit, omnia, quæ vult, in cælo & in terra. Quod ſi hominibus tribuitur, nihilo rectius tribuitur, quam ſi divinitas quoque ipſa eis tribueretur, quo ſacrilegio nullum eſſe majus poſſit.* Ita facile intelligi poteſt, cur in hoc libro aliquoties Protoplaſtis atque ipſis ſanctis angelis liberum arbitrium negetur.

§. 66. Poſtquam Lutherus aliqua diſputasſet de tergiverſatione Semi-Pelagianorum, qui vim aliquam libero arbitrio tribuunt, ſed quid ſit illa vis, quidque agat, dicere vel nolunt vel non poſſunt, ſubjicit f. 471. a. *Sed eſto, quod poſt annos Platonis, aliquando inter vos de vi ipſa conveniat, tum definiatur ejus opus eſſe orare, jejunare, vel aliquid tale, quod adhuc forte in Platonicis ideis latet. Quis nos certos faciet, id*

eſſe

esse verum, id placere Deo, nosque tuto rectum agere, præsertim cum ipsi fateamini esse rem humanam, quæ spiritus testimonium non habet. &c. Hinc videre potest Vitus, non negare Lutherum, *orare, jejunare*, ut nondum quidem spiritualia, Deoque sic placentia opera, & similia naturalibus hominis viribus fieri posse; nam de precibus, quales credentium sunt, item illorum, qui nondum fiduciam conceperunt, sed ad eam usu verbi divini à Spiritu Sancto præparantur, de quorum precibus b. Joh. Fechtii dissertatio legi potest, non esse hic sermonem, per se clarum est. Non est itaque, quod pædagogica & naturalia opera, quæ nos non renato tribuimus, tantopere exagitet, nosque ἀποςασίας a Luthero nostro temere accuset.

§. 67. Non possum quoque, quin alterum huc transscribam locum, f. 478. a. quo Longobardum, Scholasticorum magistrum, satis tolerabili modo locutum, & sola verbi controversia torqueri, h. e. cum melius sentiret, non esse optime locutum ait, verba deinde hæc subjungit: *Finge mihi Sophistam minime malum dari, cum quo semotus familiari colloquio ista conferrem, & candidum ac liberum judicium postularem in hunc modum: Si quispiam tibi id liberum diceret esse, quod sua virtute non nisi in alteram partem possit, scil. in malam, in alteram vero, nempe, in bonam, possit quidem, sed non sua virtute, imo alterius duntaxat auxilio, possis etiam*

tenere

tenere risum amice? Nam sic lapidem aut truncum facile obtinebo habere liberum arbitrium, ut qui & sursum & deorsum vergere potest, sed vi sua nonnisi deosum, alterius vero solum auxilio sursum. Hinc patet 1) Lutherum neque illos à se alienos putasse, qui dixerint liberum arbitrium *posse aliquid*, Dei nempe virtute & auxilio, modo addant *per se nihil posse.* Atque in hunc modum ipsum non raro locutum esse, cum lectio librorum Lutheri, tum aliquot exempla, à me passim excerpta, docent, quamvis hodie ob lites, quæ cum Synergistis & Semipelagianis intercessere, merito his quoque locutionibus abstinemus, præsertim non addita explicatione. Quanto minus autem idem Lutherus hodiernos Lutheranos à se alienos putaret, si viveret, quorum nemo *auxilio* divino liberum arbitrium aliquid in regeneratione posse, dicit, nam ut dixi, vocabulo *auxilii*, quod videtur virium aliquid, tametsi pusillum in nobis ponere, nolumus uti. 2) Quantum Lutherus Erasmum etiam à Scholasticorum non plane probata sententia abesse & pejora de liberi arbitrii viribus docere crediderit. Id quod recte putasse Lutherum, paullo post ex instituto demonstrabo, ut adeo satis mirari non possim, clarissimum Vitum vehementer contendere, Erasmum idem, quod hodierni Lutherani, Lutherum idem, quod hodierni Supralapsarii, docuisse.

§. 68.

§. 68. Hinc, cum Erasmus, qui sibi in tota hac caussa parum constitit, triplicem posuisset de L. A. sententiam, 1) probabilem, & Erasmo quoque probatam; quæ neget posse hominem velle bonum, sine peculiari gratia, neget posse incipere, posse progredi perficere &c. 2) duriorem, eorum, qui contendant liberum arbitrium nihil valere nisi ad peccandum, solam gratiam in nobis operari bonum &c. 3) durissimam vero illorum, qui dicant nomen inane esse liberum arbitrium, sed Deum tam bona, quam mala in nobis operari &c. Lutherus f. 478. b. graviter monet, *se tres istas, quas diversas putet Erasmus, opiniones, plane pro eadem habere, itaque si primam probet Erasmus, frustra pugnari contra duas posteriores.* f. 479. b. qua fuit ingenuitate, vir sanctæ memoriæ, de eadem re locutus addit: *Forte non sumus satis Latini, vel Germani, ut rem ipsam non potuerimus edisserere, sed testor Deum, aliud nihil volui dicere, nec aliud intelligi per verba duarum postremarum opinionum, quam id quod dicitur in prima opinione.*

§. 69. Lutherus homini in rebus sese inferioribus liberum arbitrium, h. e. facultatem eligendi & non eligendi &c. ubique relinquit, ita quidem, ut ne negetur directio Dei harum quoque rerum, utque id ipsum est, quod nos hodie omnes docemus & confitemur. Verba aliqua recitabo. f. 480. a. *Ut per Ecclesiasticum intelligamus hominem in duo regna distri-*

distribui, uno, quo fertur suo arbitrio & consilio, absque præceptis & mandatis Dei, puta in rebus sese inferioribus. Hic regnat & est dominus, ut in manu consilii sui relictus, non quod Deus illum sic deserat, ut non in omnibus cooperetur, sed quod usum rerum illi liberum pro arbitrio concesserit, nec ullis legibus aut præscriptis inhibuerit. Paullo post Lutherus pergit: *Altero vero regno non relinquitur in manu consilii sui, sed arbitrio & consilio Dei fertur & ducitur, ut, sicut in suo regno, fertur suo arbitrio absque præceptis alterius: ita in regno DEI fertur alterius præceptis absque suo arbitrio.*

§. 70. Universalis porro gratiæ divinæ minime obscurum testimonium est, quod legimus f. 483. a. *Scit enim Satan, quod si homo suam miseriam nosset, nullum retinere in suo regno posset, quod agnitæ miseriæ & clamantis Deus non possit non statim misereri & auxiliari, ut qui prope esse contritis corde tanta laude prædicetur per omnem scripturam, ut etiam Evangelium pauperibus prædicare & contritis mederi Christus Es. LXI. sese missum testetur.* Itaque è b. Lutheri mente diabolus videt omnibus, quos ipse adhuc constrictos tenet, paratam esse apud Deum gratiam, nisi eos retineat, at non est parata misericordia, si ut Reformati ac Supralapsarii potissimum volunt, non sunt redemti per Christum. Neque vero diabolum hac in re falli putat Lutherus. Quæ de verbis: *Nolo mortem peccatoris &c.* f. 485. disserit, pulcherrima sunt, sed fusiora, quam ut exscribenda videantur. Sed hæc

Sed hæc ſubjicio, quæ f. 485. b. extant; *Sic dicimus. DEUS pius non deplorat mortem populi, quam operatur in illo, ſed deplorat mortem, quam invenit in populo, & amovere ſtudet. Hoc enim agit Deus prædicatus, ut ablato peccato & morte ſalvi ſimus. Miſit enim verbum ſuum & ſanavit eos. Ceterum Deus abſconditus in majeſtate, neque deplorat neque tollit mortem, ſed operatur vitam, mortem, & omnia in omnibus. Neque enim tum verbo definivit ſeſe, ſed liberum ſeſe reſervavit ſuper omnia.* Quibus omnibus nihil plane aliud, nec plus minusve docuit, quam nos uſitata Chryſoſtomo & Damaſceno diſtinctione *voluntatis* divinæ *antecedentis*, & *conſequentis*, ſeu *judiciariæ*, volumus; Deo enim abſcondito ea tribuit Lutherus, quibus ſe non definivit verbo ſuo, ceterum hoc ipſum eſt, quo ſe DEUS non definivit, judicium de ſingulis hominibus, & diſpenſatio graduum gratiæ.

§. 71. Ut, quæ ſæpius de Deo incarnato revelatoque atque abſcondito Theander habet, ſemel recte intelligantur, operæ pretium erit, locum, licet amplum, recitare: f. 487. a. b. *Nos dicimus, ut jam antea diximus, de ſecreta illa voluntate majeſtatis non eſſe diſputandum, & temeritatem humanam, quæ perpetua perverſitate relictis neceſſariis, illam ſemper impetit & tentat, eſſe avocandam & retrahendam, ne occupet ſeſe ſcrutandis illis ſecretis majeſtatis, quæ impoſſibile eſt attingere, ut quæ habitet lucem inacceſſibilem teſte Paulo. Occupet vero ſeſe cum Deo incarnato,*

ſeu,

ſeu, ut Paulus loquitur, cum JESU crucifixo, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ, ſed abſconditi, per hunc enim abunde habet, quid ſcire & non ſcire debeat. DEUS igitur incarnatus hic loquitur. Volui & tu noluiſti; DEUS, inquam, incarnatus in hoc miſſus eſt, ut velit, loquatur, faciat, patiatur, omnibus omnia, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria, licet plurimos offendat, qui ſecreta illa voluntate majeſtatis vel relicti vel indurati, non ſuſcipiunt volentem, loquentem, facientem, offerentem, ſicut Johannes dicit: Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non apprehenderunt. Et iterum, in propria venit, & ſui non receperunt eum. Hujus itidem DEI incarnati eſt flere, deplorare, gemere, ſuper perditione impiorum, cum voluntas majeſtatis ex propoſito aliquos relinquat & reprobet, ut pereant. Nec nobis quærendum, cur ita faciat, ſed reverendus DEUS, qui talia & poſſit & velit. Rectiſſime hæc omnia Lutherus, cui in mentem nunquam venit miſera gloſſa, *de voluntate ſigni & beneplaciti.* Si ita intelligatur, ut voluntas ſigni non ſit ſeria. Clariſſime enim Chriſtum miſſum dicit, *ut velit, loquatur, patiatur, omnibus omnia, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria, ad quæ cumprimis ipſa redemtio præſtita requiritur*, ſecreta voluntate nobis incognita, h. e. qua DEUS, quos videt non accepturos vel abjecturos gratiam, ad damnationem deſtinat, non velle omnium ſalutem, ſcimus omnes. Sed quos complectatur illa voluntas, manet hac in vita abſconditum, ut & hoc occultum ma-

net, cur DEUS alios maturius, alios tardius, & profusis antea pluribus gratiæ donis relinquat & induret, hic reverendum esse numen nec scrutandum, fatemur omnes.

§. 72. Quamquam jam demonstravimus Luthero vocem *necessitatis* significare, quod ceteri per *certum* intelligunt, idem tamen porro luculentius etiam è duobus locis Lutheri ostendisse non ab re erit. fol. 498. b. *At talem esse oportere DEUM verum & vivum, qui libertate sua necessitatem imponat nobis, ipsa ratio naturalis cogitur confiteri, videlicet, quod ridiculus ille DEUS fuerit, aut idolum verius, qui INCERTO prævideat futura, aut fallatur eventis, cum & gentiles Diis suis fatum dederint ineluctabile.* &c. fol. 499. a. *obsecro, an disputamus nunc de coactione & vi? nonne de necessitate immutabilitatis nos loqui, tot libellis testati sumus? Scimus, quod pater volens gignit, quod Judas volendo prodidit Christum. Sed hoc velle in ipso Juda certo & infallibiliter futurum fuisse dicimus, si DEUS præscivit. Aut, si nondum intelliguntur, quæ dico, aliam necessitatem violentam ad opus, aliam necessitatem infallibilem ad tempus referamus. De posteriori nos loqui intelligat, non de priore, hoc est, non disputamus, an Judas invitus aut volens proditor sit factus, sed an tempore præfinito à DEO infallibiliter fieri oportuerit, ut Judas volendo proderet Christum.*

§. 73. Aliquoties Vitus noster, qui de Leibnitiana Philosophia legit aliquid audivitque eamque sibi placere ait, necessaria qui-

quidem aliqua negat esse, ita, ut ne in alio quidem mundo, si elegisset DEUS alium, non fuissent non locum habitura; ceterum in hoc semel à DEO electo mundo necessaria esse. Hinc verba Viti, quæ & loca alia deinceps allegabimus. vid. interim Vindic. p. 251. *Res, cum existant, aliter fieri non potuisse.* Cui quidem, Leibnitianæ Philosophiæ, dexterrimus, ut Vito creditur, interpres, Clariss. Wolfius parum adsentitur. Gedancken von GOTT, der Welt, &c. f. 570. Es ist möglich, daß ich aufstehe, indem ich sitze, denn die Bewegungen des Leibes, die darzu erfodert werden, sind möglich; dieses erhellet daraus, weil es hernach zu andern Zeiten geschiehet. Noli dicere hæc cum aliis hujus philosophi placitis non bene conspirare, nam & alibi occurret locus, ubi ejus Philosophum statuisse, quod claris verbis docuit, quia tibi videbatur adversari ceteris Cl. Wolfii hypothesibus. Verum hæc obiter. Demonstraturus eram B. Luthero totum hoc commentum de re, quæ posset in alio mundo fieri, incognitum fuisse. fol. 504. b. *caussa dicendi fuit, quod filii hominum ducerent uxores mera carnis libidine, deinde tyrannide terram premerent, ita ut diluvium accelerare cogerent iratum DEUM, & vix centum viginti annos differre, quod alias nunquam erat inducturus.* Non putavit Lutherus, in alio quodam possibili mundo, sed in hoc ipso non futurum fuisse diluvium, nisi malitia hominum, quod

fieri minime necesse fuit, usque adeo crevisset.

§. 74. De universali merito Christi egregium testimonium est, pag. 508.a. *Igitur, si Christus est agnus DEI, qui tollit peccatum mundi, mundum totum, sub peccato, damnatione & diabolo esse sequitur.* Nostrum argumentum, quo colligimus CHRISTUM esse communem omnium Salvatorem, quia ejus mundi peccata tulit, qui totus malus ex hominibus malis compositus est, elevare conantur, frustra quidem, Reformati. Sed adeo Lutherus de hac interpretatione non dubitat, ut ponat tanquam rem confessam notamque CHRISTUM omnium Salvatorem esse, atque inde porro colligat, totum adeo mundum corruptum fuisse, quia non posset CHRISTUS salvasse, nisi qui essent corrupti.

§. 75. Sufficere æquo lectori poterant, quæ supra ex Luthero laudavimus, *non repugnantiam*; de qua invidiose multa Vitus habet, non esse viribus hominis naturalibus, sed jam à Spiritu S. præventis, ab optimo Luthero negatam: Sed, insuper aliquot loca, quæ se offerunt, non pigebit legisse. *fol.* 511.*b.* Non enim *de esse naturæ loquimur, sed de esse gratiæ, ut vocant, scimus liberum arbitrium natura aliquid facere, ut comedere, bibere, gignere, regere, ne nos delirio illo, velut argutuló, rideat, quod nec peccare quidem liceret, sine Christo, si vocem NIHIL, urgeamus, cum tamen Lutherus donarit,*

rit, liberum arbitrium valere nihil nisi ad peccandum; adeo libuit sapienti diatribæ ineptire etiam in re seria. Dicimus enim hominem extra gratiam DEI manere nihilominus sub generali omnipotentia DEI facientis moventis, rapientis, omnia necessario & infallibili cursu. Sed hoc, quod sic raptus homo facit, esse nihil, id est, nihil valere coram DEO, nec aliud reputari, quam peccatum. fol. 512. a. *Sed dentur adhuc eadem opera DEO & homini, quid efficiunt istæ similitudines? nihil nisi quod creatura DEO operanti cooperatur. At nunquid nos de cooperatione nunc disputamus, ac non potius de propria vi & operatione liberi arbitrii. Quo igitur Rhetor ille fugit, qui dicturus de palma, nihil dicit, nisi de cucurbita. Amphora cœpit institui, cur urceus exit.* Ibid. *Ubi Spiritu gratiæ agit in illis, quos justificavit, hoc est, in regno suo, similiter eos agit & movet, & illi, ut sunt nova creatura, sequuntur & cooperantur, vel potius, ut Paulus ait, aguntur.* Ibid. *Sed non operatur in nobis sine nobis, ut quos ad hoc creavit & servavit, ut in nobis operaretur, & nos ei cooperaremur, sive hoc fiat extra regnum suum generali omnipotentia, sive intra regnum suum singulari virtute Spiritus sui.* Qui ex his, atque similibus locis, non videt libero arbitrio, in sphæra rerum spiritualium quidem nihil plane, quod agat, incipiat, perficiat, sed tamen eidem à Spiritu S. prævento & aliquatenus excitato, ut non repugnet voluntariè, quod non actio est, sed actionis omissio, tribui à Luthero, eum puto nulla responsione contentum fore. Placet,

§. 77. Quantum è Lutheri ſententia liberum arbitrium valeat, nempe in ſpiritualibus nihil, in pædagogicis aliquid, age, inſignem locum audiamus. f. 522. a. *Audiamus & exemplum liberi arbitrii. Nicodemus ſcil. vir eſt; in quo nihil queas deſiderare, quod liberum arbitrium valeat. Quid enim vir ille omittit ſtudii ac conatus? Fatetur, DEUM veracem & à DEO veniſſe, ſigna prædicat, venit nocte, auditurus & collaturus reliqua, an non is quæſiiſſe videtur vi liberi arbitrii ea, quæ ſunt pietatis & ſalutis? Sed vide, ut impingat? Cum à Chriſto veram viam ſalutis per renaſcentiam doceri audit, nunquid eam agnoſcit, aut ſeſe illam aliquando quæſiiſſe fatetur. Immo ſic abhorret & confunditur.* &c.

§. 78. Quæ de ideis *juſtitiæ* &c. ſupra expoſuimus, ea B. Lutheri menti maxime eſſe conformia, dubitari nequit. Ita hic f. 524. b. *Incomprehenſibilia autem non eſſent judicia DEI, ſi nos per omnia capere valeremus, quare ſint juſta? Quid eſt homo comparatus DEO? Quantum eſt, quod potentia noſtra poteſt, illius potentiæ comparata? Quid eſt noſtra fortitudo illius viribus collata?* &c. Nimirum hoc vult, in DEO omnia eſſe infinita, quæ in homine modica ſunt, ceterum ideas generales juſtitiæ, virtutis, potentiæ, ita quidem ut abſtrahatur, quo gradu DEO hominive inſint, manere eaſdem.

§. 79. His è libro de S. A. obſervatis, alia Lutheri ſubjuncturus eram, ſed mutavi conſilium pauca notaſſe contentus. Non uno

loco

loco Vitus, qua ſolet, confidentia, Lutherum atque veteres Lutheranos, ita ut Reformatos docuiſſe ait: *fieri non poſſe, ut vere regenitus gratia excidat.* Anno 1552. etſi tum non ſatis ſeſe expedire potuiſſe ipſemet obſervo, hoc certe non credidit vir beatiſſimus. Nam eo anno Auslegung der Epiſtel am Sonntag nach dem Chriſttag f. m. 70. a. ita verba facit: Wo er nun das glaubt, ſo muß er frey von ihm ſelbſt ſagen, er ſey heilig, fromm, gerecht und GOttes Kind, der Seligkeit gewiß, und muß hieran gar nicht zweiffeln, nicht aus ihm, oder um ſeiner Verdienſt und Werck willen, ſondern aus lauter Barmhertzigkeit GOttes in Chriſto über ihn ausgegoſſen. Dieſelbe acht er ſo groß, wie ſie denn auch iſt, daß er nicht zweiffelt, ſie mach ihn heilig und GOttes Kind. Und wo er daran zweiffelt, thut er ſeiner Tauffe und Sacrament die höchſte Unehre, und Lügen ſtraffet GOttes Wort und Gnade in den Sacramenten. Denn es ſoll hie nicht Forcht oder Wancken ſeyn, daß er frumm und GOttes Kind ſey aus Gnaden, ſondern allein förchten und ſorgen, wie er alſo bleib biß ans End beſtändig, in welchem allein alle Fahr und Sorg ſtehet, denn es iſt alle Seligkeit da gewißlich, aber ungewiß und ſorglich iſts, ob er beſtehe und ſie behalt, da muß man in Forcht wandeln, denn ſolcher Glaube pocht nicht auf Werck oder ſich ſelb, ſondern allein auf GOtt, und ſeine Gnad, dieſelb mag und kan ihn auch nicht laſſen, dieweil das pochen währt, aber wie lang es währen wird, weiß er nicht, ob ihn ein Anfech-

esse verum, id placere Deo, nosque tuto rectum agere, præsertim cum ipsi fateamini esse rem humanam, quæ spiritus testimonium non habet. &c. Hinc videre potest Vitus, non negare Lutherum, *orare, jejunare*, ut nondum quidem spiritualia, Deoque sic placentia opera, & similia naturalibus hominis viribus fieri posse; nam de precibus, quales credentium sunt, item illorum, qui nondum fiduciam conceperunt, sed ad eam usu verbi divini à Spiritu Sancto præparantur, de quorum precibus b. Joh. Fechtii dissertatio legi potest, non esse hic sermonem, per se clarum est. Non est itaque, quod pædagogica & naturalia opera, quæ nos non renato tribuimus, tantopere exagitet, nosque ἀποςασίας a Luthero nostro temere accuset.

§. 67. Non possum quoque, quin alterum huc transscribam locum, f. 478. a. quo Longobardum, Scholasticorum magistrum, satis tolerabili modo locutum, & sola verbi controversia torqueri, h. e. cum melius sentiret, non esse optime locutum ait, verba deinde hæc subjungit: *Finge mihi Sophistam minime malum dari, cum quo semotus familiari colloquio ista conferrem, & candidum ac liberum judicium postularem in hunc modum: Si quispiam tibi id liberum diceret esse, quod sua virtute non nisi in alteram partem possit, scil. in malam, in alteram vero, nempe, in bonam, possit quidem, sed non sua virtute, imo alterius duntaxat auxilio, possis etiam*

tenere

tenere risum amice? Nam sic lapidem aut truncum facile obtinebo habere liberum arbitrium, ut qui & sursum & deorsum vergere potest, sed vi sua nonnisi deosum, alterius vero solum auxilio sursum. Hinc patet 1) Lutherum neque illos à se alienos putasse, qui dixerint liberum arbitrium *posse aliquid*, Dei nempe virtute & auxilio, modo addant *per se nihil posse.* Atque in hunc modum ipsum non raro locutum esse, cum lectio librorum Lutheri, tum aliquot exempla, à me passim excerpta, docent, quamvis hodie ob lites, quæ cum Synergistis & Semipelagianis intercessere, merito his quoque locutionibus abstinemus, præsertim non addita explicatione. Quanto minus autem idem Lutherus hodiernos Lutheranos à se alienos putaret, si viveret, quorum nemo *auxilio* divino liberum arbitrium aliquid in regeneratione posse, dicit, nam ut dixi, vocabulo *auxilii*, quod videtur virium aliquid, tametsi pusillum in nobis ponere, nolumus uti. 2) Quantum Lutherus Erasmum etiam à Scholasticorum non plane probata sententia abesse & pejora de liberi arbitrii viribus docere crediderit. Id quod recte putasse Lutherum, paullo post ex instituto demonstrabo, ut adeo satis mirari non possim, clarissimum Vitum vehementer contendere, Erasmum idem, quod hodierni Lutherani, Lutherum idem, quod hodierni Supralapsarii, docuisse.

§. 68.

§. 68. Hinc, cum Erasmus, qui sibi in tota hac caussa parum constitit, triplicem posuisset de L. A. sententiam, 1) probabilem, & Erasmo quoque probatam; quæ neget posse hominem velle bonum, sine peculiari gratia, neget posse incipere, posse progredi perficere &c. 2) duriorem, eorum, qui contendant liberum arbitrium nihil valere nisi ad peccandum, solam gratiam in nobis operari bonum &c. 3) durissimam vero illorum, qui dicant nomen inane esse liberum arbitrium, sed Deum tam bona, quam mala in nobis operari &c. Lutherus f. 478. b. graviter monet, *se tres istas, quas diversas putet Erasmus, opiniones, plane pro eadem habere, itaque si primam probet Erasmus, frustra pugnari contra duas posteriores.* f. 479. b. qua fuit ingenuitate, vir sanctæ memoriæ, de eadem re locutus addit: *Forte non sumus satis Latini, vel Germani, ut rem ipsam non potuerimus edisserere, sed testor Deum, aliud nihil volui dicere, nec aliud intelligi per verba duarum postremarum opinionum, quam id quod dicitur in prima opinione.*

§. 69. Lutherus homini in rebus sese inferioribus liberum arbitrium, h. e. facultatem eligendi & non eligendi &c. ubique relinquit, ita quidem, ut ne negetur directio Dei harum quoque rerum, utque id ipsum est, quod nos hodie omnes docemus & confitemur. Verba aliqua recitabo. f. 480. a. *Ut per Ecclesiasticum intelligamus hominem in duo regna distri-*

distribui, uno, quo fertur suo arbitrio & consilio, absque præceptis & mandatis Dei, puta in rebus sese inferioribus. Hic regnat & est dominus, ut in manu consilii sui relictus, non quod Deus illum sic deserat, ut non in omnibus cooperetur, sed quod usum rerum illi liberum pro arbitrio concesserit, nec ullis legibus aut præscriptis inhibuerit. Paullo post Lutherus pergit: *Altero vero regno non relinquitur in manu consilii sui, sed arbitrio & consilio Dei fertur & ducitur, ut, sicut in suo regno, fertur suo arbitrio absque præceptis alterius: ita in regno DEI fertur alterius præceptis absque suo arbitrio.*

§. 70. Universalis porro gratiæ divinæ minime obscurum testimonium est, quod legimus f. 483. a. *Scit enim Satan, quod si homo suam miseriam nosset, nullum retinere in suo regno posset, quod agnitæ miseriæ & clamantis Deus non possit non statim misereri & auxiliari, ut qui prope esse contritis corde tanta laude prædicetur per omnem scripturam, ut etiam Evangelium pauperibus prædicare & contritis mederi Christus Es. LXI. sese missum testetur.* Itaque è b. Lutheri mente diabolus videt omnibus, quos ipse adhuc constrictos tenet, paratam esse apud Deum gratiam, nisi eos retineat, at non est parata misericordia, si ut Reformati ac Supralapsarii potissimum volunt, non sunt redemti per Christum. Neque vero diabolum hac in re falli putat Lutherus. Quæ de verbis: *Nolo mortem peccatoris &c.* f. 485. disserit, pulcherrima sunt, sed fusiora, quam ut exscribenda videantur. Sed

hæc

Sed hæc subjicio, quæ f. 485. b. extant; *Sic dicimus. DEUS pius non deplorat mortem populi, quam operatur in illo, sed deplorat mortem, quam invenit in populo, & amovere studet. Hoc enim agit Deus prædicatus, ut ablato peccato & morte salvi simus. Misit enim verbum suum & sanavit eos. Ceterum Deus absconditus in majestate, neque deplorat neque tollit mortem, sed operatur vitam, mortem, & omnia in omnibus. Neque enim tum verbo definivit sese, sed liberum sese reservavit super omnia.* Quibus omnibus nihil plane aliud, nec plus minusve docuit, quam nos usitata Chrysostomo & Damasceno distinctione *voluntatis* divinæ *antecedentis*, & *consequentis*, seu *judiciariæ*, volumus; Deo enim abscondito ea tribuit Lutherus, quibus se non definivit verbo suo, ceterum hoc ipsum est, quo se DEUS non definivit, judicium de singulis hominibus, & dispensatio graduum gratiæ.

§. 71. Ut, quæ sæpius de Deo incarnato revelatoque atque abscondito Theander habet, semel recte intelligantur, operæ pretium erit, locum, licet amplum, recitare: f. 487. a. b. *Nos dicimus, ut jam antea diximus, de secreta illa voluntate majestatis non esse disputandum, & temeritatem humanam, quæ perpetua perversitate relictis necessariis, illam semper impetit & tentat, esse avocandam & retrahendam, ne occupet sese scrutandis illis secretis majestatis, quæ impossibile est attingere, ut quæ habitet lucem inaccessibilem teste Paulo. Occupet vero sese cum Deo incarnato,*

seu,

ſeu, ut Paulus loquitur, cum JESU crucifixo, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ, ſed abſconditi, per hunc enim abunde habet, quid ſcire & non ſcire debeat. DEUS igitur incarnatus hic loquitur. Volui & tu noluiſti; DEUS, inquam, incarnatus in hoc miſſus eſt, ut velit, loquatur, faciat, patiatur, omnibus omnia, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria, licet plurimos offendat, qui ſecreta illa voluntate majeſtatis vel relicti vel indurati, non ſuſcipiunt volentem, loquentem, facientem, offerentem, ſicut Johannes dicit: Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non apprehenderunt. Et iterum, in propria venit, & ſui non receperunt eum. Hujus itidem DEI incarnati eſt flere, deplorare, gemere, ſuper perditione impiorum, cum voluntas majeſtatis ex propoſito aliquos relinquat & reprobet, ut pereant. Nec nobis quærendum, cur ita faciat, ſed reverendus DEUS, qui talia & poſſit & velit. Rectiſſime hæc omnia Lutherus, cui in mentem nunquam venit miſera gloſſa, *de voluntate ſigni & beneplaciti.* Si ita intelligatur, ut voluntas ſigni non ſit ſeria. Clariſſime enim Chriſtum miſſum dicit, *ut velit, loquatur, patiatur, omnibus omnia, quæ ſunt ad ſalutem neceſſaria, ad quæ cumprimis ipſa redemtio præſtita requiritur*, ſecreta voluntate nobis incognita, h. e. qua DEUS, quos videt non accepturos vel abjecturos gratiam, ad damnationem deſtinat, non velle omnium ſalutem, ſcimus omnes. Sed quos complectatur illa voluntas, manet hac in vita abſconditum, ut & hoc occultum ma-

 net,

net, cur DEUS alios maturius, alios tardius, & profusis antea pluribus gratiæ donis relinquat & induret, hic reverendum esse numen nec scrutandum, fatemur omnes.

§. 72. Quamquam jam demonstravimus Luthero vocem *necessitatis* significare, quod ceteri per *certum* intelligunt, idem tamen porro luculentius etiam è duobus locis Lutheri ostendisse non ab re erit. fol. 498. b. *At talem esse oportere DEUM verum & vivum, qui libertate sua necessitatem imponat nobis, ipsa ratio naturalis cogitur confiteri, videlicet, quod ridiculus ille DEUS fuerit, aut idolum verius, qui INCERTO prævideat futura, aut fallatur eventis, cum & gentiles Diis suis fatum dederint ineluctabile.* &c. fol. 499. a. *obsecro, an disputamus nunc de coactione & vi? nonne de necessitate immutabilitatis nos loqui, tot libellis testati sumus? Scimus, quod pater volens gignit, quod Judas volendo prodidit Christum. Sed hoc velle in ipso Juda certo & infallibiliter futurum fuisse dicimus, si DEUS præscivit. Aut, si nondum intelliguntur, quæ dico, aliam necessitatem violentam ad opus, aliam necessitatem infallibilem ad tempus referamus. De posteriori nos loqui intelligat, non de priore, hoc est, non disputamus, an Judas invitus aut volens proditor sit factus, sed an tempore prædefinito à DEO infallibiliter fieri oportuerit, ut Judas volendo proderet Christum.*

§. 73. Aliquoties Vitus noster, qui de Leibnitiana Philosophia legit aliquid audivitque eamque sibi placere ait, necessaria qui-

quidem aliqua negat esse, ita, ut ne in alio quidem mundo, si elegisset DEUS alium, non fuissent non locum habitura; ceterum in hoc semel à DEO electo mundo necessaria esse. Hinc verba Viti, quæ & loca alia deinceps allegabimus. vid. interim Vindic. p. 251. *Res, cum existant, aliter fieri non potuisse.* Cui quidem, Leibnitianæ Philosophiæ, dexterrimus, ut Vito creditur, interpres, Clariss. Wolfius parum adsentitur. Gedancken von GOTT, der Welt, &c. f. 570. Es ist möglich, daß ich aufstehe, indem ich sitze, denn die Bewegungen des Leibes, die darzu erfodert werden, sind möglich; dieses erhellet daraus, weil es hernach zu andern Zeiten geschiehet. Noli dicere hæc cum aliis hujus philosophi placitis non bene conspirare, nam & alibi occurret locus, ubi ejus Philosophum statuisse, quod claris verbis docuit, quia tibi videbatur adversari ceteris Cl. Wolfii hypothesibus. Verum hæc obiter. Demonstraturus eram B. Luthero totum hoc commentum de re, quæ posset in alio mundo fieri, incognitum fuisse. fol. 504. b. *caussa dicendi fuit, quod filii hominum ducerent uxores mera carnis libidine, deinde tyrannide terram premerent, ita ut diluvium accelerare cogerent iratum DEUM, & vix centum viginti annos differre, quod alias nunquam erat inducturus.* Non putavit Lutherus, in alio quodam possibili mundo, sed in hoc ipso non futurum fuisse diluvium, nisi malitia hominum, quod

fieri minime necesse fuit, usque adeo crevisset.

§. 74. De universali merito Christi egregium testimonium est, pag. 508. a. *Igitur, si Christus est agnus DEI, qui tollit peccatum mundi, mundum totum, sub peccato, damnatione & diabolo esse sequitur.* Nostrum argumentum, quo colligimus CHRISTUM esse communem omnium Salvatorem, quia ejus mundi peccata tulit, qui totus malus ex hominibus malis compositus est, elevare conantur, frustra quidem, Reformati. Sed adeo Lutherus de hac interpretatione non dubitat, ut ponat tanquam rem confessam notamque CHRISTUM omnium Salvatorem esse, atque inde porro colligat, totum adeo mundum corruptum fuisse, quia non posset CHRISTUS salvasse, nisi qui essent corrupti.

§. 75. Sufficere æquo lectori poterant, quæ supra ex Luthero laudavimus, *non repugnantiam*; de qua invidiose multa Vitus habet, non esse viribus hominis naturalibus, sed jam à Spiritu S. præventis, ab optimo Luthero negatam: Sed, insuper aliquot loca, quæ se offerunt, non pigebit legisse. *fol.* 511. *b.* Non enim *de esse naturæ loquimur, sed de esse gratiæ, ut vocant, scimus liberum arbitrium natura aliquid facere, ut comedere, bibere, gignere, regere, ne nos delirio illo, velut argutuló, rideat, quod nec peccare quidem liceret, sine Christo, si vocem NIHIL, urgeamus, cum tamen Lutherus donarit,*

rit, liberum arbitrium valere nihil nisi ad peccandum; adeo libuit sapienti diatribæ ineptire etiam in re seria. Dicimus enim hominem extra gratiam DEI manere nihilominus sub generali omnipotentia DEI facientis moventis, rapientis, omnia necessario & infallibili cursu. Sed hoc, quod sic raptus homo facit, esse nihil, id est, nihil valere coram DEO, nec aliud reputari, quam peccatum. fol. 512. a. *Sed dentur adhuc eadem opera DEO & homini, quid efficiunt istæ similitudines? nihil nisi quod creatura DEO operanti cooperatur. At nunquid nos de cooperatione nunc disputamus, ac non potius de propria vi & operatione liberi arbitrii. Quo igitur Rhetor ille fugit, qui dicturus de palma, nihil dicit, nisi de cucurbita. Amphora cæpit institui, cur urceus exit.* Ibid. *Ubi Spiritu gratiæ agit in illis, quos justificavit, hoc est, in regno suo, similiter eos agit & movet, & illi, ut sunt nova creatura, sequuntur & cooperantur, vel potius, ut Paulus ait, aguntur.* Ibid. *Sed non operatur in nobis sine nobis, ut quos ad hoc creavit & servavit, ut in nobis operaretur, & nos ei cooperaremur, sive hoc fiat extra regnum suum generali omnipotentia, sive intra regnum suum singulari virtute Spiritus sui.* Qui ex his, atque similibus locis, non videt libero arbitrio, in sphæra rerum spiritualium quidem nihil plane, quod agat, incipiat, perficiat, sed tamen eidem à Spiritu S. prævento & aliquatenus excitato, ut non repugnet voluntariè, quod non actio est, sed actionis omissio, tribui à Luthero, eum puto nulla responsione contentum fore. Placet,

antequam hinc abeam, in gratiam Viri mei, qui nos quoties de pædagogicis actionibus loquimur, extra sphæram Spiritu alium rerum Semi-Pelagianismi inclementer accusat, quærere: an Lutherus quoque Semi-Pelagianus fuerit, an. 1722. quo anno in der Auslegung der Epistel in der Christ-Nacht, fol 3. b. scripsit: Wahr ist, daß fressen, sauffen, und voll seyn, solchs erbar Leben am allermeisten hindert und verstöret; wiederum nüchtern seyn, ein groß Förderung und Hülff dazu ist. Quamquam vix putandum est esse aliquem, qui nisi studio contradicere velit, non fateatur, hominem, qui civilem honestatem amat, quod naturalibus viribus, utcunque fieri posse, omnes largiuntur, non paullo propius ab initiis veræ pietatis abesse, quam qui sordibus voluntantur, nisi quod hypocritas difficilius, quam ipsa scorta converti Christus dixit. Huc pertinent verba Lutheri fol. 518. a. *Atque ut dem liberum arbitrium per conatum suum aliquo posse promoveri, videlicet ad opera bona, vel ad justitiam legis civilis vel moralis: ad justitiam tamen DEI non promovetur, nec ullo respectu dignatur ejus studia DEUS ad suam justitiam, dum dicit: Sine justitia, justitiam suam valere. Si vero ad justitiam DEI non promovet, quid profuerit illi, si operibus & conatibus suis promoveret, si possit fieri, etiam ad angelorum sanctimoniam.*

§. 76. Neque memoria indigna sunt verba Lutheri, f. 520. a. *Vehementer admiror, quod, cum*

cum Paulus toties utatur vocabulis illis universalibus: omnes, nullus, non, nusquam, sine; ut omnes declinaverunt, non est justus quisquam, non est, qui faciat bonum, nec unus quidem; omnes unius delicto peccatores & damnati sunt; fide, sine lege, sine operibus justificamur; ut si aliter quispiam velit, non posset tamen clarius & apertius loqui: Miror, inquam, qui factum sit, ut adversus has universales voces & sententias prævaluerint contrariæ, immo contradictoriæ, scilicet: Aliqui sunt non declinantes, &c. Facile conjicitur, quæ mens beati viri fuerit de iis, qui clarissimis locis de universalitate gratiæ DEI & meriti Christi in Scriptura, necdum cedere volunt. Vidimus enim Lutherum ex universalitate redemtionis collegisse universalitatem lapsus. Sic f. 521. b. de significatione vocis: *mundus*, apud Joh. ita scribit: *Et peculiaris est usus vocabuli hujus, mundus, apud hunc Apostolum, quo prorsus totum genus humanum intelligit.* Sic Lutherus f. 490. b. Johannes hoc vult: *Veniente Christo in mundum per Evangelium, quo offertur gratia, non autem exigitur opus, copiam fieri cunctis hominibus, magnificam sane, ut filii DEI sint, si credere velint. Ceterum hoc velle, hoc credere, in nomine ejus, sicut liberum arbitrium nunquam novit, nec cogitavit de eo antea, ita multo minus potest suis viribus* &c. paullo post: *Igitur Johannes divitias regni DEI per Evangelium mundo oblatas, non autem virtutes liberi arbitrii prædicat, simul significans, quam pauci sint, qui acceptent, repugnante scilicet libero arbitrio.*

§. 77. Quantum è Lutheri ſententia liberum arbitrium valeat,nempe in ſpiritualibus nihil, in pædagogicis aliquid, age, inſignem locum audiamus. f. 522. a. *Audiamus & exemplum liberi arbitrii. Nicodemus ſcil. vir eſt; in quo nihil queas deſiderare, quod liberum arbitrium valeat. Quid enim vir ille omittit ſtudii ac conatus? Fatetur, DEUM veracem & à DEO veniſſe, ſigna prædicat, venit nocte, auditurus & collaturus reliqua, an non is quæſiiſſe videtur vi liberi arbitrii ea, quæ ſunt pietatis & ſalutis? Sed vide, ut impingat? Cum à Chriſto veram viam ſalutis per renaſcentiam doceri audit, nunquid eam agnoſcit, aut ſeſe illam aliquando quæſiiſſe fatetur. Immo ſic abhorret & confunditur.* &c.

§. 78. Quæ de ideis *juſtitiæ* &c. ſupra expoſuimus, ea B. Lutheri menti maxime eſſe conformia, dubitari nequit. Ita hic f. 524. b. *Incomprehenſibilia autem non eſſent judicia DEI, ſi nos per omnia capere valeremus, quare ſint juſta? Quid eſt homo comparatus DEO? Quantum eſt, quod potentia noſtra poteſt, illius potentiæ comparata? Quid eſt noſtra fortitudo illius viribus collata?* &c. Nimirum hoc vult, in DEO omnia eſſe infinita, quæ in homine modica ſunt, ceterum ideas generales juſtitiæ, virtutis, potentiæ, ita quidem ut abſtrahatur, quo gradu DEO hominive inſint, manere eaſdem.

§. 79. His è libro de S. A. obſervatis, alia Lutheri ſubjuncturus eram, ſed mutavi conſilium pauca notaſſe contentus. Non uno

loco

loco Vitus, qua ſolet, confidentia, Lutherum atque veteres Lutheranos, ita ut Reformatos docuiſſe ait: *fieri non poſſe, ut vere regenitus gratia excidat.* Anno 1552. etſi tum non ſatis ſeſe expedire potuiſſe ipſemet obſervo, hoc certe non credidit vir beatiſſimus. Nam eo anno Auslegung der Epiſtel am Sonntag nach dem Chriſttag f. m. 70. a. ita verba facit: Wo er nun das glaubt, ſo muß er frey von ihm ſelbſt ſagen, er ſey heilig, fromm, gerecht und GOttes Kind, der Seligkeit gewiß, und muß hieran gar nicht zweiffeln, nicht aus ihm, oder um ſeiner Verdienſt und Werck willen, ſondern aus lauter Barmhertzigkeit GOttes in Chriſto über ihn ausgegoſſen. Dieſelbe acht er ſo groß, wie ſie denn auch iſt, daß er nicht zweiffelt, ſie mach ihn heilig und GOttes Kind. Und wo er daran zweiffelt, thut er ſeiner Tauffe und Sacrament die höchſte Unehre, und Lügen ſtraffet GOttes Wort und Gnade in den Sacramenten. Denn es ſoll hie nicht Forcht oder Wancken ſeyn, daß er frumm und GOttes Kind ſey aus Gnaden, ſondern allein förchten und ſorgen, wie er alſo bleib biß ans End beſtändig, in welchem allein alle Fahr und Sorg ſtehet, denn es iſt alle Seligkeit da gewißlich, aber ungewiß und ſorglich iſts, ob er beſtehe und ſie behalt, da muß man in Forcht wandeln, denn ſolcher Glaube pocht nicht auf Werck oder ſich ſelb, ſondern allein auf GOtt, und ſeine Gnad, dieſelb mag und kan ihn auch nicht laſſen, dieweil das pochen währt, aber wie lang es währen wird, weiß er nicht, ob ihn ein Anfech-

 tung

tung davon treiben möcht, daß solchs pochen auffhört, so höret die Gnade auch auf. Das meynt Salomo Eccles. IX. Es sind Rechtfertige und ihre Werck in GOttes Hand, dennoch wird es alles in zukünfftig Ungewißheit gestellet, daß der Mensch nicht weiß, ob er Gnaden oder Ungnaden würdig sey. Er spricht nicht, daß es gegenwärtig ungewiß sey, sondern zukünfftig, darum daß der Mensch nicht weiß, ob er bleiben werde, vor dem Anstossen der Anfechtung. In his, si quis dixerit, potuisse paucula quædam, quæ Pontificiam doctrinam de perpetua dubitatione redolere videntur, cautius poni, me non habebit refragantem. Ceterum hypotheticam certitudinem esse perseverantiæ in fide, & niti usu perpetuo mediorum gratiæ, verbi, sacramentorum, precum, qui quidem usus, omitti, si homo velit, potest, cum fatente Luthero omnes fatemur, & contrarium errorem judicamus maxime periculosum esse. Tu vero sapientissime facies clarissime Vite! ubi nos perjurii & defectionis à Lutheri sententia, cujus in libris, nescio quantum versatus sis, paucius aliquanto accusaveris. Conscripturus eram syllogen locorum è Lutheri scriptis, in quibus a Reformatis tuis longissime abit, præter illas de re sacramentaria & persona Christi lites, multo longiorem, quam illa Pandochei, quam tu nobis opponis, quæque tuam caussam ita confoderet, ut opera Pandochei, hominis Lutherani, nostræ

caussæ

caussæ ne minimum quidem obfuit. Sed videbam in re plana non opus esse. Faciam vero, ubi monitus fuero ex usu esse.

§. 80. Vicem eorum, quæ nunc omitto, facile supplebit locus egregius Lutheri, quem recitabo integrum, über das 16. Capitel Joh. Wittenberg an. 1538. lit. L. 4. Aber allhie wird nicht nur der Unglaube, so von Adam in die menschliche Natur gepflantzet ist, angezogen, sondern deutlich solcher Unglaube, daß man nicht glaubt an Christum, nemlich so das Evangelium von Christo geprediget wird, daß wir unsere Sünde erkennen und durch Christum Gnade suchen und erlangen sollen. Denn nachdem Christus kommen ist, hat er die Sünde Adams und des gantzen menschlichen Geschlechts, nemlich den vorigen Unglauben und Ungehorsam für GOtt aufgehaben, durch sein Leiden und Sterben, und einen neuen Himmel gebauet, der Gnaden und Vergebung, daß uns solche von Adam uns angebohrne Sünde hinfurt nicht soll unter GOTTES Zorn und Verdammniß behalten, so wir an diesen Heyland glauben; und soll nun hinfurt heissen, wer da verdammt wird, der darff über Adam und seine angebohrne Sünde nicht klagen, denn dieser Saame des Weibs von GOTT verheissen, daß er der Schlange den Kopff zertreten solte, der ist nun kommen, und hat für solche Sünde bezahlt, und die Verdammniß weggenommen. Sondern muß über sein eigenen Hals schreyen, daß er diesen Christum des Teuffels Kopfftreter und Sünden Würger nicht hat angenommen, noch an ihn geglaubet. Also stehet

het einem jeglichen die Fahr auf seiner eigenen Person, und ist sein eigen Schuld, so er verdammet wird, nicht darum, daß er von Adam und seines vorigen Unglaubens halber ein Sünder und der Verdammniß wehrt ist, sondern daß er diesen Heyland Christum, der unser Sünde und Verdammniß auffhebt, nicht annehmen will. Wohl ists wahr, daß uns Adam alle verdammet hat, als der uns mit ihm in Sünde und des Teuffels Gewalt geführet, aber nun Christus der andere Adam kommen ist, ohn Sünde gebohren, und dieselbige hinwegnimmt, muß sie mich so, wie ich an ihn glaube, nicht mehr verdammen, sondern soll durch ihn davon loß und selig werden. Glaube ich aber nicht, so muß wohl dieselbige Sünde und Verdammniß bleiben, weil der nicht ergriffen wird, der mich soll davon erlösen. Ja es wird nun zwiefältig grösser und schwerer Sünde und Verdammniß, daß ich diesen lieben Heyland, durch den mir soll geholffen werden, nicht glauben noch seine Erlösung annehmen will, also liegt jetzt alle unsere, beide Seligkeit und Verdammniß an dem, ob wir an Christum glauben oder nicht; und ist das Urtheil schon endlich gangen, welches den Himmel zuschleußt und abspricht, allen, so diesen Glauben Christi nicht haben noch annehmen wollen, denn dieser Unglaube behält alle Sünde, daß sie nicht kan Vergebung erlangen, gleichwie der Glaube alle Sünde auffhebt. Si neque ex hoc loco Vite optime! nos cum Luthero, Lutherum nobiscum sentire intelligis., ego, quid clarum esse possit, fateor

fateor me ignorare, nam hæc puto esse clarissima.

§. 81. Dixi me ea quoque velle percensere, quæ mihi in libro Lutheri de S. A. minus commode vel horridius etiam, si hoc vocabulo uti omnino placeat, dicta videntur, quæ quidem omnia ita comparata sunt, ut & admittant bonam interpretationem & ab gnaris sententiæ Lutheranæ facile obtineat, nam quo quisque in scriptis b. Lutheri versatior est, eo magis Viti præcipitem animum miratur, qui doctissimos interpretes ac vindices hujus libelli, acerbissimis conviciis aggressus est. Sed veniamus in rem præsentem! Igitur f. 461. b. Ita Lutherus: *Est itaque & hoc inprimis necessarium & salutare, Christiano, nosse, quod Deus nihil præscit contingenter, sed, quod omnia incommutabili & æterna infallibilique voluntate & prævidet & proponit & facit.* Duriusculum est, quod voce *incommutabilis*, utitur vir beatus, & verbo *facit*, quibus mihi videtur abstinere potuisse, ut nihilominus mentem suam exponeret. Ceterum è superioribus patet, qualis *incommutabilitas* intelligatur, nempe qua futurum non est, ut res aliter, quam prævisa est, suo tempore eveniat, sive *certitudo*. *Facere* autem Deus dicitur Luthero mala quoque, cum nempe influxu generali, vires, quibus res mala fit, largitur, in eaque dirigenda speciali providentia occupatus est. Sed, ut dixi, satius est vocabulo abstinere.

§. 82.

§. 82. Fol. 462. a. distinctionem necessitatis consequentis ac consequentiæ, cum *ceteris ludibriis* rejecisse videtur, & quamquam mens b. viri ibidem satis aperta est, dicit enim *necessitatem consequentis esse, qua res ipsa sit necessaria quoad essentiam, hoc modo autem solum Deum necessarium esse, nihil itaque contra se effici si quis dixerit, actionem aliquam non esse necessariam necessitete consequentis, idem enim esse, ac si quis demonstrare vellet, actionem non esse ipsum Deum, qua de re nemo dubitet:* Mallem tamen rejectam esse distinctionem, nam tametsi eo sensu, quo accepit Lutherus, inutilis est, potest tamen meliore sensu usurpari, uti eam Philippus superstite & minime improbante Luthero, an. 1542. adhibuit. Recitabo locum è locis communibus à Justo Jona germanice versum f. m. 35. Aus solchen Trost-Worten und Verheissungen folget wohl, daß GOtt den Gläubigen Hülffe thut, dem Teuffel und den Tyrannen wehrt, aber daraus folget nicht, daß Teuffel und Tyrannen müssen ihre GOttslästerung, Unzucht oder Wüterey vornehmen. Zum dritten, es wird auch dagegen angezogen, dieweil GOtt alles zuvor weiß, und bey sich beschlossen hat. Was er thun, auch was er verhängen will, und GOtt fehlet nicht, sondern wie er alles weiß, also geschicht es, daraus wollen etliche schlüssen, als müß also ergehen, und könte nicht anders gehen. Darauf ist ein gemeine Antwort, die nicht übel bedacht ist, daß grosser Unterscheid ist zwischen diesen drey Stücken, erstlich, daß

daß GOtt ist, und also ist, daß er ein ewiges, lebendiges, weises, gutes, gerechtes und barmhertziges Wesen ist rc. Solches ist also nöthig und muß also seyn, und kan nicht anders seyn, dieses heisset necessitas absoluta. Der ander Grad ist, daß etliche Werck hätten mögen anders seyn, aber sie werden nöthig derhalben, daß sie also beschlossen sind, als, daß Israel soll aus Egypten wiederum in Canaan geführet werden, und dergleichen. Dieses heißt: necessitas consequentiæ. Das ist, nöthig von wegen der Folge, daß GOTT solches nicht allein weiß, sondern auch beschlossen hat, und würcken will. Der dritte Grad ist böser Werck, die GOtt nicht will, verhänget sie aber, so lange er bedacht hat, und hat die Straffe darauf geordnet. Wie er spricht von Sennacherib, er wolle ihm einen Zaum ins Maul legen, und ihn wiederum zurück führen. Also verhänget GOtt dem Pharao, Saul rc. und setzet ihnen ein Ziel, da sie müssen auffhören. Weil nun die Straffe beschlossen, doch aus vorgehenden Ursachen, wird solches nöthig, nicht an ihm selbst, sondern von wegen der Folge. Denn Pharao, Saul und dergleichen sind nicht gezwungen gewesen ihren Trutz zu üben, und, so sie abgelassen, wäre die Straffe nicht gefolget, wie Ninive verschonet ward. Eodem libro à Justo Jona verso ita claræ sunt confessiones de iis omnibus, in quibus Lutherani à Reformatis in capite de prædest. dissentiunt, ut clariores esse non possint.

§. 83.

§. 83. Quæ *f.* 466. *b.* differit, ac dura esse fatetur, sed Pauli menti congrua putat, ex epist. *ad Rom. cap. IX.* sunt beato viro cum ceteris fere omnibus nostratis Ecclesiæ Theologis communia, qui neutiquam inde sequi concedent, quod Vitus vult. Sed, quæ mihi de toto illo argumento videantur, exposui. *f.* 468. *a.* autem ita dure loquitur, B. Lutherus, ut simul, quam bona fuerit sanctissimæ animæ sententia, eluceat: *Si Deus in nobis operatur, mutata & blande assibilata per Spiritum Dei voluntas, iterum mera lubentia & pronitate ac sponte sua vult & facit, non coacte, ut nullis contrariis mutari in aliud possit, ne portis quidem inferi vinci aut cogi, sed pergit volendo, & lubendo & amando bonum, sicut antea voluit & lubuit & amavit malum. Quod iterum probat experientia, quam invicti & constantes sint viri sancti, dum per vim ad alia coguntur, ut magis inde irritentur ad volendum, sicut ignis à vento magis inflammatur, quam extinguitur; ut nec hic sit ulla libertas vel liberum arbitrium alio sese vertendi, aut aliud volendi, donec durat Spiritus & gratia Dei in homine.* Paullo post: *Sic humana voluntas in medio posita est, ceu jumentum, si insederit DEUS, vult & vadit, quo vult Deus, ut Psalmus dicit: Factus sum sicut jumentum & ego semper tecum. Si insederit Satan, vult & vadit, quo vult Satan, nec est in ejus arbitrio, ad utrum sessorem currere, aut eum quærere, sed ipsi sessores certant ob ipsum obtinendum & possidendum.* Durum, quis neget? Videtur ipsis regenitis

libe-

liberum arbitrium ac libertatem a Luthero negari; ſed apparet, nihil aliud intelligi, quam inclinationem fortiſſimam ad bonum, quæ à Spiritu Sancto venit, non ut plane non poſſint obluctari, nam poſſe hoc fieri Lutherus ubique docet, ut vidimus; ſed ut difficulter ad volendum alia adduci poſſint. Ut vero hæc neceſſitas ad bonum improprio aliquo ſenſu accipienda eſt, ita & neceſſitas ad ea mala, quæ impii faciunt. e. g. atrocia externa flagitia, minime propria eſt neceſſitas, quamquam neceſſario mali aliquid agant, ob corruptæ naturæ pravitatem. Porro phraſis Lutheri: *pios irritari ad bene volendum*, cum per vim ad alia coguntur, explicat ejusdem mentem, quando, *irritari malos ad male volendum*, dicit, cum nempe objecta proponuntur, quæ ad alia inflectere debebant, non ſublata hominis impulſiva qualitate. Quid enim tum facit mali DEUS. Nihil ſane; ſed omnibus tamen rebus, quæ impium ad frugem deberent reducere, magis etiam irritat, poſtquam juſto judicio, ob antecedentia ſcelera, malitiam internam non decrevit extraordinariis rationibus frangere. Dura eſt phraſis: *hominem velut jumentum in medio poſitum* eſſe; ſed facile videmus; ut illa vis, quam Satanas homini infert, non eſt proprie ſic dicta neceſſitas, quem tamen hic Lutherus alterum ſeſſorem appellat, ita nec vis divina hominem agens proprie ſic dicta neceſſitas

ceſſitas eſt. Locutus igitur eſt b. Lutherus duriuſcule, ſenſit optime.

§. 84. Fol. 474. b. aliquid offendere incautum lectorem poſſet, quod, quamquam ad cauſſam, quæ mihi cum Vito eſt, non pertinet, tamen, quia recepi duriora omnia colligere, paucis exponam: *Deinde contra te de tota Scriptura dico, nullam ejus partem volo obſcuram dici, ſtat ibi, quod ex Petro retulimus, lampadem lucentem nobis eſſe verbum DEI, in loco caliginoſo. Quod ſi pars hujus lampadis non lucet, potius pars caliginoſi loci, quam ipſius lampadis erit.* Hæc ſignificare videntur nihil plane obſcurum eſſe, in interpretatione Scripturæ, quod quantopere ab ipſius Lutheri ſententia abeat, in aprico eſt. Neque nego incommodius hæc dicta eſſe, ceterum mentem b. viri fuiſſe, nullam partem doctrinæ Chriſtianæ non clare eſſe in Scriptura expoſitam, attento lectori patet; addit igitur: *Non ſic illuminavit nos Chriſtus, ut aliquam partem obſcuram voluerit relictam nobis in ſuo verbo, dum nos ad illud jubet attendere, fruſtra enim attendere jubet, ſi non lucet.*

§. 85. Incommodius dictum arbitror hoc Lutheri: fol. 481. b. *Loquimur autem hic non de homine primo ſolum, ſed de quolibet, quamvis parum referat, de primo, vel de aliis quibuslibet intelligas. Nam etſi primus homo non erat impotens adſiſtente gratia, tamen in hoc præcepto, ſatis ei oſtendit DEUS, quam eſſet impotens abſente gratia. Quod ſi is homo,*

mo, cum adesset Spiritus nova voluntate non potuit velle bonum de novo propositum, i. e. obedientiam, quia Spiritus illam non addebat, quid nos sine Spiritu possemus in bono amisso? Ostensum est ergo in isto homine terribili exemplo, pro nostra superbia conterenda, quid possit liberum arbitrium nostrum sibi relictum, ac non continuo magis ac magis actum & auctum Spiritu DEI. Ille non potuit in auctiorem Spiritum, cujus primitias habebat, sed cecidit à primitiis Spiritus; quomodo nos lapsi possemus in primitias Spiritus ablatas? &c. Ex his verbis colligitur maxima specie, hominem primum, acceptis in creatione viribus, ne quidem stare potuisse, sed fuisse præterea gratia superaddenda opus, qua negata, homo lapsus sit. At, si hoc colligitur, quod quidem Lutherus, qui *Spiritum adfuisse primo homini*, simul dicit, minime sensit; sequeretur aliquam culpam negatæ necessariæ ad standum gratiæ in ipsum DEUM redundare, minui vero atrocitatem lapsus humani, qui non potuerit non ob minus concessam gratiam fieri. Igitur voce *posse* dilutiore sensu usus hic Lutherus est, ut vulgo solent, cum e. g. de filio in academiam mittendo, negat parenti amicus, vivere posse centum florenis, cum alter, quem pono re male gesta ex academia aufugisse, ducentis vivere non potuerit; non hoc vult, *fieri plane non potuisse*; ut honeste viveret. Ceterum, cum nihil mali hic docuerit Lutherus, rectius tamen duriusculis phrasibus

 tem-

temperasset. Dedit vero ipse Erasmus occasionem, qui fassus fuerat, Adamum absque præsidio novæ gratiæ non potuisse assequi felicitatem immortalis vitæ, quod & falsum est, & Lutherum κατ' ἄνθρωπον argumentari movit; Si is nova gratia non bene usus est, multo magis lapsos non posse uti. Idem fere sentiendum de b. Lutheri verbis f. 482. a. *Cum dicitur, ut debeat peccato dominari & ejus appetitum sub se tenere, verum hoc neque fecit, neque potuit, ut jam alieno imperio Satanæ pressus.* Potuit sane Cain viribus liberi arbitrii in tantum Satanæ suggestionibus resistere, ut malitia in facinus externum non erumperet, atque id posse neque hoc in libro neque alibi usquam Lutherus negavit, sed voce *posse*, paullulum, ut sic dicam, abusus est.

§. 86. Dubito, an B. Lutheri verba f. 485. inter dura referam, cum res potius dura sit, ceterum sanctissima & vera. Sic ait: *Cur alii lege tanguntur, alii non tanguntur, ut illi suscipiant, hi contemnant gratiam oblatam, alia quæstio est, nec hoc loco tractatur ab Ezechiele, qui de prædicata & oblata misericordia DEI loquitur, non de occulta illa & metuenda voluntate DEI, ordinantis suo consilio, quos & quales prædicatæ & oblatæ misericordiæ capaces & participes esse velit. Quæ voluntas non requirenda, sed cum reverentia adoranda est, ut secretum longe reverendissimum majestatis divinæ soli sibi reservatum, ac nobis prohibitum, multo religiosius, quam infinitæ multitudinis specus Coricii.*

Paullo

Paullo post: *Respondemus, ut jam diximus, aliter de DEO, vel voluntate DEI nobis prædicata, revelata, oblata, culta, & aliter de DEO non prædicato, non revelato, non oblato, non culto, disputandum est. Quatenus igitur DEUS sese abscondit & ignorari à nobis vult, nihil ad nos. Hic enim verè valet illud, qui supra nos, nihil ad nos.* Si quis ita loquitur, qui universale Christi meritum, universalem DEI gratiam, se credere profitetur, quod fecisse Lutherum ceterosque primos nostros doctores, certissimum est; nihil aliud vult, quam quod paullo commodius, distinctione voluntatis DEI in antecedentem & consequentem, eloquimur; consequente enim sive judiciaria voluntate, ob antegressa hominum, quibus gratia & serio quidem & sufficienti ratione oblata fuerat, malefacta ac pertinaciam, aliquos homines citius, alios tardius gratia intus movente deserit, atque hujus voluntatis divinæ rationes nobis imperscrutabiles neque minus tamen justas esse, fatemur sponte; distinctione tamen inter *DEUM absconditum & revelatum*, quia voces paullo horridiores sunt, mallemus non usum esse Lutherum, qui quidem distinctionem biblicam esse putavit, cum ad Thessalonicenses de Antichristo Paulus scripserit: *quod sit exultaturus sese super omnem DEUM prædicatum & cultum.* Sic de imputatione peccati originalis abyssus manet, nunquam à nobis emetienda, ita quidem, ut videamus, non,

imputari nobis, quod non habeamus & alienum ſit; eſſe enim in nobis malum iſtud nimis manifeſtum eſt; porro eſſe revera malum, à DEO ſanctiſſimo non proficiſci, hæc inquam omnia, ſcimus, adeoque contra juſtitiæ divinæ ſupra expoſitam ideam nihil committi, capimus, ſed qua ratione peccati propagatio fiat, æque vel magis etiam ignoramus, quam quæ ipſius naturæ propagandæ ratio ſit, omnia enim ita accidunt, ut homines ſolam inſtrumentorum gloriam ſibi relictam videant. Non eſt ergo, quod vituperem hæc Lutheri: *Aut, cur illud ei imputet, cum non poſſit homo eo carere? quærere non licet, ac, ſi multum quæras, nunquam tamen invenias.* fol. 486. a.

§. 87. Inter duriora non immerito refertur illa ſimilitudo, qua b. vir utitur, fol. 491. a. *Chriſtiani vero non libero arbitrio, ſed Spiritu DEI aguntur, Rom. VIII. agi vero non eſt agere, ſed rapi, quemadmodum ſerra aut ſecuris à Fabro agitur.* Hic non multum laborat, qui in ſcriptis b. Lutheri verſatus eſt. Sed alios offendere hæc talia poſſunt, rectius adeo omittenda. Sic nimis generalis hæc poſitio eſt: f. 491. b. *Vitari, ſicut præſentiſſimum venenum eſt, omnis tropus, quem non cogit ipſamet Scriptura.* Item fol. 492. b. nimis acriter rejicit b. Lutherus eorum opinionem, qui *indurare* in hiſtoria Pharaonis nihil aliud ſignificare dixerunt, quam *tolerando occaſionem dare*, ut Pharao induratus

fuerit,

fuerit, tametsi Luthero assentior, amplius aliquid ea voce significari. Fecit DEUS utique aliquid, quo irrritatus est malus animus regis, ut pejor fieret, non nude occasionem dedit. Sed, ubi rem accurate excusseris, lis in verbis hæret. Iniquius b. Lutherus postulare videtur f. 492. b. *Concedere cogitur nobis, verba, ut sonant, esse accipienda, etiamsi probaret alias tropum eundem in omnibus locis Scripturæ & in omnium usu esse valgatissimum.*

§. 88. Qui non legit, quæ de sensu vocum *necessitas* & *contingentia* ex ipso Luthero laudata sunt, facile stupet ad duriora hæc beati viri fol. 497. a. *Si hic ulla erat vertibilitas aut libertas arbitrii in Pharaone, quæ in utrumque potuisset, non potuisset DEUS tam certo prædicere ejus indurationem. Nunc, cum promittatis, qui nec falli, nec mentiri potest, necessario & certissime futurum erat, ut induraretur, quod non fieret, nisi induratio prorsus esset extra vires hominis, & in solius DEI potestate, modo, quo diximus, supra, videlicet, quod DEUS certus erat, se operationem omnipotentiæ generalem non omissurum in Pharaone aut propter Pharaonem, cum nec possit eam omittere.* Ibid. *Si præscivit DEUS Judam fore proditorem necessario fiebat Judas proditor, nec erat in manu Judæ, aut ullius creaturæ aliter facere, aut voluntatem mutare, licet id fecerit volendo, non coactus.* Fol. 497. b. *De præscientia DEI disputamus, huic nisi dederis necessarium effectum præsciti, fidem & timorem DEI abstulisti, minas omnes labefecisti, atque adeo ipsam di-*

vinitatem negasti. Usu nimio vocis, *necessarium*, aliquantum sese impedivisse virum optimum patet, fol. 498. a. *Difficilem quidem esse quaestionem fateor, immo impossibilem, si simul utrumque voles statuere, & praescientiam DEI & libertatem hominis. Quid enim difficilius, immo magis impossibile, quam ut contradictoria aut contraria non pugnare contendas.* &c. Hic observata est beati viri menti ea notio *libertatis*, qua, nec angelo tribui potest, quae superioris alicujus directionem excludat, qua de re Lutherum ipsum jam audivimus. Huc pertinet fol. 500. a. *Rogo te, quomodo conveniunt illa duo; Judas potest non prodere velle, & necesse est, ut Judas prodere velit.* &c.

§. 89. Ut tandem huic rei finem imponamus, cetera omnia, quae non satis bene dicta videntur, uno fasce complectamur! fol. 502. b. *Hic expostulant, ut DEUS agat jure humano, & faciat, quod ipsis rectum videtur, aut DEUS esse desinat.* Haec ubi legit, qui Viti similis est, illico colligit, minime ergo ideam, quam nos habemus, justitiae referendam esse ad divinam; verum hoc tantum sequitur, nostra idea non exhauriri immensam justitiam DEI, quae vero non sit isti ideae contraria. Explicat se statim Lutherus: *Non dignatur DEUM caro gloria tanta, ut credat justum esse & bonum, dum supra & ultra dicit & facit, quam definivit codex Justiniani.* Observet lector, facere DEUM supra & ultra justitiam humanam, sed *contra*

ali-

aliquid facere, nec Lutherus dixit neque nos dicimus. Fol. 503. a. *Vide nequitiam cordis humani, DEUM, cum indignos sine meritis salvat, immo cum multis demeritis justificat impios, non accusat iniquitatis, ibi non expostulat, cur hoc velit, cum sit iniquissimum sese judice, sed, quia sibi commodum & plausibile est, æquum & bonum judicat. At cum immeritos damnat, quia incommodum sibi est, hoc iniquum, hoc intolerabile est, hic expostulatur, hic murmuratur, hic blasphematur.* Certum est ex ipsius Lutheri mente neminem proprie loquendo *sine meritis* (imputatis certe Christi) salvari, neminem *immeritum*, peccatum enim adeoque meritum in nobis esse, tam certo ratio videt, quam non videt, unde sit damnari; intelligit ergo beatus vir *immeritos damnari*, ut Paulus dicit, *Rom. V.* 14. mortem regnasse super eos quoque, qui *non peccarint*, nempe ad eum modum, quo Adamus peccavit. Ita infantuli, quantum ad peccata consilio facta attinet, immeriti sunt, non immeriti, quantum ad peccata in genere; sed durius & impeditius locutum esse Lutherum largior. fol. 505. b. Hieronymus Luthero vocatur, *homo nullius neque judicii neque diligentiæ.* Hoc si asperè dictum esse putes, esto, sed nec mihi placere Hieronymum profiteor, scripsit bonus vir contra Helvidium, Vigilantiumque, tanta vehementia, quanta imprudentia, & in plerisque, non dico omnibus, multo longius à veritate abest,

quam illi, contra quos disputat. Verum ista quidem obiter. Fol. 517.b. locum *Gal. III.* 19. *transgressionum gratia*, ita exponit contra Hieronymum Lutherus, ut putet non *cohibendas*, sed *augendas* potius, quantum nempe ad agnitionem earum pertinet, *per legem prævaricationes*. Sed minus commodam hanc explicationem esse, demonstrabo, ubi potero, DEO dante, quod futurum spero, in hanc epistolam commentari. Hæc fere sunt, quæ notanda duxerim, sed ita omnia comparata, ut admittant, sæpe etiam postulent, æquam interpretationem, minime vero refutationem aut revocationem totius pulcherrimi libri. Jam redeamus ad Vitum nostrum. Nam alterum caput, quod supra me, promisi refutaturum, Erasmum cum hodiernis Lutheranis sensisse, jam, sed paucioribus tractandum, superest.

§. 90. Vitus pag. 71. lectori suo persuadere conatur, *Erasmum tueri, omnia quidem gratiæ tribuenda esse, gratiam omnes pulsare, omnes prævenire, nostrum autem arbitrium tantum solummodo posse, ut aut non resistendo operanti gratiæ, ex DEI misericordia salutem consequatur, aut resistendo sua culpa damnetur.* &c. Rectius fecisset Vitus, si Erasmi verbis Erasmi sententiam esset elocutus; hæc, quæ nobis Vitus narrat, in diatribe nusquam legas. Antequam vero ipse libellum Erasmi percenseam, monitum lectorem velim, duas quæstiones probe esse distinguendas:

guendas: 1) qualem ſententiam Lutherus Eraſmo tribuerit, refutandamque ſibi ſumſerit, id quod hoc loco maxime ſcitu opus eſt. Nam ſi ponamus, quod falſum, Lutherum minus bene percepiſſe mentem Eraſmi, & refutaſſe, quod ille non docuiſſet, nos poſſemus Eraſmi ſententiam tueri, neque tamen nos à Luthero refutatos dicere, qui aliam mentem adverſario ſuo, quam is habuit, tribuiſſet. 2) quæ genuina fuerit ſententia Eraſmi? Ad priorem quæſtionem reſpondeo: Nihil falſius, quam credidiſſe Lutherum, Eraſmi eam fuiſſe ſententiam, quam Vitus fuiſſe ait. Ex compluribus locis Lutheri unus ſufficiat: fol. 491. a. *Diatribe aſſerit liberum arbitrium ſuis viribus nihil boni velle poſſe, neceſſarioque ſervire peccato, licet inter probandum omnino contrarium ſtatuat.*

§. 91. Ut alteri quæſtioni paullo difficiliori, cum ipſe Eraſmus lubricitate ſua ſignificet, ſe non poſſe ſtatuere, quantum libero arbitrio tribuendum ſit, ſatisfaciamus, quantum fieri poteſt, proponemus ipſius *diatribes* ſive *collationis* verba. Operum Eraſmi tomo IX. Baſil. 1540. edito. Ibi p. 997. 998. *Itaque quod ad ſenſum meum attinet, fateor de libero arbitrio multa variaque tradi à veteribus, de quibus nondum habeo certam perſuaſionem, niſi quod arbitror eſſe aliquam liberi arbitrii vim.* Ex hoc initio facile lector præcipit, quid exſpectandum ſit ab eo, qui ſe rem, de qua ſcribere inſtituit, igno-

ignorare, & hoc ſolum arbitrari, eſſe aliquid, neſcio quid, præfatur. Ceterum à Luthero & nobis tamen clare diſſentit, qui L. A. in ſpiritualibus non *aliquid*, ſed *nihil* eſſe, rotunde dicimus. Ead. pag. 998. *Ergo meo quidem judicio, quod ad Lib. Arb. attinet, quæ didicimus è ſacris literis, ſi in via pietatis ſumus, ut alacriter proficiamus, ad meliora, relictorum obliti, ſi peccatis involuti, ut totis viribus enitamur, adeamus remedium pœnitentiæ, ac Domini miſericordiam modis omnibus ambiamus, ſine qua nec voluntas humana eſt efficax, nec conatus.* &c. Quid hic, mi Vite! Eraſmus? loquiturne cum Lutheranis, an cum Pelagio? Quæ illæ *totæ vires*, quibus homo peccatis involutus eniti debet, quas nullas habet? Definire audet Eraſmus, quod non intelligere ſe faſſus eſt, Lib. Arbitr. p. 1002. *Porro, Lib. Arbitr. hoc loco ſentimus vim humanæ voluntatis, qua ſe poſſit homo applicare ad ea, quæ perducunt ad æternam ſalutem, aut ab iiſdem avertere.* Ponamus nihil aliud probare voluiſſe tota diatribe, quam *vim applicandi ſeſe* in homine eſſe, quod quam falſum ſit, intelliget, qui ſtudioſe legerit diatriben, quis Lutheranorum, Vite optime! quis unquam dixit poſſe ſe hominem ſuis viribus *applicare* ad gratiam? pag. 1003. Semi-Pelagiana Pelagianis commixta offendimus. *Lex oſtendit, quid velit DEUS, proponit pœnam, ni pareas, proponit præmium, ſi pareas. Ceterum eligendi poteſtatem illorum relinquit voluntati, quam illis condidit liberam*

ram & utroque volubilem & ideo, si volueris conservare mandata, conservabunt te. Paullo post: *Quamquam arbitrii libertas per peccatum vulnus accepit, non tamen extincta est, & quamquam contraxit claudicationem, ut ante gratiam propensiores simus ad malum, quam ad bonum, tamen excisa non est, nisi quod enormitas criminum & assvetudo peccandi velut in naturam versa, sic offuscat nonnunquam mentis judicium, sic obruit arbitrii libertatem, ut illud extinctum, hæc penitus ademta videatur.* Hæc omnia, Vite! ita Pelagiana sunt, ita à nostra, Lutheranorum fide & professione abeunt, ut, cum in eandem nos classem cum Erasmo compingis, non legisse te diatriben, ne quid gravius dicam, clare significaris. p. 1005. *Ergo, qvi longissime fugiunt à Pelagio, plurimum tribuunt gratiæ, libero arbitrio pene nihil, nec tamen in totum tollunt.* &c. hic loquitur ut Semi-Pelagianus; at eadem pagina Pelagio ipso crassius ad verba DEI Mosisque *Deuter.* XXX. *Elige ergo vitam, ut tu vivas & semen tuum;* ita Erasmus: *Hic rursus audis proponendi verbum; audis eligendi verbum; audis avertendi verbum, quæ intempestive dicerentur, si voluntas hominis non esset libera ad bonum, sed tantum ad malum. Alioqui perinde fuerit, ac si quis homini sic alligato, ut non possit brachium nisi in lævum porrigere, diceret: Ecce habes ad dextram vinum optimum, habes ad lævam toxicum, utro velis porrige manum!* Solide hæc Lutherus nihil probare dixit, quod nimium probent, nempe homini facultatem

esse

esse reliquam multa sine auxilio divino bene faciendi: id quod tamen Erasmus contra Pelagium negasse videri voluit. Ceterum, non esse absurdum, si quis ita alligato, ut Erasmus exemplum finxit, si is stulte credat, se liberum esse, ita dixerit: Extende manus utro velis, nimirum ut experiendo convincatur non habere, quibus se præditam vane credidit, vires.

§. 92. Pag. 1006. *In hoc capite toties repetitur: averterit se, fecit, operatus est, in bonam partem & in malam, & ubi sunt, qui negant hominem quidquam agere, sed pati tantum ab operante gratia? Projicite, inquit, à vobis, omnes iniquitates!* Ut paucis verbis omnia dicam, Erasmus imperite omnia *imperativa* verba ita accepit, quasi hominem habere facultatem, quæ præcipiuntur, faciendi, docerent. Misere autem abutitur, merito à Luthero castigatus *Deuteron. loco, p.* 1006. *Atqui sermo, quem per Mosen loquitur Dominus Devt. c. XXX. declarat, non solum in nobis situm, quod præcipitur, verum etiam in proclivi, quum ait: mandatum hoc &c. p.* 1007. *Nonne frigent omnia præclara præcepta Christi, si nihil tribuitur humanæ voluntati?* Ibid. *Eccur collaudatur servus, qui Domini sortem sua auxerit industria?* Facile videt lector, turpiter omnia miscuisse Erasmum, neque satis hominem regenitum, qui sane vires liberi arbitrii restaurati habet, ab irregenito distinxisse. p. 1008. *Quomodo datur potestas, ut filii Dei fiant,*

qui

qui nondum sunt, si nostræ voluntatis nulla est libertas? Quid hoc Erasme! ergo tantum virium habet in libero arbitrio homo nondum renatus, quo possit filius Dei fieri? Ita nemo Pelagianorum, quod quidem ego sciam, ausus loqui, saltem gravius nemo potuit. Ceterum responderem Erasmi cavillationibus, nisi & factum esset à Luthero egregie, & à præsenti instituto abhorreret, non enim refutandum mihi Erasmum sumsi, sed demonstraturus eram, non sensisse nobiscum Erasmum.

§. 93. Ad verba Pauli: *Velle adjacet mibi Rom. VII.* ita commentatur Erasmus p. 1009. *Hic Paulus videtur fateri, esse in hominis potestate, velle, quod bonum est, atqui hoc ipsum, velle benefacere bonum est opus, alioqui nec velle malum erit in malis.* Denuo prodit suam rerum theologicarum imperitiam, quæ sane magna fuit, Erasmus, qui regenitum ab irregenito discernere non potuit. Cujus imperitiæ testes hæc quoque verba sunt: *pag.* 1010. *Alioqui Pharao non fuisset impius, si talem condidisset Deus, qui contemplatus est omnia opera sua, & erant valde bona. Nunc utroque vertibili voluntate conditus, suapte sponte deflexit ad malum, dum suo animo maluit obsequi, quam Dei jussis obtemperare.* Imperite sane verba: *Et omnia erant valde bona,* ad homines quoque, quales post lapsum generantur, referri, nemo dubitet. Deinde, plusquam Pelagianum est, *hodie condi*, h. e. generari, nam alio modo hodie non conduntur homines, *utroque verti-*

vertibili voluntate. Quod si quis enim vocem *vertibilis* ita velit exponi, fieri posse, ut à Deo vertatur, cavillatio foret, cum de eo nulla sit controversia. Pag. 1016. *Sed, quoniam minimum hoc est, quod per nos agitur, totum DEO transscribitur.* p. 1018. *Unde colligis, & Deum operari in nobis, & voluntatem ac solicitudinem nostram simul adniti cum Deo.* p. 1019. similia aliquoties repetit, & imperite laudat illud Pauli *Rom. VIII. Similiter & Spiritus adjuvat infirmitatem nostram*, qui locus manifesto de regenitis agit. Sed tædet plura congerere. Cui tot manifesta loca, quæ hic compegi massavique nondum demonstrant, Erasmo cum hodiernis Lutheranis parum convenire, is me nolle amplius ipsi respondere sciat. Colophonem toti huic tractationi impono unica observatiuncula, nimirum Erasmo deberi, *εὕρημα*, quod multis egregium videtur, mihi quidem, fortasse quod præ mentis hebetudine perspicere non potuerim, nunquam placuit, *de mundo optimo, ad quem mali quoque existentia pertineat.* Nam ita Erasmus, *p.* 1023. *Deus est, non potest non optimum & pulcherrimum esse, quod facit, si spectes decorum universi, etiam illa, quæ per se mala sunt, hic bona sunt, & illustrant gloriam Dei, nec est ullius creaturæ, judicare consilium creatoris, sed se subjicere illi per omnia &c.* Itaque ut recentiores inventionis gloriam de sanguine animalium per circulum recurrente, Harvæo adjudicatam Serveto post infelicia

fata

fata tribuunt; ita, quod felix faustumque sit, Erasmum inventorem credamus doctrinæ, qua ad mundum optimum mali requiritur existentia, nisi Lactantium ejus honoris possessionem jam occupasse dixeris. Mihi ita dudum visum est, Philosophos nostros, cum mundum præsentem ita optimum prædicant, ut melior ne quidem per omnipotentiam Dei fieri possit, vehementer impingere. Nam 1) sapientiæ divinæ, quam negant quidquam, quo dari aliquid in eo genere melius possit, eligere posse, ita consulere volunt, ut omnipotentiam tollant. Quid enim? ita exhausit vires omnipotentiæ Numen supremum, ut toti complexui mundi universi nihil accedere amplius possit, aut, si velit novum mundum condere, ut meliorem facere non sit integrum? 2) postulant boni viri se perspexisse sapientiæ divinæ rationes, cum intrepide affirmant postulare eam, ut necessario, quod in ideis divinis perfectissimum est eligatur, sed quibus testibus tabulisve, quod perhibent, demonstrare conabuntur? Ex scriptura æque ac ratione, mali nihil a Deo proficisci scimus, & mundum, qualem is elegit ac condidit, valde bonum esse; qui ulteriora se credit indagasse, ut quantum gradum bonitatis sapientia divina in rebus creatis requirat, accurate sciat, eum in maximo periculo esse arbitror, ne, cum sapientior ceteris esse vult, tandem ne sapiens

K quidem

quidem ſit. 3) Ad mundum vero optimum mala neceſſaria eſſe? hem, quam offendit ipſa vox aures! unde vero ô Philoſophi probabitis? alias, inquiunt, Deus, quem pro ſapientia ſua optimum eligere par eſt, non elegiſſet hunc mundum, in quo malum eſt. Ego vero, quæ de ſapientia dicitis, nolo denuo exagitare. Sed elegitne Deus mundum, in quo malum eſt? Mihi videntur duæ quæſtiones probe diſcriminandæ: 1) an Deus elegerit mundum, in quo vellet malum ad perfectionem mundi, qui alias non foret optimus, exiſtere? 2) an Deus elegerit mundum, in quem poſſet quidem creaturarum cum arbitrio libero condendarum voluntate malum invehi, ſed ut invehatur, neque neceſſitas ulla cogeret, & interdictum divinum morali ratione obſiſteret? Ad alteram facile affirmando reſpondeo. Priorem ita negandam duco ut quæ falſiſſima ſunt. Elegit vero Deus mundum, cujus pleraſque partes & averſatur & odit? Deinde alterutrum neceſſe eſt dicas: Si voluit Deus mundum, in quo malum exiſteret, aut non futurum fuiſſe mundum optimum, ſi accidiſſet angelos hominesque non peccare, factumque adeo peccando, demum meliorem: aut fieri non potuiſſe, quin peccarent. Quorum utrumque ita abhorret à bonitate Dei, qualem ex ſcriptura didicimus, ut fere obſtupeſcam Philoſophos eſſe doctos & rerum peritos, qui talia ajant.

§. 94.

§. 94. Tecum mihi denuo res eſt Vite doctiſſime! p. 72. Lutheranos ais imitari illos, qui tantum negant *liberum arbitrium non meritorium operari.* Sed monſtra obſecro illos Lutheranos, ego neminem novi. Ead. pag. ita dicis: *Plane ut Lutherani dicunt, poſſe hominem abſtinendo à gravioribus peccatis ſe ad gratiam præparare.* Quis Lutheranorum? Itane conſtitutum eſt dicere, quæ lubet, probare nihil? p. 73. *Eos voluntatis noſtræ in peccato adhuc mortuæ motus, quos præter gratiam ad regenerationem requirunt* Lutherani. Quin dic Vite! quis unquam ita dixit, quis requiſivit? Ead. pag. *Sed Lutherani excuſari nulla poſſunt ratione, quod mortuum ſtatuant hominem præparare ſe poſſe ad vitam per actus, quos vocant, animales.* At tu Vite! te putas excuſari poſſe, qui talia confingas? Quis ita locutus eſt? Quod ſi ſit, qui ita ſcripſerit, eum fraterne corripiemus. Pergis ſimilia nobis imputando, p. 74. ſequ. at me tædet easdem calumnias gratis confictas repetere. Te vero decebit, ubi hæc leges, erubeſcere; nam quæ e. g. p. 75. multis interrogationibus cumulas, ſunt pergula pictorum, veri nihil, omnia falſa. Non accuſamus vos læſæ bonitatis &c. divinæ ob negatum liberum arbitrium, ſed ob alias, quas noſti, cauſſas; non arceſſimus ex libero arbitrio diſcrimen regenerandorum & non regenerandorum, quamquam enim ideo dicimus impios non regenerari, quod repu-

dient gratiam, non tamen ideo ceteros regenerari aimus, quod admittant, atque ipsam admittendi, prout actus est, facultatem, viribus à gratia datis transscribimus: denique nihil eorum omnium dicimus, scribimus, cogitamus, quorum tu, homo accusationum maxime prodigus, nos insimulas. Ceterum ad loca Lutheri, quibus nos facile subscribimus, non opus est quidquam monere, postquam de toto libro abunde expositum est. Tu tibi quære hostes, quibus hæc opponas, nisi cum larvis pugnari malis; nos quidem ista non feriunt.

§. 95. Lutherus dixerat: *Et nos stulti divina æstimamus secundum hæc temporalia, ut libero arbitrio præsumamus Deum prævenire.* His rectissime dictis inclementer Vitus subjicit; p. 70. *Hodierni Lutherani id vocant actionibus mere naturalibus occasionem Spiritui Sancto præbere, ut motus pios in hominum animis excitet, immo eos tandem convertat. vid. Celeberr. Buddei Instit. Theol. p. 974.* Ut rectissime hæc Buddeus, ita iniquissime Vitus eadem contraria Luthero esse perhibet. Ceterum hoc observandum: Occasio datur interdum ab *imprudente*, interdum *consilio*. Priori sensu homo nondum renatus, e. g. cum ad templum accedit, & ne quidem cogitavit de emendatione, occasionem dat Spiritui Sancto; altero sensu hominem non renatum suis viribus posse, facile nego. Ead. p. 77. putas, Vite! *omnem frontem perfricuisse,*

qui

qui neget, Lutherum tueri gratiam quam maxime particularem & irresistibilem. Sed, quidquid sit de convicio tuo, nego sane, & vix fieri posse puto, ut præter te aliquis ex iisdem verbis Lutheri ibi recitatis, idem eliciat. Quo sensu vox necessarium Luthero veniat, exposui §. §. 60. 72. 83. & lectorem meum nosse spero. p. 78. frustra criminaris distinctionem inter *naturalem* & *voluntariam resistentiam*, cui cum nihil præter inania verba opposueris, si eadem verbositate opitulari vellem, nihil ab utroque actum lector diceret. p. 79. sic Vitus: *non-voluntarie resistere nemo potest, nisi qui jam vivat.* De vita spirituali intelligenda hæc sunt? an de naturali? Si de hac, resistit sane, e. g. cadaver bajulatori suo mole sua *non-voluntarie*, quia nullam voluntatem habet; si de illa; non capio qui fiat, ut spiritualiter vivens, vel *voluntarie* vel *non-voluntarie* Spiritui Sancto resistat, plane enim non resistit, sed obsequitur. Sed hæc fortasse non ad rem. Saulum *repugnantem* conversum esse ex *Act. IX*, 5. facile refutatur, neque Lutherus unquam hoc dixit, sed nulla ratione Paulum se præparasse vel præparare potuisse nobiscum recte docuit. De conviciis & calumniis, quales p. 79. 80. affatim sunt, jam dixi. Tuemur regenerari posse (per oblatam nempe gratiam & media salutis, quibus solis regeneratio debetur) quotquot non noluerint, neque vero ideo ista *nonvoluntas*, sit venia vocabulo, rege-

nerationis caussa est. Omnium minime in verbis à Te laudatis Lutherus à nobis dissentit.

§. 96. Pag. 81. paratragoediaris Vite clarissime! ut solent, qui rem, de qua sermo est, & de qua ipsi loquuntur, non intelligunt. Ut vero certum est nos à Luthero ne latum quidem unguem in hoc argumento discessisse, ita neque in judicio de caussæ gravitate discedimus. Semi-Pelagianos enim in sociis fidei, vel fratribus nostris, non habemus, quibus tu tamen dextram porrigere velle protestaris. p. 82. amplum locum diatribes Erasmianæ recitas, quem nos supra §. 91. ita malum demonstravimus, ut Pelagium ipsum durius loqui potuisse negemus. Quid enim hoc rei: *Peccatis involuti totis viribus eniti debent & ambire gratiam Dei*, qui nec habent vires nec ambire possunt. Sed Stephanus Vitus noster, cum hæc recitasset, *nihil*, inquit, *ex Lutheranorum mente poterat dici gravius, nihil accommodatius.* Quid vero facias homini, qui quid Lutherani doceant, cum ignarissimis ignorat, & quæ in buccam veniunt, posita plane verecundia innocentissimis tribuit? Si in te est, Vite! fides, age, ostende, quis nostratium Erasmo similia scripserit, ni feceris, pueri quoque malæ te fidei damnabunt. Ceterum cum nos *Erasmianos*, Te Lutheranum subinde putes, qui fit ut p. 83. Luthero cavillationem, Erasmo præclaram responsionem tribuas? Ego vero qui amoebeas has scri-

ſcriptiones accurato ſtudio legi, plane victum diſceſſiſſe Eraſmum intellexi, & eſſe in Eraſmo lubricum animum, qui facile ethnica Philoſophorum probitate contentus eſſet, graviter Lutherus ac ſolide monuit. Neque minus recte Lutherus, quod tu pag. 84. obſervas, ſanctiſſimo zelo ſuo adverſus Eraſmum tuetur, minime enim res eſt, *tueri DEUM omnia certo* (quod Luthero *neceſſario* eſſe evicimus) *praeſcire*, quis enim alioqui promiſſionibus fideret? item: *DEO omnia, voluntati noſtræ nihil in regeneratione deberi.* Quæ tibi, Vite! nota, neque ita facile Semi-Pelagianis pacem & ſocietatem offer, quæ pax cum contemtu veritatis conjunctiſſima eſt.

§. 97. Pag. 84. 85. Eraſmi locus exhibetur, quo Lutheri ſententiæ opponit, fore ut nullus malus ſtudeat corrigere vitam ſuam. Quid hic Vitus? *Ipſiſſima*, inquit, *illa ſunt, quæ Celeb. Moshemius Supralapſariis oppoſuit.* Quem adeo jubet vel fateri, poſſe ſibi eadem opponi, aut ſe cum ceteris *duræ cervicis Lutheranis* à Luthero diſceſſiſſe. Faxo ut intelligat lector, quam hæc nulla ſint. Itaque initio, de rebus naturalibus moralibusque ſic agitur, non modo nobis ac Luthero, ſed ne Calvino quidem ea objici poſſe ſtatuo, nam in his omnes docemus aliquam libertatem homini reliquam eſſe, & idem Calvinus, ſi recte mentem ejus percepi, *Inſtit. L. II. c. 2. §. 13. 14.* docet. At, ubi ſermo eſt de ſpiritua-

tualibus, si Luthero ac nobis liberum arbitrium plane negantibus objiciatur facere nos, ut nullus malus studeat corrigere vitam suam, in promtu est responsio: non posse malum corrigere suis viribus vitam, frustraque adeo moneri, nisi adhibeantur media gratiæ; itaque nos exponere malis legem, porro Evangelium, ut media efficacia; hortari, ut hæc admittat, vocanti gratiæ, qua serio parata salus ipsis offeratur, non resistat; ita futurum, ut corrigendi vitam vires accipiat. Ita *tenendus hic cursus erit, ut homo, nihil boni penes se esse sibi reliquum edoctus, & miserrima undiqve necessitate circumseptus doceatur tamen ad bonum, quo vacuus est, ad libertatem, qua privatus est, aspirare, & acrius ab ignavia excitetur, quam si summa virtute fingeretur instructus.* Agnoscis, Vite! Calvini tui verba l. c. Libr. II. c. 2. §. 1. quibus commode accepta voce, *necessitas*, uti placuit, ita quidem, ut verbum *aspirare*, quod Calvinus tamen adhibet, nolim usurpari, quod aliquem conatum ad bonum reliquum in homine non renato ponere videatur. Ita porro pergimus: Serio DEUS te quoque salvum vult, homo peccatis involute! pro te Christi sanguis fusus est. &c. Hoc modo objectionibus nos commode sententiam nostram liberamus. Quid Supralapsarii? Si his objiciatur: injuste, vitam non correctam, imputari à DEO malis, cum non modo ipsi corrigendi facul-

cultatem nullam possideant (quod verum est & à nobis conceditur) sed nec illa media, quibus solis corrigi possint, Christi redemtio, gratia DEI, &c. ad illos pertineant. Hæc inquam, si objiciantur Supralapsariis, tam non potuerunt ipsi respondere, quam commode à nostratibus respondetur.

§. 98. Lutherus quærenti Erasmo: quis credet à DEO se amari? commode respondet: *nullus hominum credet, neque poterit, electi vero credent, ceteri non credentes peribunt indignantes & blasphemantes.* Sacra hæc omnia, nam suis viribus nemo credere potest, certissime autem credituri sunt electi viribus oblatis. Hinc vero colligit Vitus Lutherum gratiam universalem negasse. p. 86. Sed quibus fidiculis extorquebis hæc, Vite! porro colligit *electionem esse fidei caussam*, quod tametsi non male dicitur, ut jam observavi, ex his tamen verbis minus sequitur. Tertio colligit: *fidem esse electorum propriam*; male: nam credere electos, recte dixit Lutherus, *solos* credere non dixit.

§. 99. Amplum locum Lutheri, postquam recitasset pag. 87. Vitus, subjicit pag. 88. *Nihil requirimus amplius, non tantum ad pacem ecclesiasticam, sed ad verum etiam consensum, quam ut, quæ hic Lutherus docuit, ea etiam sibi probari adfirment.* Ego vero, mi Vite! affirmo, sed nisi universale Christi meritum doceas, nisi resi-

ſtibilem DEI gratiam, in ſociis fidei tuæ fruſtra nos cenſebis. Dicis, omni ſenſu eum carere, qui dicat Lutherum ſtatuere: *ex hominis ſolius jam arbitrio pendere, utrum mediorum gratiæ uſu ex gratia DEI ſalutem conſequi & electus fieri, an ſua culpa parata ſalute excidere velit & reprobis accenſeri.* Recte, mi Vite! neque enim vel Lutherus olim hæc docuit, vel nos hodie docemus. Cum larvis pugnas. Nos quidem in viribus hominis eſſe dicimus, ut non uti velit mediis gratiæ oblatis, ſed ut recte utatur, negamus in hominis eſſe viribus, totumque DEO transſcribimus. Adeo igitur non ponimus in hominis *ſolius* arbitrio, ut plane non in ejus arbitrio ponamus.

§. 100. Vitus negat nos cum Luthero ſentire, niſi ſtatuamus *DEI voluntati tribuendum eſſe non humanæ, quod pauci ſalutem conſequantur*, hoc agit pag. 89. Nos vero, ô bone! cum Luthero utrumque ſimul dicimus, voluntatem divinam, judiciariam illam & conſequentem eſſe, qua damnentur impii, idque fieri ob pravam voluntatem humanam. Quod ad pios attinet, non ipſorum voluntati, ſed divinæ ſoli ſalutem tribuimus. Porro concedimus, quod concedere nos jubet Vitus è ſententia noſtra ſequi, *DEUM facere homines neceſſario damnabiles*, ita quidem, ut intelligatur propagari genus humanum vi omnipotentiæ divinæ & tale propagari, quale ſemen eſt, ex quo propagatur, hoc eſt peccato

peccato infectum, atque ob id necessario damnabile: porro, *DELECTARI DEUM CRUCIATIBUS HOMINUM*, secundum voluntatem consequentem, quam dixi. Hæc inquam recte intellecta, concedimus. Cetera vero noli postulare Vite! ut è nostra sententia sequi concedamus, ut: *DEUM odio potius quam amore dignum videri, neque ulla ratione comprehendi posse, quomodo ex nostra sententia DEUS sit misericors & justus.* Qua ratione enim non sit summo amore dignus, qui serio, & universali Christi merito redemtos homines omnes ad salutem vocat & sufficienti gratia donat? Quomodo non sit justus, qui protervos gratiæ contemtores damnat? Negat Lutherus se *comprehendere* posse, quomodo justus sit DEUS, qui tam multos damnat, sed facile apparet, verbo hoc stricto sensu uti beatum virum, *omnes enim rationes justitiæ divinæ* perspectas nobis esse nemo dicet. Ceterum generalem ideam justitiæ supra expositam in DEO nos agnoscere nemo negabit. *Fide* opus esse ait, ut credamus DEUM justum esse. Bene; ita idem Lutherus in præfat. in Apocal. scribit: Es ist diß Stück: ich glaube eine heilige Christliche Kirch eben sowol ein Articul des Glaubens, als die andern. Drum kan sie keine Vernunfft, wenn sie gleich alle Brillen auffsetzet, erkennen, der Teuffel kan sie wol zudecken mit Aergernissen. &c. Ita distincte quidem ecclesiæ veræ rationes non percipimus, credimusque

adeo,

adeo, non pervidemus, eadem ratione plene non aſſequimur juſtitiam DEI, aliqua tamen ratione, imperfecta licet, agnoſcimus.

§. 101. Parum idonea eſt obſervatio Viti p. 90. *Nonne idem perpetuo objiciunt Supralapſariis.* Quod nempe Eraſmus Luthero. Quid ſi tam juſte hæc Supralapſariis objicerentur, quam injuſtè ab Eraſmo objecta ſunt Luthero? pag. 92. aliqua ſatis bene ab Eraſmo in hyperaſpiſte dicta, recitat Vitus, eaque jubet conferri cum Joh. Muſei verbis in prælect. Form. Concord. quæ ſibi ait eſſe ſimillima mutuo. Sed cui bono hæc diſputantur? Dixit aliqua commode Eraſmus ea parte nunquam à Luthero refutatus, nam hyperaſpiſtæ, nullum, quod norim, ſcriptum Lutherus oppoſuit, in eandem ſententiam Lutherani loquuntur. Quid inde colliges? contra nos certe nihil. Pag. 93. Vitus modeſtiæ oblitus, poſtquam denuo non incommoda verba Eraſmi recitaſſet, hæc ſubjicit: *Quid ſentiant Lutherani ipſi profecto ignorant, ſi negaverint ſe eadem ſentire, quæ hic Eraſmus contra Lutherum tuetur, quæque Lutherus tanta animi impotentia oppugnat.* Hic non Catilina Cethegum, ſed Vitus Lutherum, *impotentis animi*, & in cauſſa, quam non poteſt non Vitus ipſe optimam fateri, accuſat! Dixi verba iſta Eraſmi non incommoda eſſe, ſic enim ait: *Inter ea, quæ ducunt ad ſalutem, non ſolum pono verbum, verum etiam appetitum naturalem honeſti.* &c.

sti. &c. Hæc æquissima interpretatione accipiuntur pro *externa pædagogia*; quod si vero opinatus est ipsius regenerationis quasi arcem ingredi appetitum illum naturalem honesti, nihil nobis cum Erasmo commercii est. Lutherus vero commoda illa Erasmi verba adeo *nulla impotentia* refutavit, ut ne refutavit quidem, sed passim, quod monstrabo, ubi voles, Vite! consimili ratione locutus sit. Pag. 94. 95. triplicem sententiam de libero Arbitrio, quam Erasmus facit, Vitus recitat, multis verbis, & committit eundem errorem, quem Erasmus, ut diversas opiniones credat, quæ idem volunt, merito à Luthero reprehensus. vid. supra §. 68. Quod vero hic repetitur nihil Erasmum tribuisse libero arbitrio, præter *solam gratiæ resistendi aut non resistendi facultatem*, nemo tibi, Vite! credet, qui, quæ è diatribe recitata sunt, §. 91. sequ. legerit.

§. 102. Haud difficile est, aliqua loca Erasmi colligere, in quibus, cum lubricus & inconstans fuerit, non multum à Lutheranis abesse videtur. Hoc igitur cum agit Vitus p. 96. duobus locis aliqua omissa esse signo— ostendit. Ægerrime adducor alicui dolum malum tribuere, difficulter tamen dicetur, quo consilio paucula verba omissa sint à Vito, quæ profecto luculenter docent Erasmum multum à nobis digredi. Supplebimus, cum hodie Erasmus à paucis legatur, ea quæ Vi-

tus

tus omisit. Primo loco hæc: *Sic tamen ut ad idem opus individuum simul concurrant duæ caussæ, gratia DEI & hominis voluntas, sic tamen ut gratia sit caussa principalis voluntas secundaria, quæ sine principali nihil possit, quum principalis sibi sufficiat. Quemadmodum nativa vis ignis urit, & tamen principalis causa DEUS est, qui simul per ignem agit, quæ vel sola sufficeret, & sine qua nihil ageret ignis, si se subduceret illa.* Si ita hominis voluntas ad regenerationem concurrit, ut nativa vis ignis ad urendum, Pelagius recte docuit. Vereor, Vite! ne Lutherani mei, quamquam tibi videntur hebetes, te bona fide isthæc omisisse, non credant. Supplebo & alterum locum, ubi hæc omissa sunt: *Atque ita placantur, si modo placabiles sunt, hi, qui non ferunt, homini esse quidquam boni, quod DEO non debeat. Debet & hoc, sed aliter alioque titulo.* Sequuntur plura, quæ & ipse prætermitto. Saltem hæc, mi Vite! non omisisses! Nam videt lector Erasmum ita illud quod à libero arbitrio in regeneratione præstari ait, DEO tribuere, ut eidem, & quod vidimus & quod audimus, tribuimus, hoc est, non gratiæ speciali, sed generali illi, qua nos & universa sustinet, sed & hinc in aprico est Erasmum tantum à Lutheranis distare, quantum à Roma toto divisos orbe Britannos.

§. 103. Pag. 97. Vitus incipit & complusculis paginis continuat plane cavillatorium dicendi genus, & parenthesibus, quas locis

Erasmi,

Erasmi, quæ jam examinare non est opus, inserit, iniquissime nos criminatur. Ita ergo ille: *Nisi pessime fallor, eadem Lutherani contra nostram ecclesiam sentiunt, quæ Erasmus his verbis præ se tulit.* Pessime sane falleris, Vite! Recitatis verbis Erasmi: *Nec desunt tamen, qui considerata immensa DEI bonitate dicant hactenus hominem proficere hujusmodi benefactis, ut præparetur ad gratiam* &c. inserit Vitus: *ad quos jure referas Lutheranos.* Sed quo jure? cum sic non loquantur. Meliori jure referrem Calvinum, cujus verba §.97. laudavi, qui hominem non renatum *adspirare ad bonum & ad libertatem* dixit, sed nolo tamen referre, quia aliunde satis constat eum virum non fuisse Semi-Pelagianum. Cur vero tibi lubet, eos, qui nequidem ita improvide, ut Calvinus tuus, loquuntur, inclementer in Semi-Pelagianorum classem compingere invitos, & reclamantes? Pag.99. Viti verba: *Ut adeo cum iis ex Lutheranis sentiat, qui gratiæ plurimum tribuunt, arbitrio tantum nonnihil*, & discordiam inter nos esse innuunt. Tu vero, vir doctissime! eos Lutheranos, qui *tantum non nihil* libero arbitrio tribuunt, fac ut sciam.

§. 104. Pag. 100. Vitus repetitis Erasmi verbis: *Ceterum illud mihi tecum, cum Luthero non convenit, quod ais, hominem, in quo operatur gratia, non posse sese avertere à gratia*, addit: *Ergo Lutherus gratiam & irresistibilem & inamissibilem statuit.* Itane ex Erasmi hyperaspiste adversarii tum

satis

ſatis infenſi, de Lutheri ſententia docemur? Nos quidem, Vite! ſupra contrarium à Luthero doceri luculenter vidimus. Pag. 101. *Agnoſcent*, inquit, *Lutherani procul dubio hic ſuum argumentum* (nempe ex *Ebr. VI.* 4. 5. 6.) *quo perpetuo eadem, quæ Eraſmo viſa ſunt, de perſeverantia ſanctorum tuentur.* Nos vero agnoſcimus, o bone! argumentum noſtrum, quod tam non poteſt à vobis idonea reſponſione refelli, quam incommode Luthero, qui eam, quam vos vultis, perſeverantiam non docuit, objectum eſt. Pag. 103. ex Eraſmo probat Lutherum fuiſſe Supralapſarium; at nos ex ipſo Luthero, non fuiſſe, ſupra demonſtravimus. Uter magis meretur fidem? qui ex hoſte, an qui ex ipſo autore de ejusdem autoris ſententia judicat? Pag. 104. cramben ſuam recoquit, p. 105. autem grandia loquitur Vitus: *Tum demum feliciter ſibi pertinaciſſimis pertinaciores Lutherani theandrum vindicabunt, ſi demonſtrarint, præclare inter eos convenire, quorum alter adfirmet, alter inficietur, hominem per liberum arbitrium pulſantem fidei gratiam excludere poſſe, poſſe amplecti, poſſe acceptum aut retinere ſi velit, aut amittere.* Horum, quæ tuo illaudato more miſces, Vite! iidem Lutherani negant partem, partem adfirmant. Negant omnes poſſe hominem per liberum arbitrium gratiam amplecti, contra affirmant poſſe excludere, poſſe acceptam, aut retinere, ſi velit, nam per regenerationem lib. arbitrium

ali-

aliquatenus reſtauratur, aut amittere. Et hæc omnia, quæ ſic affirmamus negamusve, cum Luthero affirmamus & negamus. Si *pertinaciæ* opprobrio per Te carere non licet, age feramus. Ad p. 106. non habeo, quod dicam. Nam cum beatos viros Muſeum Buddeumque criminatus quidem ſit cum Eraſmo ſentire Vitus, at nihil, quo probet, addiderit, ſat erit, negaſſe, quæ Vitus ait. Et, cum Vitus ex Eraſmo Lutherum docuiſſe perhibet: *non poſſe ſe hominem à gratia DEI ſubtrahere*; Lector mallet mecum ex ipſo Luthero locum laudatum eſſe. Denique, quod eadem pagina *nihil videre* noſter exiſtimat illos, qui ſupralapſarium credere nolint, haud multum juvabit lectorem noſtrum, ubi ego *nimium videre* Vitum dixero, qui, quod neque eſt, neque factum, neque futurum, tamen ſcit.

§. 105. *Procul dubio,* ſic Vitus noſter p. 107. *ut diſſentire à ſuis dogmatibus Eraſmum oſtendant, dicent Lutherani: Eraſmum ſtatuiſſe hominem non mortuum penitus eſſe, ſed lethaliter tantum ægrotantem.* &c. Acute cernis hic tandem Vite! nam plane accidit, quod rebaris futurum. Sed de re ſeria ſerio! Tu dicis: *de eo inter Eraſmum Lutherumque conveniſſe, mortuum penitus non eſſe, qui liberi arbitrii viribus gratiam admittere aut averſari poſſit.* Quid ais Vite! Lutherus negavit hominem averſari poſſe gratiam? Quoties dixit liberum arbitrium tantum va-

lere ad malum? num excepit illud malorum genus, quo gratiæ DEI obluctaretur? nusquam certe. Itaque cum nullum sit liberum arbitrium, quod posset suis viribus gratiam admittere, est tamen in homine facultas peccandi, nimis proh dolor! vivax ac vegeta. Nam simile de *mortuo* non hoc vult, refragari hominem non posse, sed non posse, ad bonum, accessum facere. Pro ineptiæ convicio, pag. 108. bonam tibi Vite! mentem precamur. *Erasmum* vero *sibi prudentissime constare*, næ tu haud diceres, si, qua par est, attentione & cura, diatriben legisses.

§. 106. Pag. 108. Ita argutatur Vitus: *Si nihil ad salutem conferre possunt liberi arbitrii vires, neque etiam ratio reddi poterit, quamobrem non omnes salutem consequantur, nisi gratiam & absolutam & particularem & irresistibilem doceas.* Quæ consequentia Vite! Nihil conferre potest e. g. mendicus, ut stipem habeat, ergo irresistibilis &c. erit gratia benefici hominis? *Conferre* homo, viribus L. A. quæ nullæ sunt, nihil potest, *obesse*, plurimum. Non laborandum in confutandis paralogismis tuis, sed mirandum, qui fiat, ut levissimis argutationibus nos capi posse existimes. Ultima linea pag. 108. contendis, *non resistere* gratiæ esse bonum. Possem negare, nam *non-agere*, proprie loquendo, cum nihil sit, nec bonum nec malum dici potest, sed, cum fiat aliquid ab homine, qui non resistit gratiæ,

licet

licet ipsa *non-resistentia* haud sit actio, & homo saltem aliquid cogitet, ajo esse bonum, sed nondum spiritualiter, cum nondum adsit, sed secutura sit agnitio vèra beneficiorum DEI Spiritu S. excitanda. Pag. 109. chorda eadem oberrat Vitus, & ubi nihil tribuitur libero Arb. continuo irresistibilem & particularem gratiam colligit. Verum me fateor harum rerum distædere. Quid opus, o bone! tot verbis, quibus nos cum Erasmo sentire perhibes? Symbolicos nostros libros plane contrarios Erasmo fateris ipse, at hos sanctissima religione tuemur, si quem privatum hominem inter Lutheranos alia sentire nosti, cur non indicas?

§. 107. Pag. 113. *Imperite nos ignorare* Vitus affirmat, *meritum* dici, quicquid præter gratiam à nostro libero arbitrio in regeneratione requiritur. Porro ait, qui gratiam tueantur *admissibilem* & *resistibilem*, eo ipso tueri meritum, quo alii præ aliis salutem consequi possint. Enecas Vite! his argutationibus. Ut nemo unquam mortalium, *meritum*, quocunque vel dilutissimo sensu hominis egeni dixerit, illud esse, quod non abjecerit, cum posset abjicere, ultro datam stipem, ita nunquam fiet, ut frigidis tuis disputationibus moveamur. Convicium acerbissimum eadem pagina cum te non puduerit Vite! dicere, at me repetere pudet. Ceterum neminem nostrum docere, posse hominem

non renatum *medicinæ locum facere* probe nosti, & tamen pergis accusare. Sic criminaris p. 114. *nos ex nostro tantum arbitrio pendere arbitrari*, utrum electis accenseri velimus, an reprobis? de probanda accusatione non es solicitus, gravis scil. autor, cujus verbis fides illico debeatur. *Ineptias* meras in nobis vides, at ego, si idem fecissem, & casu inciderem in *Cobel. X.* 3. erubescendum mihi viderem.

§. 108. Controversiæ status, quem ponit Vitus p. 115. inter Lutherum ejusque adversarium fuisse, nullus est, de quo cum in edisserindis scriptis amœbeis actum sit, quod satis est, nihil addo. Inde facile omnes vident, & cum dolore vident, quam improba arte Lutheri verba p. 115 -- 117. ad sensum, qui tibi commodus est, contorseris. Pag. 118. est aliquid, cui paucis respondebo. Sic Vitus: *Quæritur hic, utrum præscientia divina à contingente & mutabili voluntatis nostræ motu pendeat, an vero mutabilis & contingens voluntatis nostræ motus pendeat ab immutabili voluntatis nostræ decreto.* Multus est per totum librum Vitus noster in eo, ut *prædestinationem ex prævisione* contra independentiam DEI esse lectori persvadeat. Quæ quidem infeliciter sumta opera est. Dependebitne princeps à malefico, ad cujus, male, pejus, pessime, gesta sententiam gravem, graviorem, gravissimam, fert? An minus erit independens Supremum Numen,

quod,

quod, quales invenit, qualesque prævidit homines, tales judicat? Lectorem pigebit detineri argumentis adeo levibus, sed non habet Vitus meliora. Itaque si non placet verbum *pendere*, quære aliud, dic e. g. hunc in modum: Præscientia divina videt ea, quæ à mutabili & contingente voluntate hominum certo futura sunt, ceterum ex immutabili voluntatis divinæ decreto omnes nostros motus pendere. Si *permissionis* decretum intelligis, concedere possumus; si *jussionis*, quod quidem proprie decretum dicitur, negamus. Ceterum cum Infralapsariis tuis digladiantem te pag. 118. excipient, si volent ipsi. Pag. 120. nihil videre contendis, qui neget hanc esse Lutheri sententiam, hominem ne posse quidem aliter velle, quam fore, ut volat, DEUS prævidit. Ita loqui beatum virum, scimus, sed neque minus docuimus *necessarium* ipsi esse, quod plane *certum*, neque opus est millies dicere. De distinctione necessitatis consequentis & consequentiæ, quæ mihi videantur, exposui supra, §. 82. pag. 122. Infralapsarios tuos *inepte* agere criminaris, at cum fidem publicam ecclesiæ tuæ, quanta quanta est, esse infralapsariam in limine disputationis tuæ protestatus sis, eam convicio proscindere non dubitas? Mirum, ni sint, qui de Te dictum velint *Gen. XVI.* 12. si possint se Leibnitiani philosophi, Spinozismi, quem quidem ipsis ad-

 hue

huc objectum esse ignoro, purgare, æque non invideo, ac ipsius Leibnitii accessum ad supralapsariorum sententiam, quem Vitus prædicat, parum ipsos juvare credo. Ad me quod attinet, Spinozæ errorem non errare Leibnitianos facile adducor ut credam, cum creatorem à rebus creatis manifeste discriminent. Sed & illa *consequentiæ necessitas*, qua posita voluntate creatoris omnia ita necessario fieri docetur, ut fiunt, tantum à fide pietateque, quantum à scripturæ Lutherique, qui necessitatis vocem alio sensu accepit, doctrina sejuncta est. Id quod, ubi demonstrandi locus erit, demonstrabo fusius. Hic quidem non est opus. Quæ p. 124. ex male intellecto Luthero ita comparata ais esse, ut nihil fingi possit absurdius, nihil stolidius, ea & sapienter & sane dici, eodem, quem laudavi, §. 82. ostensum est.

§. 109. Pag. 124. Laudasse ait Vitus Lutherum fatum Stoicum. Quæro ex Te Vite! si tam laudasset Stoicorum opinionem Lutherus, quam certum est, non laudasse, rectene fecisset? Negabis, si cum supralapsariis & Calvino sentis, hos enim calumniæ loco habere, si quis ipsis Stoicum aliquid tribuat, palam est. vid. *Calv. Instit. I. 16. 8. p. m. 62.* Sed tanti non est tuos omnes deserere, nos modo si possis pungere. Tantum vero abest, ut laudarit Lutherus Stoicos, ut *finxisse* poëtas diserte dicat. Et qui potuisset, quæso te, lau-

dare

dare homines, qui, quos credebant Deos, fato subjecere? Hoc vult Vir beatus, non abhorrendum esse à doctrina, qua libertati hominum superiore quadam directione frenum injici docetur, cum regi homines numine, ipsi gentiles agnoverint, quos ideo non statim laudat, ut nec nos laudamus eosdem gentiles, vel ipsorum doctrinam de Numine supremo probamus, cum contrà Atheos ad gentilium testimonia, de agnito numine aliquo provocamus. Ut taceam in edit. mea Witebergensi 1546. Tom. 2. Oper. Latin. Lutheri f. 462. b. post verba: *ipsam notitiam divinitatis*, legi sequentia: *quam* (videtur legendum *quamquam*) *Augustinus fatum non sine caussa damnat, nam de Stoico fato loquitur.* Quæ verba, cum in edit. *Seb. Schmidii* it. tom. VI. *Opp. Witeb. German.* aliisque forte quas jam consulere non vacat, desint, incertus sum, utrum ipsius b. Lutheri vel manu vel jussu adscripta, nam tomus iste secundus ante fata Lutheri jam ad editionem parabatur, addita sint, an ab aliis? Sed, quicquid sit, Luthero nihil fuisse cum Fato Stoico commune, in propatulo est. Plane vero nescio, quid sibi Vitus velit, qui p. 125. recitatis verbis b. Lutheri: *Inde finxerunt Parcas illas tres immutabiles, implacabiles, irrevocabiles*: subjicit: ex quibus intelligi potest, quid Luthero de vitæ termino visum fuerit? Absoluto loco Lutheri ita Vitus claudit: *Pisce magis mutus hic est doctissimus Schmidius,*

dius, omnium interpretum, quos unqaam sol vidit, impudentissimus. Itane leoni mortuo? Seb. Schmidius, vir, multo, quam Viti similes intelligere valent, doctior & accuratior, animum inducere non potuit, fore aliquando, qui ex innocentissimis Lutheri verbis laudatorem fuisse Theandrum Fati Stoici colligat, itaque sine nota, qua nec opus habet, verba nude exhibuit, ut mihi quoque accidit, qui, cum colligerem, quæ mihi in Lutheri libro duriora visa sunt, hunc ipsum locum ne tangendum quidem, ut expeditissimum putavi. Neque nobis Vite! neque Luthero fatum Stoicum unquam placuit, monemus vero non esse abhorrendum à doctrina nostra, qua non posse nos aliquid nostris viribus in sacris, cum ethnici quoque simile aliquid, licet impuris fictionibus depravatum crediderint. Usque ad p. 130. insolentissime te in his, quas Luthero gratis affingis, fati Stoici laudibus jactas Vite! Lectoris vero arbitrium esto: Uter sit tolerabilior, b. Schmidius, qui cum videret verba b. Lutheri defensore non habere opus, pisce magis mutus fuit, an qui accusando innocentissimo Luthero, rana loquacior? Neque ipse Erasmus triumphat de diatribe sua. Tom. 3. opp. Erasmi. p. 570. extat Epistola ad Georg. Saxon. Ducem, in qua hæc verba sunt: *Quam instructus sim adversus Lutherum, aut quid simus profecturi libellis, nescio. Nam diatriba mea quid aliud effecit, nisi ut ille dog-*

ma

ma suum magis etiam confirmaret? Scripta est Epistola d. 2. Sept. 1527. sed neque ante refutationem Lutheri Erasmus multum tribuerat diatribæ suæ. Nam l. c. p. 595. ad eundem *Georg.* Duc. Saxon. sic scripsit. d. 4. sept. 1524. incitatus à Duce ad stringendum calamum advesus Lutherum: *Quod hactenus tuæ Celsitudinis hortatibus non paruerim, quum alia multa, tum duo præcipuè in caussa fuere. Primum, quod non solum me viderem & ætate & ingenio imparem huic periculosissimo negotio* &c. Ibid. Erasmus ad Paul. Bombasium Romam scripsit, ab hoc jussi Leonis X. ad scribendum contra Lutherum instigatus: *Res est periculi plena, & in alio studiorum campo magis sum exercitatus.* Paullo post: *O mi Bombasi! proclive dictu est; scribe adversus Lutherum, sed ad hoc pluribus rebus est opus, quam ad plaustrum fabricandum, ut inquit Hesiodus.*

§. 110. Pag. 130. Vitus verba aliqua b. Lutheri laudat, quæ in Schmidiana editione p. 43. extant: *at, si vim liberi arbitrii eam diceremus, qua homo aptus est, rapi Spiritu, & imbui gratia Dei, ut qui sit creatus ad vitam vel mortem æternam, recte diceretur.* Subjungit Vitus: *Quis vero nisi supralapsarius facile dixerit, hominem ad vitam vel mortem æternam esse creatum.* Hic rursus, nec Seb. Schmidius, ut in re clarissima, quidquam notandum duxit, nec ego vel minimum hæsi. Sed à Vito nihil tutum utut innocentissime dictum. Accipe lector locum Lutheri totum, & mirare artes adver-

 sarii:

sarii: post recitata verba sic Theander: *Hanc enim vim, hoc est, aptitudinem, seu, ut Sophistæ loquuntur, dispositivam qualitatem & passivam aptitudinem & nos confitemur, quam non arboribus neque bestiis inditam esse, quis est qui nesciat? neque enim pro anseribus, ut dicitur, cœlum creavit.* Manifesta sententia beati viri, opponi homines brutis & arboribus, mortis vitæve æternæ non capacibus, habere adeo homines vim sive aptitudinem passivam, ut regenerari possint, quæ desit ceteris creatis rebus, homines enim capaces esse vel vitæ vel mortis æternæ. Quis bonus interpres Luthero affinget statuisse in Deo absolutum decretum, vel ad vitam vel ad mortem? Sed ita colligit Vitus & videtur sibi sapienter collegisse. p. 131. Lutherus quovis supralapsario crassior audit, qui nec angelis liberum arbitrium concesserit, sed eo sensu, quo ibi Lutherus liberum arbitrium sumsit & nos negamus angelis, itaque & Vitum & lectorem ablego, ad ea quæ supra §. 65. exposui. Quid voce necessitatis intellexerit vir sanctus non repeto.

§. 111. Pag. 132. *Ergo negavit Lutherus hominem nondum regenitum quidquam posse præparando, non resistendo, regenitum vero avertendo se à gratia, aut in gratia perseverando.* Sic Vitus noster. Resp. prius conceditur; homo nihil potest, nihil confert, nihil agit. Sic cum Form. Conc. p. 656. omnes credimus & loquimur: Alterum quod de *avertendo à gratia* dicis, Vite! Luthero

thero in mentem non venit, qui pios, *donec durat Spiritus & gratia Dei nullis contrariis mutari in aliud posse, ne portis quidem inferorum vinci*, docet. Quod addidit: *ut nec hic sit ulla libertas, vel liberum arbitrium* &c. expositum satis est supra §. 83. Extrema pag. 132. dicit Vitus: *Ergo ex Lutheri mente nihil plane ab hominis arbitrio pendere potest, quamobrem alius gratiam consequatur aut in gratia perseveret, alius gratiam non consequatur aut à gratia deficiat.* Alterum bene dictum, alterum male. Non est ab hominis arbitrio, quod gratiam consequitur, est aliquantulum in ejus, nempe per regenerationem restauratis viribus, conjuncto mediorum usu, perseverare, est, repudiare, & admissam, si velit, expellere gratiam. De verbis Lutheri actum à me est §. 83.

§. 112. Pag. 133. 134. Repetit ad ravim Vitus centies dicta toties à nobis refutata. Lepida sunt p. 134. hæc verba: *Facilis igitur aut ad mutuum consensum aut ad pacem saltem inter Protestantes via patet.* Hoc omnes in votis habemus. *Nihil enim requiro an, quam ut, vel tam cum Luthero sentiant & ab Erasmo dissentiant, quam videri volunt;* (unde nosti Vite! nos videri velle? nempe è verbis & scriptis Lutheranorum, quibus protestantur, se idem, quod Lutherus credidit, credere. Quomodo autem faciemus, ut intelligas, nos, quæ diximus, animo ita sentire? Iterum verbis & scriptis; quibus ubi tu denuo illud; modo cum Luthe-

ro

ro ſentiant, ut videri volunt, oggeſſeris, ævum proteſtationibus inaniter exigetur) *vel nos cum Luthero ſentientes eodem jure in fidei ſuæ fratribus ferant, quo Lutherum fidei ſuæ parentem laudant.* Tua vineta cædis Vite! nam ſi degeneres hodie ſumus, perfidi, perjuri, Pſeudo-Lutherani, ut inclementiſſime à Te appellamur, *nullo* jure Lutherum parentem noſtrum laudamus, quodſi *eodem* jure ferendi ſunt in fidei fratribus Reformati, rectius & planius dixiſſes *nullo jure* ferendos eſſe. Ceterum, ubi ſenſeritis cum Luthero, in hoc quidem argumento, gratiam univerſalem, meritum Chriſti univerſale, gratiam reſiſtibilem, amiſſibilem, deinde & in ceteris, quod docuiſſe Lutherum conſtat, ruemus in mutua oſcula.

§. 113. Videamus, qua nos ratione contradictionis convincere ſatagat Vitus p. 135. *Negant iſti*, Lutherani, *hominem quidquam in iis poſſe, quæ ad ſalutem pertinent, & tamen per unum hominis arbitrium ſtare volunt, quo minus omnes homines ſalutem, uti poſſent, ſi vellent, ita etiam conſequantur.* Poſſunt ſane, mi Vite! hæc pulcherrime conſiſtere, ut ad bonum accipiendum obtinendumque nihil poſſimus, ad repellendum, multum. Pone duos ægrotos uſu membrorum captos, ita ut ne deglutire quidem quidquam, ceterum in os ingeſta ejicere poſſint, pone idem pharmacum utrique non modo foris obferri, nam hoc ſi ſolum foret, diceres ludi homines, ſed ingeri in os,

detrudi in ventriculum, adhibito instru-
nto, patitur alter medicinam in ventri-
o, motus bonitate pharmaci, esse, ejus
ibus refocillari cœpit, nanciscitur subin-
vires, convalescit. Alter non patitur, eji-
pharmacum, pejus etiam ac antea habet,
oritur. Hunc merito omnes sua culpa, sua
tione periisse dicent, at illum vivere, non
o merito, quod nullum est, non sua actio-
e, quæ nulla est, non suis viribus, quæ nullæ
int, sed alieno beneficio. Est aliquid, ut in
mnibus similitudinibus accidere solet, quod
d rem præsentem non quadrat in hac para-
ola. Dici enim potest, illum, qui conva-
uit, *consilio* tamen usum esse, quo ductus me-
dicinam sibi utilem esse agnoverit, ideoque
non ejecerit, in hoc, fateor, cessat similitu-
do, nam in homine naturali non est ante gra-
tiam facultas agnoscendi, quid ex usu sit vel
admittere vel non admittere; sed hoc pri-
mum, quod in convertendo oritur, quale-
cunque judicium, intellectus, qualiscunque
inflexio voluntatis ad bonum, in solidum de-
betur gratiæ, sed resistibili gratiæ, nam pri-
ma illa lucula à plurimis, quod fieri potest,
nequiter opprimitur. vid. *Matth. XIII*, 20. 21.
22. *Act. XXIV*, 25. Superest, ut his Viti ver-
bis paucis respondeam. *Quicquid autem in ar-
bitrio hominis fuerit, quamobrem alius præ alio sa-
lutem consequatur, aut malum erit aut indifferens,
aut bonum.* Nullam actionem esse in homine,
cui

cui vel tantillum tribuendum sit; quid attinet denuo dicere? Itaque, accurate loquendo, cum nihil sit in arbitrio, *quamobrem* alius præ alio salutem consequatur: frustra quæritur: An *illud nihil* sit *bonum*, *malum*, *an indifferens.* Si quæras: rectene agit, qui statuit omittere resistentiam, ad quam natura proclivis est? Resp. jam non est quæstio de *non-resistentia*, quæ non est actio, ut vocabulum docet, sed de *consilio hominis*, hoc bonum ajo esse, est enim totum à Spiritu Sancto excitatum. Ergo, inquies, *irresistibilis* illa gratia? Resp. Primam illam gratiam irresistibilem ita esse, ut homo non impedire possit, quominus veniat, nemo Lutheranorum negat, alioquin enim processus daretur in infinitum, neque conversionis unquam posset initium fieri; verum resistibilem ita esse gratiam, ut operationes ejus, quæ sequi debebant, impediantur, & scriptura, & proh dolor! quotidiana experientia nimis clare condocet. Lutherum malæ fidei accusari a Vito, res indignissima est, p. 136. Ceterum Lutheranos contradictionum reos agi, ab eodem minime gravi autore, parum refert. Conviciorum, quæ non erubuisti eadem p. 136. prodigere, me ita piget, ut repetere nolim. Ferre non potes p. 137. nos a symbolicis nostris libris abire. Accidit tibi, quod illis, qui ictero laborant. Quod in oculis tuis vitium est, ponis in rebus.

§. 114.

§. 114. Lutheri verba, quibus negat, cum fides donum DEI singulare & rarum sit, eam servare in nostra esse potestate, nudè ponit Vitus p. 137. sed quid sibi velit, non dixeris. *Donum DEI* esse fidem, quis negat? *rarum* donum DEI esse, cum paucissimi credant, quis inficiatur? Ejusdem Spiritus S. gratia, qui dedit fidem eam conservari, ita tamen ut jam vivens homo uti mediis gratiæ possit agatque aliquid; non nostris viribus, quis dubitat? sed imperito lectori imponere Vitus conatur, ut, tametsi nullo verbo probanti, subinde tamen accusanti nostram à Luthero defectionem sensim credere incipiat. Quæ quidem artes & illaudatæ sunt, nec animum pacificum spirant. Lutheri locum, de quo Vitus disserit p. 138. 139. supra §. 85. pertractavimus. Quæ de *impudentia* nostra criminaris, pudentis fuisset, domi servare. Quo sensu ipsis angelis negetur L. A. mirum est, ni tandem didicisti *Ezech. XVIII.* 23. prosterni Supralapsariorum opiniones indubitatæ veritatis est, sed liberum arbitrium ex eo loco asserere male conatus est Erasmus, negavit vero rectissimè Lutherus. Hæc tibi Vite! ad p. 140. 141. responsa sunto. Ceterum Lutherum non fuisse Supralapsarium ex eodem loco §. 71. docui, sed ad artes tuas te recipis Vite! infeliciter quidem, p. 142. Lutherus dixerat: Quare illo verbo: *nolo mortem peccatoris, nihil aliud agi vides, quam*

Præ-

prædicari & offerri divinam misericordiam in mundo, quam solum afflicti & morte vexati cum gaudio & gratitudine suscipiunt, ut, in quibus jam lex suum officium, i. e. cognitionem peccati complevit. &c. Aurea sane verba. Sed vide mihi lector! glossam Viti p. 142. *ex quibus consequi videtur Lutherum verba DEI apud prophetam ad electos maxime pertinere voluisse.* Quid audio Vite! sumsisti tibi demonstrandum Lutherum fuisse Supralapsarium; sequiturne ex istis verbis? *Videtur*, inquis, *consequi.* Sed, consequiturne vere? Taces. Porro id, quod videtur tibi consequi, quale est? *verba DEI* MAXIME *pertinere ad electos*, ergo ad alios quoque, licet non *maxime.* Supralapsarii vero ad *solos electos* meritum Christi & beneficia per ipsum parta pertinere credunt. Itaque non *videtur dixisse*, sed *dixit* Lutherus omnibus hominibus offerri evangelium; à solis afflictis per legem cum gaudio recipi; ab illis, qui legis officium nondum sunt experti, contemni. Tu vero Vite! erubesce, da veritati manus victas & DEO gloriam, nobis fac gaudia!

§. 115. Prætermissis reliquis, quæ Vitus p. 142. habet & p. 143. de statu controversiæ fastidiose repetit, paucis respondemus ad p. 143. Nos cum Luthero abyssos sapientiæ divinæ ad Pauli exemplum mirari, quæ sunt in dispensandis gratiæ gradibus, in maturiori vel tardiori desertione impiorum &c. Hæc & sunt & manent, in hac saltem vita,

ut

ut justissima & sanctissima, ita impervestigabilia. Ceterum tuemur grato in DEUM animo, cumulate & illustrissime in Scriptura expositam eam veritatem, qua Christi meritum universale, hominum omnium salutem à Deo serio quæri, &c. docemus & credimus. Illustrius negat argumentum esse Vitus p. 145. quo Lutherum Supralapsarium esse evincatur, quam distinctionem *voluntatis DEI revelatæ & arcanæ.* Bene. Itaque, cum §. 86. toti objectiunculæ satisfactum sit, pergere jam licebit; ubi monuero, me quoque cum celeberr. Moshemio, atque ipsis etiam Arminianis, cum quibus alioqui non sentio, arbitrari, *non carere impietate distinctionem inter voluntatem DEI revelatam & arcanam*, nempe, si accipiatur, ut à Remonstrantium adversariis acceptam esse palam est. Ceterum hoc observa: Duo cum faciunt loquunturque idem, non est idem. In exagitando Schmidio, Vite! p. 145. 146. dici non potest, quantum tuæ existimationi obfueris. Quid plaustra conviciorum, si vel errasset Schmidius? Ego & Schmidium legi & Lutherum & Erasmum, & me sentire cum Schmidio profiteor. Ubi ergo me quoque *impudentiorem neminem hominem fuisse* dixeris, me scito nihil regesturum, sed bonam tibi mentem & intelligendi facultatem tot vehementibus motibus liberatam divinitus precari. Ad Erasmi verba: *Quum se gratia pulsanti accommodat, aut, si mavis, præbet,*

ſolum non eſt; addit Vitus: *Nonne hæc ipſiſſima Lutheranorum & Eraſmi ſententia eſt.* Lutheranorum, ô bone! non eſt, qui ita nec loquuntur, nec ſentiunt. Sed plura non addo. Quid enim hic homini facias æſtuanti? itaque p. 147. 148. ſequ. prætermitto, in quibus nihil bonæ frugis eſt. In Schmidio p. 90--95. ſana omnia & egregia. Sed hæc cum ſcribo, ingemiſco miſeram conditionem humani ingenii, nam cum hic Vitus mihi, ego Vito de Schmidiana interpretatione palam contradicimus, alterutrum falli, cum uterque proteſtetur ſe certum eſſe, neceſſe eſt. Itaque luce divina expurgato præjudiciis animo, liberaque affectibus mente opus eſt. Quæ omnia tibi mihique Vite! divinitus precor.

§. 116. Ad p. 150. reſpondendum aliquid eſt Vito. Ita ibi ille: *Ergo Lutherus exiſtimavit Eraſmum idem ſenſiſſe, quod Lutherani hodierni, liberum arbitrium ſcil. nihil poſſe ſine gratia.* Hic vera dicis Vite! utique Lutherus docet Eraſmum idem ſibi probandum ſumſiſſe, quod ipſe Lutherus & nos cum eo verum credimus, nam tres ſententias de libero Arb. imperitè diſtinxerat, quas Lutherus rectiſſime pro una habuit, ut nos §. 68. obſervamus, primam earum ſed revera Lutheri ſententiam, probabilem & defendendam dixerat Eraſmus, ſed ſui mox oblitus, homo anguilla magis lubricus, argumenta convexit,

quæ

quæ, si quid probant, Pelagius vicit. Ita patet Vite! quomodo Erasmus idem, quod Lutherani hodierni, senserit. Nempe tum sensit, cum primam illam opinionem, quæ tota Lutheri & nostra est, sibi placere dixit, sed alibi per totam diatriben alia omnia & sensit & dixit, & demonstrare frustra conatus est.

§. 117. Quantum discrepent Viti ingenium & meum, insigne jam specimen occurrit, uter viderit acutius? lectoris esto arbitrium. §. 71. ex iis, quæ ad *Matth. XXIII.* Lutherus commentatus est, patere dixi, Lutherum docuisse *gratiam universalem*, quod quidem legenti clarum erit, nisi claudat oculos; Quid Vitus? ex eodem Lutheri loco ait Supralapsarium fuisse, & tanta quidem confidentia, ut putet p. 150. *nullam plane Lutheranorum exceptionem admitti.* Non repeto, quæ ibi dicta sunt, sed præterea moneo, eadem felicitate & invicto robore ex *Matth. XXIII.* 37. gratiam Christi universalem & resistibilem, non dicam, demonstrari aliqua consecutione, quid enim in re clara opus? sed ostendi & solis radiis scribi, qua infelicitate eo loco Erasmus ad demonstrandum L. A. abusus est. Itaque non male argumentum, quod elicuit inde Erasmus, *muscarum Achillen* Lutherus dixit. Pag. 151. dixisti aliquid Vite! quod condonamus præcipitantiæ tuæ, nempe: *Supra monuimus hac magis valere convincendis Lutheranis, qui nihil posse liberum arbitrium largiuntur, quam Erasmo, qui tuebatur posse aliquid.* Bene est,

 quod

quod tandem agnoſcis, nos nihil, Eraſmum *aliquid* libero arbitrio tribuere. Quis vero malus error te in ſuperioribus, quin & ſequentibus abſtulit, ut totos nos Eraſmianos, nec ovum ovo ſimilius, quam nos Eraſmo eſſe contenderes? Quid vero habes *ad magis convincendum nos, quam Eraſmum?* Lutherus *κατ' ἄνθρωπον* reſpondit adverſario ſuo, hoc argumento, ex *Matth. XXIII.* ſi quid probet, deſtrui opinionem iſtam ipſi Eraſmo probabilem viſam. Hoc reſponſum magis contra Lutheranos valere, Vitus contendit. Bene mi Vite! ſi nempe extiterint è Lutheranis, qui è loco Matth. liberum arbitrium probare velint, quod quidem adhuc nemo fecit, tum fas jusque eſto contra eos Lutheri hoc reſponſo uti, quod contra Eraſmum, qui ex illo loco L. A. probare voluit, feliciter adhibitum eſt. Hoc reſpondi Vite! ne putes pinguia noſtra ingenia non aſſequi tuas argutationes. Sed reliquis p. 152 -- 155. non reſpondeo, quia bonæ chartæ parcendum eſt. Pag. 156. *Intelliget*, inquit, *doctiſſimus Moshemius hac eadem eſſe cum iis, quæ ipſe Supralapſariis objecit. Neque Lutherus has conſequentias negat, ſed tuetur eaſdem etiam Eraſmi, i. e. Lutheranorum ſententiam premere, quamdiu negent quidquam boni agere poſſe noſtrum arbitrium.* Moshemius ſine dubio parum movebitur hac objectione: Luthero ſunt talia objecta, ſed & facile ac primo quidem argumento *κατ' ἄνθρωπον*.

θρωπον, repulsa, quid ad Supralapsarios ceterosque, qui gratiæ & meriti Christi *universalitatem*, *resistibilitatem* negant, hæc attinent, qui certissime hærent nec respondere possunt? Deinde, quid vis his verbis: *Neque Lutherus has consequentias negat, sed tuetur.* Nos quidem certo scimus, Lutherum non esse tuitum consequentias *de injustitia DEI*, &c. si vel maxime hoc loco adversarium suum argumento κατ' ἄνθρωπον pudefecisse contentus fuisset; sed non fuit, nam ad *DEUM incarnatum* ablegat hominem, qui DEUM injustitiæ arguere velit, & *hunc* ait *dicere*: *Ego volui & tu noluisti.* pag. 100. edit. Schmid. Supralapsarii vero tui tuenturne tam diras consequentias? Si tuentur, quid vocas *calumnias*, cum nostri tales consequentias ipsis agnoscentibus objectant? Si non tuentur, cur ideo Lutherum Supralapsarium contendis esse, quod tales consequentias non neget, sed tueatur? Quam facile est, mi Vite! salvis nostris hypothesibus consequentias istas amoliri, tam non video, qui possit Supralapsarius salva sua hypothesi respondere homini, qui DEUM injustitiæ arguat, quod damnet *ob incredulitatem*, qua nulla ratione carere possit. Supralapsarius enim ea responsione, qua Lutherus feliciter usus est, uti nequit: *DEUS incarnatus tibi loquitur: Volui, & tu noluisti.* Nam, si vera est Supralapsariorum hypothesis, DEUS nunquam

ſerio voluit hominem reprobum ſalvare, ut qui nec redemtus eſt.

§. 118. Jam extra dubitationis aleam eſt, ſaltem videtur eſſe Vito. p. 157. fuiſſe Lutherum Supralapſarium, quia recitatum olim ac probatum *Wiclefi articulum*: *omnia neceſſitate fieri*, ac ſibi ab Eraſmo objectum non neget, ſed agnoſcat. Sed videt lector, quid per *neceſſitatem* Lutherus intellexerit, quod expoſitum eſt §. 72. Itaque potuit dicere Lutherus, *omnia neceſſitate fieri*, & à ſupralapſariiſmo eſſe ſejunctiſſimus. De induratione Pharaonis, quam Vitus p. 159. 160. ſequ. excutiendam ſibi ſumſit, non eſt eadem omnium ſententia, nos noſtram §. 87 diximus. p. 162. Vitus noſter, cui eſt modeſtia noverca, *ſtipitem profecto*, inquit, *eſſe oportet, non hominem, qui hæc dicentem Lutherum idem ſenſiſſe dixerit, quod illius diſcipuli.* Quid ergo dixit Lutherus? Legat, qui volet, locum integrum, nos repetemus ultima verba, quæ maxime pupugiſſe videntur Vitum. *Tum nec Deus quemquam eliget, nec electionis locus ullus relinquitur, ſed ſola libertas arbitrii lenitatem & iram acceptans vel refutans.* Sapienter Lutherus: *ſi nihil aliud prædicetur quam lenitas tolerantis & caſtigatio miſerentis Dei*, h. e. externæ operationes extra cor hominis, negat rationem reddi poſſe, cur unus homo perveniat ad gratiam, alter non perveniat, nam ſi quod ſit liberum arbitrium, eſſe in omnibus hominibus æquale. Itaque vir beatus vult

vult ad conversionem operationem Dei internam necessariam esse, in hominis arbitrio autem non positum lenitatem Dei vel acceptare vel refutare, scil. ad utrumque æquali ratione. Hæc & rectissime Lutherus sensit & nos cum eo, animo uno & voce una, omnes, neque minus tamen, si per te, Vite! licet, *homines* erimus non *stipites*. Paullo post Lutherus: *Spoliatus vero Deus virtute & sapientia eligendi quid erit nisi idolum fortunæ?* Hæc ut sunt sancta & bona, ita mirabile ingenium Viti, qui addit: *Si sibi constare velint Lutherani, non possunt non hunc Lutheri jocum scelestum & blasphemum arbitrari.* Nec jocatus est, mi Vite! Lutherus, tantum abest, ut scelestè & blaspheme jocatus sit. Sed ut decet gravem Theologum, periculum monstrat, quod in Pelagianismo & Semipelagianismo etiam, quem tu nimia facilitate in societatem fidei recepturus es, latet. Nam si homo ipse sibi vitam parare potest, quis tandem sensus erit promissionum divinarum, quas *gratuitas* esse tota scriptura clamat? Næ tu Vite! vehementer erras, cum, quod Lutheranos in Semi-Pelagianis habes, à quibus plane absunt, tum, quod *non graviter* errare eos putas, ita ut fidei orthodoxæ socii haberi queant, quod Lutherani minime arbitrantur, h. e. utroque ostendis, te rerum theologicarum, quod non accusandi sed monendi caussa dico, non nimis esse gnarum. Hoc modo & ad p. 163. responsum est.

 §. 119.

§. 119. *Cæcos esse oportet Lutheranos, si non perspiciant, Lutherum ex electione fidem, non ex fide prævisa electionem derivavisse.* In hunc modum loquitur Vitus p. 164. sed ipse non videt, etsi utrumque recte dici posset, & Lutherum alibi fidem ex electione derivasse fateamur, hic tamen id non dixisse. Vocat enim *electos cultam terram, reprobos, incultam*, ita docet *quales* sint electi reprobive, sed, *unde* ista qualitas proficiscatur, hoc quidem loco non dixit. Vide ergo o bone! quam parum opportune convicio tuo hic abusus sis. Animi malignitatem, difficulter a me impetro, ut homini, quem non intime novi, tribuam, at præcipitantiæ vitio aut judicii infirmitate te subinde ac tantum non semper labi cerno Vite! & doleo. Sic p. 164. ita ratiocinaris: Quia indurationis opus ita fit, quod voluntas mala nonnisi malum velle possit, ergo, quicunque regeneratur, non potest non absoluta & irresistibili gratia regenerari. Nullo modo ita colligi posse, facere conabor, ut intelligas, hoc unico observato, non *continuo* indurari homines a Deo, sed demum spretis aliquot, immo multis gratiæ gradibus. Itaque non sequitur: si contemtores gratiæ, quos Deus in sensum reprobum dare decrevit, oblatis bonis sibi contrariis non possunt non pejores fieri, cum ipsis ademta sit gratia antea concessa: ergo & ceteri, natura mali, at nondum tales contemtores, oblato bono non

possunt

possunt non pejores fieri licet præsente gratia. Immo, hi possunt per istam gratiam meliores fieri, ni resistant, possunt & indurationis horribile judicium sibi contrahere, si resistant, adeoque qui regenerati sunt, gratia regenerati sunt, non cui resistere nequivissent, sed cui reapse non restiterunt malitiosa repugnantia. Pariter bis paralogismum committis p. 165. *Si quæsieris, cur Deus non mutet voluntates malas, quas moveat, Erasmus cum Lutheranis respondet, quia mutaturo Deo homines resistunt. Lutherus vero ad secreta majestatis & incomprehensibilia judicia DEI nobiscum recte refert.* De Erasmo nihil dico, Lutheranos ita loqui fateor; verum hoc miror, te non perspicere, quam bene Lutheranis ita loquentibus cum Luthero conveniat? Sermo est de *induratis*, hos relinquit Deus ob antecedentem contemtum gratiæ, porro desertio ista citius tardiusve fit, ex secreto majestatis & incomprehensibili judicio Dei. Itaque cum hæ duæ rationes semper in induratione hominis concurrant, qui alterutram exposuit, adeo non exclusit alteram, ut fortissime includat. Sic, cum videmus hominem supplicio affici, & nobis quærentibus caussam, unus spectatorum è sententia judicis, sive principis, fieri, alter, ob homicidium, dixerit; hos tu contradixisse sibi putabis, cum utrumque verum sit? Eadem pag. 165. ad verba Lutheri: *Si hic ulla erat vertibilitas, aut libertas arbitrii in Pharaone, quæ in utrum-*

que potuisset, non potuisset Deus tam certo prædicere ejus indurationem, addis: *qualem vertibilitatem Lutherani cum Erasmo fingunt.* Observavimus, ut rem extra dubium positam, *necessitatis* vocabulo signatam Luthero esse *certitudinem*, itaque *vertibilitas* isti necessitati opposita est *incertitudo*, quibus vocabulis, vel ob alias caussas, vel quod minus latinæ sunt, Lutherus non usus est. Negat ergo Lutherus *incerta* fuisse, quæ facturum Pharaonem Deus præviderat, sed & nos omnes fatemur, *certo* futurum fuisse, quicquid Pharao male deinde fecit, at *necessario*, significatu vocis hodie receptiore, futurum fuisse ac deinde factum, merito negamus. In his paralogismis refellendis fusior fui, in aliis ero brevior. Itaque quæ p. 166-168. habes, Vite! non tango, spero enim lectorem de sensu vero Lutheri satis edoctum esse, Notam p. 167. subtextam, utinam continuisses domi! Itane, qui *cap. IX. epist. ad Rom.* aliter ac Lutherus ac Form. Concord. autores fecere, explicat, defecisse a libris symbolicis dicendus? Is defecisset, qui doctrinam, quam è *cap. IX. Rom.* colligunt Form. Concord. autores, negasset; verum qui salvis per omnia iisdem doctrinis, commodius vel videntur sibi exponere, vel exponunt dictum biblicum iis *defectorum* turpissimo vocabulo, si per te licet, carere in votis est. p. 169. occinis nobis, quod sæpiuscule audivimus: *Omnia Deum necessario ab æter-*

no

no præscivisse, neminem prudentem tueri posse, nisi aut Manichæus sit aut Supralapsarius. Næ tu Vite! indulgen issimis uteris patribus, qui, cum Infralapsarii sint, a te filio suo, non modo æquis animis audiunt, cum nihil sapere omnes dicis, & vel Manichæis vel Supralapsariis accedere μετὰ πολλῆς παῤῥησίας jubes; sed & alunt, & imprimendi libellos tuos è paralogismis & conviciis compositos, facultatem concedunt. Ad nos quod attinet, Vite! decretum est nec cum Manichæis nec cum Supralapsariis sentire; tametsi Deus *necessario* hoc est *certo*, atque ut non possit falli, prævidisse fatemur. Quocunque nos vocabulo appellet Vitus, *deliros*, *insipidos*, &c. nihil refert.

§. 120. Luthero tribui opinionem, quam non habuit, a Vito quid opus repetere? ad p. 170. Vito argutanti: *Aut aliter velle possunt, quæcunque volunt mentes creatæ, aut aliter velle non possunt.* Respondeo: simul utrumque verum est, quia τὸ *posse* duplici sensu accipitur. Lutherus, qui *necessitatem* vocat, quod alii *certum*, recte dixit *non posse res creatas* id non velle, quod volituras Deus prævidit. Nos recte dicimus, *posse aliter velle*, nam *necessitatem internam* intelligimus, hæcque omnia dicimus non abnuente Celeberrimo Wolfio, cujus autoritatem tibi non defugiendam §. 73. laudavimus. Desine mirari Vite! cur non placuerit Luthero objectio de eclipsi præ-

prævisa quidem ab homine at nullo modo excitata, nam est sane ingens discrimen inter talem prævisionem Mathematici & prævisionem Dei, quia hæc *concipi quidem potest* ab directione Dei, qua omnes actiones rerum creatarum complectitur, sejuncta, sed nunquam *est* sejuncta: Verum illa hominum prævisio ne concipi quidem potest non sejuncta. Ceterum nostrates ad exemplum Celeb. Wolfii recte docent hac similitudine, sua natura distinctas res esse præscientiam & præordinationem, neque à prævisione Dei ad *necessitatem* proprie dictam argumentum valere. p. 171. sic Vitus: *Ergo, quæ Luthero hactenus tribuebat Erasmus, ea vere sensit Lutherus.* Quid ais, Vite! recitatus à Te locus Erasmi, sed misere truncatus, quod cur facere tibi placuerit, non definio, non quid Lutherus senserit, sed quid Erasmus sentiat, continet. Fatetur Erasmus esse vera, quæ hic disputat, & difficiliorem esse quæstionem, sic enim loquitur verbis parum tempestive à te omissis: *Nam aliquo modo velit oportet, qui quod præscit futurum tamen non impedit, quum ipsi sit in manu.* Hæc mi Vite! Erasmus scripserat & sua quidem mente, quæque ipse verissima credit. Itaque Lutherus, qui ad hæc respondet: *gratias tandem agimus Deo pro sano sensu diatribes* &c. non agnoscit sua quasi ab Erasmo recitata, sed laudat Erasmi verba, quibus ille pro lubricitate sua non diu inhæsit. Quid ergo? laudat

Lu-

Lutherus eum, qui dixerit Deum ea, quæ præscit, *aliquo modo velle, quia non impediat, cum posset.* Bene. Hoc dicimus omnes, nam *permittendi voluntate* vult Deus mala quoque. Soli Supralapsarii ita loqui non possunt, secundum quos Deus non statuit mala permittenda, sed *ut fierent decrevit.* Tu vero Vite, ut soles, caussam tuam ipse jugulasti. Pag. 171. sunt aliqua, quæ *ad cap. IX. ad Rom.* pertinent, de quibus dixi, quid mihi videatur. p. 172. denuo Lutherus Supralapsarius esse invitus cogitur, quia *præscientia divina nobis necessitatem imponi* dixit, quasi nesciremus, quid *necessitas* Luthero significet. De contradictione, quam Luthero noster visam fuisse ait inter *præscientiam divinam & libertatem humanam*, egi supra §. 88. *p.* 173. *Lutherani Socinianis utcunque orthodoxiores, longe tamen ineptiores sunt.* Pertinaces oportet esse Lutheranos, qui pacifici viri Stephani Viti honorificis elogiis dextras jungere cunctantur. Ead. pag. Moshemius sentire jubetur, quo loco Lutherus objectiones censuerit, quibus Supralapsarios à nobis vexari Vitus ait. Quid vero ibi Lutherus? hoc ait. Qui ideo Deum injustitiæ arguunt, condemnantem, quod ipsis libertas arbitrii defuisset, adeoque putant Deum delectari cruciatibus hominum, apud inferos ululaturos in sempiternum. Sed idem & Moshemius & nos omnes facile dicemus. Extrem. pag. miserere te dicis nostri; at me Vite! incogitantiæ tuæ miseret.

§. 121.

§. 121. Pag. 174. Vitus, nescio quo consilio Lutheri verba pag. 144. *edit. Schmid.* laudat, ubi *ridiculum fore* Deum, dicit, *qui fallatur eventis*, à quo errore & gentes, qui ineluctabile fatum Diis suis tribuere, absuerint. Hoc Vite! nemo nostrum est, quin credat, sed quorsum pertineant, nescio. Fatum Stoicum vir beatus non laudat. Ibidem ex Luthero repetit, omnipotentiam *actualem*, qua actu operatur, non, qua agere potest, & præscientiam, repugnare libero arbitrio; quid vis tibi Vite? Nullum esse lib. arbitr. in spiritualibus, in non renatis? At nemo nostrum aliter sentit.

§. 122. Pag. 175. Vitus: *arrigite*, inquit, *hic aures, fratres Lutherani, & viros vos præstate in conciliando hac Lutheri sententia cum vestra, qua mera voluntate sua Deum quemquam damnare Deo indignissimum, blasphemum, execrandum esse profitemini!* Quid ergo dixit Lutherus? *Scilicet hoc offendit quam maxime sensum illum communem, seu rationem naturalem, quod Deus mera voluntate sua homines deserat, induret, damnet, quasi delectetur peccatis & cruciatibus &c.* Dixitne Deum indurare, damnare mera sua voluntate? non dixit, nam utitur conjunctivo modo: *deserat, induret, damnet*; neque dicit: *deserit, indurat, damnat.* Manifesta sententia hæc est: Rationem hominis, cum audit libero arbitrio nos carere, offendi, quod Deus mera sua voluntate damnet &c. putat nempe sequi, agere

hæc

hæc omnia Deum mera voluntate. Respondet Lutherus, non concedendo vera esse, quæ ratio colligit, sed salubrem multis & sibi quoque talem offensam fuisse, cum homines de se plane desperent; ceterum nihil profici in tentatis, distinctionibus aliquot repertis; *fatendum potius*, ut ipsa veritas jubet, nos non agere, *nisi quod Deus præscivit*, sed, ubi homo ita de se desperaverit, proxime accedere ad gratiam. Quid ergo viros nos præstare jubes in conciliatione nostræ cum Lutheri sententia, quæ eadem est? Quis neget facile hominis rationem, cum de certa & necessaria Dei præscientia cogitat, eo pervenire, ut suspicetur Deum pro mera voluntate agere? Itaque Lutherus objurgat Erasmum, quod in his objectionibus magna facundia recitatis tam multus sit, neminem enim esse, qui eas ignoret, frustra autem eas tollere conari, asserto libero arbitrio, neque posse falso commento repelli dubia ista. Hæc, qui volet, poterit disputantem videre Lutherum p. 147. ed. Schmid. Hoc unum est, quod monere adhuc possis aliquis, Lutheri fuisse, alia ratione objectiones removere, quas asserto libero arbitrio Erasmus infeliciter removere conatus fuerat. Sed, cum hoc toto libro sæpius, in aliis ex instituto ejusmodi tentatos ad Jesum Deum incarnatum, ejusque meritum ablegarit, seque his ipsis tentationibus olim gravissime vexatum à *Staupicio* pariter ad verbum

verbum Jesu Christi remissum sæpe docuerit: quis jure postulet, hoc quoque loco, ubi id non egit Lutherus, responsionem accuratam? Suffecerat ostendisse Erasmo, pro L. A. nihil istis argutationibus effici. Distinctionem inter *necessitatem consequentis & consequentiæ*, quo & referri potest distinctio inter voluntatem ordinatam & absolutam supra §. 82. attigi. Ceterum, certum te esse jubeo Vite! ea verba omnia, quæ p. 176. recitasti, mihi penitus probari, itaque, quod te facturum recepisti, fatere, me demonstrasse Lutherum non fuisse Supralapsarium.

§. 123. Probamus vero Vite! etiam Erasmi verba ex Hyperaspiste libro 2. à te laudata, quia Luthero reapse non contradicunt. *Est sane mentibus hominum penitius insita lex DEUM non punire in æternum eos, qui nulla sua culpa, sed inevitabili necessitate peccarunt*, (repete in hanc sententiam pulchrum locum Lutheri, quem §. 80. exhibui, *nec irrogat supplicia ob ea mala, quæ ipse operatur in hominibus.* Hic lector monendus est, quid Lutherus intellexerit, cum alicubi dixit: *DEUM mala operari in homine.* Non pœnitebit legisse locum fol. 495. b. ed. Schmid. pag. 128. *Non igitur quispiam cogitet DEUM, cum dicitur indurare, aut malum in nobis operari, (indurare enim est malum facere) sic facere, quasi de novo in nobis malum creet, ac si fingas malignum cauponem, qui ipse malus in vas non malum fundat aut temperet venenum, ipso vase nihil faciente,*

quam

quam quod recipiat, vel patiatur temperatoris malignitatem. Sic enim fingere videntur hominem per ſeſe bonum, aut non malum, pati à DEO malum opus, dum audiunt à nobis dici, DEUM in nobis operari bona & mala, nosque mera neceſſitate paſſiva ſubjici DEO operanti, non ſatis cogitantes, quam inquietus ſit actor DEUS in omnibus creaturis ſuis, nullamque ſinat feriari; ſed ita cogitet, qui utcunque talia volet intelligere. In nobis, id eſt, per nos DEUM operari mala, non culpa DEI, ſed vitio noſtro, qui cum ſimus natura mali, DEUS vero bonus, nos actione ſua pro natura omnipotentiæ ſuæ rapiens aliter facere non poſſit, quam quod ipſe bonus malo inſtrumento malum faciat, licet hoc malo pro ſua ſapientia utatur bene, ad gloriam ſuam & ſalutem noſtram. Sic Satanæ voluntatem malum inveniens, non autem creans, ſed deſerente DEO & peccante Satana malam factam arripit operando & movet, quorſum vult; licet illa voluntas mala eſſe non deſinat hoc ipſo motu DEI. Si hoc modo DEUS dicatur mala operari, ut vidimus explicantem Lutherum, nihil eſt erratum, & poteſt DEUS iſta mala juſtiſſime punire, ſed, quoniam vulgo phraſis: *DEUS operatur mala in homine*, ita accipiatur, ut DEUS mali ipſius autor ſit, quo ſenſu Eraſmum accepiſſe, manifeſtum: tum rectè negatur DEUM punire poſſe, quæ ipſe eſſet operatus. *Inepte prudentes*, qui Lutheranos vocat, vereor, ne ab aliquibus impetret elogium, ut *cum ratione inſanire* dicatur. Sed nullusne conviciorum modus aut finis? In-

eptæ prudentiæ accuſamur à Vito, quod dicamus *præſcientiam divinam eſſe ineffabilem, incomprehenſibilem* ; ſed, ut taceam, me neſcire, quis Lutheranorum, quove ſuo commodo, *præſcientiam* præ ceteris rebus divinis omnibus *ineffabilem* dicere voluerit, hæc, inquam, ut taceam, quid tibi videtur? Effarine potes & comprehendere? *Si ex immutabili DEI decreto ſuſpenſam* dicamus præſcientiam divinam, Vitus noſter perhibet, *nihil expeditius* eſſe. Præſcire DEUM omnia, expeditum eſt, ſive ſua conſilia decretaque ſive rerum creatarum libera conſilia præſciat, quid enim fugiet DEUM? *Præſcientiæ* autem *ratio manet*, quicquid dixeris, *ineffabilis*, ſed quem in finem hæc omnia diſputantur Vite! cum ad cauſſam noſtram nihil pertineant?

§. 124. Extrema p. 177. ſua vineta miſere cædit Vitus. En ejus verba: *Lepidum hoc εὕρημα, & feliciſſimum diſputandi compendium, ſi ex divinis perfectionibus argumentanti adverſario reſpondere non poſſis, negare, te aut comprehendere aut effari divinas perfectiones poſſe. Hac ratione nullus de DEO error refutari poſſet.* Præclare hæc dicta ſunt omnia, itaque cum Moshemius ceterique Lutherani abſolutum decretum impiè DEO tribui, ex eo evincunt, quod ſanctitati juſtitiæque divinæ palam repugnet, Vitus autem ac ceteri Reformati reſpondent, non poſſe nos perfectiones has divinas noſſe aut comprehendere, dicemus: *lepidum eſſe εὕρημα,*

μα, &c. Nos quidem ista lepida inventione contra Supralapsarios nostra tuituri non utemur. Contradictoria autem simul vera esse posse negamus omnes. Verum ubi definiendum sit, quænam sint contradictoria? neminem minus idoneum arbitrum inveniri posse, à te Vite! si discedatur, firmiter credo. Hæc ad p. 178. conviciis oppletam sufficiant! Bonas vero mentes monitas velim, non, ut *justitiæ* ac *misericordiæ* divinæ ideas ex Scriptura haustas eique conformes habemus, ita & *omnipotentiæ* divinæ ideas similes hauriri posse. Possumus dicere præeunte Scriptura aliquid: e. g. *miserum innocentem* miseriorem studio facere, repugnare justitiæ divinæ & misericordiæ, sed non est quidquam, quod quin fiat, repugnare dicamus omnipotentiæ divinæ. Ne quis cavilletur de contradictoriis, provide dixi: *quidquam*. Nam contradictoriorum alterutrum *nihil* est, h. e. impossibile. Quicquid vero *possibile* est, quale illud quoque est, quod justitiæ DEI repugnare diximus, cave, dixeris omnipotentiæ divinæ repugnare.

§. 125. Pag. 178. Vitus aliqua verba Lutheri *præclare* dicit & *plane ex Supralapsariorum mente dicta esse*. Sed non quæritur, an Supralapsariis & Luthero aliqua sint communia? sed an dixerit Lutherus, quæ soli Supralapsarii admittant. Nam, qui dicit DEUM unum esse, non ideo Supralapsarius erit,

quod hi idem dicant. Præclara ſunt, quæ hic ex Luthero laudas & nobis cum beato viro communia. Pag. 179. cramben te dudum repulſam reponere palam eſt; p. 180. *Soli Supralapſarii negant DEUM quidquam præſcire poſſe contingenter.* Falleris Vite! nam, cum vox *contingenter* voci *certo*, ut demonſtravimus, oppoſita ſit, & ſignificet DEUM quaſi abire ab actionibus rerum creatarum & nihil agere; idem ajunt Lutherani, qui Supralapſariorum tamen dogma merito fugiunt. Schmidium cum denuo vellicas, illud ſuccurrit: *Impar congreſſus Achilli.* Pag. 182. 183. ea dicuntur, quæ lectorem, qui noſtra de Lutheri & Eraſmi amœbeis legit, morari non poſſunt. Pag. 184. attendere jubes Moshemium ad verba Lutheri ibi recitata, de quibus ſupra §. 89. breviter, at quantum ſatis eſt, egi. Neſcio, cur Vito placuerit pag. 186. in fuſiſſimo loco Lutheri hæc paucula eliminare: *At væ nobis tunc miſeris apud illum DEUM, Quis enim ſalvus erit?* Id vero probe ſcio, ex his verbis patere, credidiſſe ſanctum virum, hoc eſſe conſilium Scripturæ, quæ liberum noſtrum arbitrium profligavit, ut ſalvi fiamus abjecta omni de meritis noſtris opinione, cum, ſi operibus quidquam tribuendum eſſet, nemo poſſit ſalvus fieri. Non propulſamus liberum arbitrium, ut doceri poſſit *paucis* licere ſalvos fieri, ſed ut vera ad ſalutem via, omnibus, qui gratiæ trahenti

henti

henti nolint resistere, ineunda, pateat. Pag. 187. Vitus contendit, si fateamur, nihil eorum, quæ à nobis objiciuntur Supralapsario dogmati, nostro posse objici, tum nos ne negare quidem posse Lutherum Supralapsarium fuisse. Quid respondeam mirabili argutationi? Hoc respondeo: Negamus Lutherum Supralapsarium fuisse, nam non fuisse demonstravimus, atque hoc loco ponimus, & nihil eorum, quæ Supralapsarios urgent, nos premere, certi sumus. Miraris ergo nostram pertinaciam; Mitte hæc Vite! & caussam tuam age, si potes, si non potes, sile. Sed egisse videris pag. 188. Nam ibi ais: *Itane truncus fuit Lutherus, ut, nisi Supralapsarius fuisset, facillimam hanc expediendi difficultates istas rationem modumque*, quo nimirum Lutherani hodie utuntur, *perspicere non potuerit?* Respondeo, perspexit sane b. Lutherus eandem rationem respondendi, & ad verbum DEI & incarnatum DEUM, qui omnibus gratiam offerat, lectorem ablegavit, fusius & sæpius facturus idem fuisset, si tantum jam tum in hoc argumento vexatus fuisset, quam hodie nos à vobis vexati sumus. Nam adversariorum velitationibus cautiores fieri milites quis nescit? Hinc est, quod egregii viri Lutherum in hoc libro sana quidem omnia docuisse, sed τρόπον παιδείας non usque quaque accurate observasse, sapienter monuerunt, quibus tu Vite! ut suo loco vi-

debimus, pro saluberrimo monito convicia dicis.

§. 126. Pag. 189--193. contra *Sebast. Schmidii*, summi viri, vindicationes Lutheri, molestissimam disputationem Vitus ingressus est, tot commaculatam conviciis, ut legisse me pigeat. Ego lectori meo parcendum duxi, postquam non esse Supralapsarium, sed Orthodoxum beatum virum vidimus, ut qui meritum Christi universale, gratiam DEI universalem resistibilemque docuit. Si fuerit etiam Schmidius infeliciter, in defendendo vel explicando Luthero, versatus, quod Vito tot paralogismorum convicto nemo facile credet; quid ad nos? Pag. 194. Vitus scripsit: *Ergo ex mente Lutheri non regenerantur nisi resistentes gratiæ.* Quam difficile est, mi Vite! soli incogitantiæ tuæ talia imputare! Indignos & peccatores & demerita magis quam merita habentes regenerari, ubique Lutherus docuit, quin & hos interdum, qui antea aliquoties restiterunt; at in actu regenerationis resistentes & quidem nonnisi resistentes regenerari, ubi unquam Lutherus dixit? Pag. 195. Vitus, postquam locum Lutheri vehementer truncatum recitasset, addit: *Nihil profecto dicere poterat Lutherus, quo magis testaretur sibi eadem, quæ nobis*, Reformatis, *de gratia regenerante & conservante, videri.* Et tu profecto Vite! nihil dicere poteras, quo magis testareris, te malis artibus vin-

vincere velle. Quid vos ſentitis? *Solius gratia DEI hominem regenerari?* rectè; & nos & Lutherus idem ſentimus. Quid porro? *Solis à DEO acceptis viribus regenitum conſervari.* Et hoc omnes credimus. Reſtat adhuc aliquid? Sentitis, neque cum regenitus eſt homo, quidquam agere illis in regeneratione acceptis viribus, quo ſtatum regenerationis conſervet? Ita ſentire videmini, tu ſaltem Vite! ſed ſcito Lutherum tecum non ſentire, quod ut probem nihil opus eſt, niſi verba à te more tuo illaudato omiſſa, huc transſcribere: Poſt verba: *Sine nobis creantis & conſervantis*, ita Lutherus: *Sed non operatur in nobis ſine nobis, ut quos ad hoc creavit & ſervavit, ut in nobis operaretur, & nos ei cooperaremur, ſive hoc fiat extra regnum ſuum generali omnipotentia, ſive intra regnum ſuum ſingulari virtute ſpiritus ſui.* Tu Vite! hæc clara rotundaque verba omiſſa eſſe à Te, cum maxime ad rem præſentem pertinerent; & inſigni confidentia lectorem perſvadere voluiſſe, Lutherum ſenſiſſe hic cum Supralapſariis; ea, inquam, omnia ita à Te, Vite! facta eſſe, ut par eſt, erubeſce! Sequuntur plura ejusdem farinæ. Pag. 195. *Ergo Lutherani à Luthero ad Eraſmum defecerunt.* Sic Vite placuit? pueris hæc, dic ſodes, noſtris parce auribus. Pag. 196. *Ergo à libero Arbitrio pendere non poteſt, quod alii præ aliis aut regenerentur aut non regenerentur.* Bene hoc Vite! ſed contra quem diſputas ἀεραδείρων.

 Lu-

Lutherani non dicunt à libero arbitrio pendere. Ibid. *ex mente igitur Lutheri Erasmus & Lutherani non differunt à Pelagianis, nisi verbis. Quid? quod duplici nomine Pelagianis pejores sunt.* Et nos Erasmum ceterosque Pontificios arbitramur, etiamsi mitius loquantur, à Pelagianis solis verbis discedere, nam Pelagianismum totum regnare in Papatu indubitatum est, cum e. g. *Bulla Unigenitus*, & quæ ad defensionem ejus scripta sunt, ne verbis quidem à Pelagianis discrepent. Verum noli credere Vite! impune tibi fore in judicio divino, falsis criminationibus sanctissimam nostram fidem proscidisse. Nos quidem majori longe zelo exagitamus Pelagianas sordes, quam tu, qui Semi-Pelagianis dextram societatis ubique offers. Ceterum tanti non est calumnias refutare, itaque transeant p. 197. dicta. Pag. 198. sic Vitus: *Ergo nemo gratiam consequitur ex voluntatis gratiæ non resistentis libertate, sed quotquot gratiam admittunt, gratiam non possunt non admittere.* Duo hic dicis Vite! prius nemo negat, alterum è nullis, nedum illis Lutheri verbis, quæ tu isto loco exhibes, ulla arte exsculpi potest. Pag. 199. *Refractariè resistentes converti à DEO*, Vitus nobis persvadere conatur. Quando vero isti refractarii resistunt? in ipso actu regenerationis? hoc Luthero ne in mentem quidem venit; an antea? Hoc ajunt omnes, ut adeo cum larvis pugnando frustra vires consumas.

Pag.

Pag. 200. è Luthero excerpta, bona omnia & aurea ſunt, ſed ô bone, contra quem? Sunt &c, quæ p. 201. habentur, bona, ſi rectè intelligantur, nam poſſent, fateor, in eum ſenſum rapi, qui non Supralapſariis, ſed Fanaticis faveret; ita Lutherus: *Impius non venit etiam audito verbo; niſi intus trahat doceatque Pater, quod facit largiendo Spiritum. Ibi alius tractus eſt, quam is, qui foris fit.* In ipſo verbo DEI duplex eſt, ſed nunquam ſejuncta virtus, altera quæ ſenſus foris, altera quæ intus mentem tangit. Fieri poteſt, ut virtuti aures ferienti non reſiſtatur, & ſimul reſiſtatur virtuti internæ, quæ cor mentemque tangit. Lutherus ergo negat externum tractum, qui virtute iſta externa fit, ſufficere, ſed interno tractu fieri neceſſe eſt, ut convertatur homo impius. Hinc vero ſane quam infirma conſecutione Vitus elicit: *Ergo, quoties impius externo verbo vocatur, nec ſequitur, intus non trahitur.* Tunc ferres ita colligentem: Nemo ad cœnam venit, niſi, qui invitatus eſt, ergo, qui non venit ad cœnam, non eſt invitatus? quaſi invitatorum aliqui repudiare cœnam non potuiſſent. Fortaſſe ſunt, qui per *tractum internum* in Lutheri verbis intelligunt *majorem aliquem convertentis gratiæ gradum*, neque his repugnare velim, ob ſequentia Lutheri verba: *Ibi oſtenditur Chriſtus per illuminationem Spiritus* &c. Quæ ſententia, ſi obtinet, ut ſane eſt commoda, Vito concedi poteſt, im-

pium, qui audito foris verbo, non ſequatur, *intus non trahi* per Spiritum, nam, quid mirum, majorem gradum gratiæ non dari homini, qui reſpuit minores gradus præcedentes? *Mere paſſive* ſe hominem in opere regenerationis habere, conſtat, *non poſſe non ſequi* fruſtra è Lutheri verbis colligitur.

§. 127. Contradictionis accuſaturus Vitus ſententiam noſtram de peccato originis, quo ea facta eſt hominum conditio, ut non perire ſibi relicti non poſſint, & alteram, de gratia Chriſti univerſali, ita inſtituit p. 202. *Quis enim non exiſtimet divina ſapientia indigniſſimam Chriſti pro reprobis etiam mortem? Quis non in fabulis cenſeat univerſalem gratiam amoremque DEI, ſi, qui damnantur, neceſſitate naturæ cogantur & peccare & perire.* Hem, quantus paralogiſmus! Quia miſeri lapſi homines ſibimet conſulere non poſſunt, igitur à ſapientia divina alienum eſt, mittere, per quem illis conſuli poſſit. Nos vero meliori conſecutione laudamus cum ſapientiam tum miſericordiam DEI, qui cum poſſet homines lapſos, ob originale hoc peccatum ſolum, damnare, hoc noluit facere, ſed conceſſit toti mundo Salvatorem, ut participes ejus præſtitæ redemtionis omnes fieri Spiritus S. *applicatrice gratia*, poſſent, actu participes fierent, qui gratiæ non reſiſterent, non fierent, qui reſiſterent, adeoque non jam ob ſolam originalem labem, ſed ob ſalutem ſpretam damna-

damnarentur, atque in his nos idem docere, quod Lutherus ubique docuit, certissimi sumus, pag. 203. *nonne*, inquit, *magno molimine id agunt*, Lutherani, *ut doceant hominem in peccatis licet mortuum, posse tamen sibi consulere, si gratiæ non malitiose resistat.* Nemo, qui caute loquitur, dicit *hominem sibi consulere posse*, sed, *homini consuli posse.* Tametsi magna confidentia quæris, mi Vite! *Nonne magno molimine* id agunt? ut nescio, quos Theologos nostrates legisse te putare aliquis possit, non videris tamen multum in horum scriptis versatus, alioquin enim cautior fuisses. An nostram de peccato originis sententiam eadem incommoda urgeant, quæ vestram Supralapsariam, locus infra dicendi erit. Hoc unum observo hoc loco: pag. 204. dixisse Vitum: *Utrobique*, h. e. tam in Lutherana, quam Supralapsariorum hypothesi, *homo non potest non immeritus videri etiam sanæ rationi. Omnis vero controversia in eo uno versatur, utrum hoc sensu immeritum hominem damnare liceat divinæ justitiæ nobis in hac vita incomprehensibili? Id cum Supralapsariis adfirmat clarissimis verbis Lutherus.* Quid audio? *Sanæ rationi non potest non* homo reprobatus *immeritus* videri è vestra, Supralapsariorum, hypothesi. Hoc Calvinus tuus non dixerit, qui e. g. Institut. I. 1. 4. *reprobos inexcusabiles* esse fatetur, quem, si placet, relege; item I. 17. 5. atque alibi. Sed fac fateri hoc Supralapsarios, nam si vel non fateantur, vereor

tamen

tamen ne ex eorum hypothesi optimo jure colligatur, *immeritos* à DEO damnari. Lutherani certè hanc positionem planè horrescunt, certique sunt, non *sanam*, sed *corruptam* rationem è sua hypothesi talia elicere; pone enim hominem ob solum originale peccatum damnari, quod non fieri, posse tamen fieri observavimus, punitur certè ob peccatum, quod in ipso est, nam in nobis esse & à DEO non esse, corruptionem, ratio agnoscit, quamquam qui factum sit, ut in nobis hæreat, non agnoscit. Itaque abyssus manet in doctrina de propagatione peccati originalis. Ceterum justitiæ divinæ idea ex Scriptura formata salva est.

§. 128. Jam peroravit hanc caussam Vitus, & nisi quid obstet, evicit Lutherum in cardine rei Infralapsarium, in argumentis autem adhibitis Supralapsarium se professum esse. Saltem hoc se præstitisse gloriatur & pæana canit p. 105. Quid vero, mi lector! de Vito cogitemus. Vereor, ut multi sint auctores, qui tot malis artibus, tot paralogismis, tot conviciis pessimam quamque tueantur, quam suam tuetur caussam Vitus. Quamquam hic neque, qui peritior sit rerum theologicarum, contra veritatem quidquam poterit. Pag. 205 -- 207. disceptat Vitus, utrum Infralapsarii an Supralapsarii potius, quibus noster accedit, vindicare sibi Lutherum possint? Mihi legenti in memoriam rediit

rediit homo apud Lucianum, ni fallor, qui naves in portu omnes suas ratus, quas quemque in locum mitteret, quas reciperet, secum animo peregit, cum nihil vel excludendum vel admittendum haberet, quod suum esset. Pag. 208. Lutherus fati ethnici laudator est. Sed, cum contrarium supra ostensum sit, satis erit una litura hæc Viti omnia delere. vid. supra §. 85. & §. 109. Pag. 211. Vitus denuo, quod sæpius fecit, è diatribe Erasmi de Lutheri sententia nos docere conatur. Sed facile largior tribuisse Erasmum Luthero, quæ Supralapsario dogmati affinia sunt, ad nos vero parum attinet. Pag. 212. Si volet lector, legere poterit lepide paratragœdiantem Vitum. Initium venustæ orationis est: *Clementius vellem egisses, cum degeneribus filiis tuis sancte Luthere!* Sed nos de Pelagiano dogmate, mi Vite! nihilo mitius, quam Lutherus noster, judicamus. Pag. 213. Lutherus hoc elogium fert: *Lutherus ita duris, audacibus & impiis sæpe vocibus, cum suam caussam egit, piam profecto impietatem Lutheranos suos in Erasmo damnavit, ut nemo Supralapsariorum, qui quidem sapiat, non toto animo, ab hac Lutheri impietate abhorreat.* Ita, mi lector! de Luthero Vitus. Eadem pag. 213. repetit alibi etiam dicta, nempe, *quicunque non sit penitus ratione captus, non posse non Supralapsariorum caussam probare, tamen ipsos Supralapsarios malle cum Lutheranis loqui, quia ex DEI verbo*

suum

suum esse intelligant & se, & omnes reliquos homines ita tractare, ac si ad universos ac singulos clementissima illa arcana voluntas pertineret. Quid ergo loqueris cum Lutheranis? videri promissiones ad omnes pertinere. Hoc modo Lutherani non loquuntur. An dicis pertinere ad omnes? At hoc ex tua opinione falsissimum est, ut, qui hoc sentiat, mente captus sit. Num scriptura te jubet falsum dicere? Quin dicis, quod sentis, nempe ad populum ita loquere: Ajo Deum vos omnes salvos velle, verum, qui hoc crediderit, mente captus est. Bellam vero rationem, cur cum Lutheranis loquendum sit, profers. *Hac enim non alia ratione efficere & consequi Deus beatissimus voluit, qua sapientissimo immutabilique consilio constituit.* Itane Deus, ut finem ac cupita obtineat, jussit suo nomine proclamari falsissima, & velle Deum dicere, quæ nollet. Dici non potest, quanto magis abhorrere cœperim à dogmate supralapsario, cum semper vehementer abhorruerim, postquam tuum Vitel librum perlegi, qui vereor ne magis divellat, quas uniturus videri vult, ecclesias.

§. 129. Calumniarum affatim est in Viti p. 213. 214. Lutheranos ait in eo differre a Supralapsariis, quod ajant contingere posse diversa ab iis, quæ Deus præscivit. De ambiguitate τȣ̃ *posse* abunde dictum est. Itaque respondeo: Nemo Lutheranorum dicit quidquam aliter evenire, quam eventurum esse

Deus

Deus prævidit. *Excidere Deum suis finibus* Lutherani non dicunt, nam, qui duplicem sibi finem proposuit, quorum alteruter certo futurus est, ut vel obsequentem, atque ut obsequatur, non modo serio jussum, sed & viribus sufficientibus instructum salvet, aut refractarie obluctantem, damnet, non excidit finibus, cum alterutrum non fit, immo excidere plane non potest. Nisi vero plane neges dari *voluntatem hypotheticam* Dei, non video, cur Lutheranorum ajas esse præcipuum: *plurima frustra Deum velle & optare.* Sine dolore non legimus, quæ fidei tuæ socii, ut ne cogantur veritati victas manus dare, invita Minerva, & ut similes ringentibus sint, disputant, e. g. *Calvinus Institut. III*, 24. 16. 17. Sed quid opus disputatione? Voluitne Deus cives Hierosolymitanos servare, nega, si audes Christo ajenti Matth. XXIII. contradicere. Suntne cives isti salvati, quorum interitum Christus deplorat? Non sunt salvati. Ergo quidam, quos Deus servatos vult, non servantur. Porro isti, pro quibus deprecationes fieri jubet Apostolus, 1. Tim. II. erantne quos Deus servari vellet? Nega si potes, & refuta Apostolum ajentem, suntne illi ipsi, e. g. Magistratus Romani servati? si ajas, ergo poterunt, qui Christianam religionem nunquam vel agnoscunt vel recipiunt, ut illi paucissimis exceptis fecere, salute potiri. Si neges, ut par est, ergo fatere voluisse Deum,

quod

quod factum non est. Quamquam non ideo plane *frustra* Deus vult, nam misericordiæ amplissimum monumentum non frustra dedit, volendo reproborum salutem frustra; deinde & justissime ob repudiatam gratiam damnat, quos damnare ob hanc rejectionem gratiæ non potuisset, nisi gratiam ad eos serio pertinere voluisset. Porro, soline Lutherani dicunt *fieri multa, quæ Deo ingrata accidant*? Annon David dixit: *Psalm. V, 5.* Peccata autem, quæ accidunt, dicere audebis Deo *grata* esse? Si non audes, ergo erunt *ingrata.* Denique, quis Lutheranorum *independentissimum Deum ab humanis actionibus suspendit*? Sententiam Deus, ut justissimus judex ex hominum actionibus fert, & merito quidem; alias justus judex non esset. *Gen. XIIX, 25.* Hoccine vero est *Deum independentissimum suspendi*? Horresco referens, Vite! quæ tu p. 214. subjicis: *Isti vero*, Supralapsarii, *hæc omnia*, quæ maximam partem sanctissima, ex parte vero in nos conficta sunt, *divina scientia, sapientia, potentia, immutabilitate, independentia, beatitudine, indignissima merito arbitrantur.* Quid pacem societatemque offers Vite! iis, qui Deo adeo indigna perhibent? Nobis sanctior est Dei gloria, quam ut iis, qui *indignissima Deo* credunt, docentque nos conjungamus. vid. *Psalm. I, 1.* Cavilla duo ejusdem paginæ utinam ita mecum repeteres, ut te pœniteret 1) *rationem*, dicis *i. e. Deum ipsum in nobis capti-*

vandum

vandum a Lutheranis imprudentissime dici. Intelligam, ne parum liberalis sim, scomma tuum de *ratione sana*, h. e. de regulis, quarum veritatem homo ita agnoscere potest, ut convincatur; cur vero hanc rationem ἀθεολογως *ipsum Deum* appellas? Nimirum propinare vis *cæcos Lutheranos* fidei tuæ sodalibus, certe pueris tuis, hos, ubi audiverint, a Lutheranis ipsum Deum captivandum dici, speras uberius cachinnaturos. Verum, o bone Vite! rationem esse captivandam, hoc quidem sensu acceptam, nemo unquam nostratium dixit. Rationem vero, qualis est in nobis, male sanam & corruptam captivandam Paulus dixit, 2. *Cor. X*, 5. hunc, quæso te, noli ridere! 2 *quæ qui perpendit & negare tamen sustinet Lutherum supralapsarium fuisse, illi ego non minus omnem frontem dixerim periisse, quam si quis Lutherum ne extitisse quidem unquam tueretur.* Noli expectare, quid his respondeam Vite! nam nihil respondebo.

§. 130. Cum refutari non possint rationes, quibus Lutherum Supralapsarium fuisse *Vitus evicit*, ita enim §. suum 33. mira *grandiloquentia* occipit, in varias itum esse partes à nostratibus contendit, quasi is multos nostratium legisset. Omitto cetera omnia, sed venerabilem virum S. E. Cyprianum, cum quo tibi Vite! res est, p. 215. usque ad p. 219. quamquam vindicare nolo, cum me non egeat vir incomparabilis; faxo tamen ut ru-

borem tibi excutiam, si est ut pudere te calumniarum possit. Et Cypriani, quæ vellicas, & quæ laudas, Timothei Kirchneri, dudum legi relegique antequam quidquam de tuo viderem libro, sed putare non potui in hominem cadere posse, ut tales increpitos credat à Kirchnero, qualis Cyprianus est. Gvilielmi Nicholsii episcopi verba suo merito laudavit Cyprianus, nam sunt verissima. Sed locutusne vel Nicholsius vel Cyprianus de servo arbitrio Lutheri? Fecitne ejus vel unico verbulo mentionem? Non fecit. Quid porro agit Kirchnerus? acriter refutat & merito, qui dixerint, recantasse Lutherum librum suum de servo arbitrio. Sed, inquies, alium librum Lutheri non potuit intelligere Cyprianus. Quid si intellexisset alium? Et quamquam Cyprianus suorum verborum optimus ipse interpres esse potest, demonstrare tamen & mihi licebit, & verum esse, quod venerandus Cyprianus dicit: Luthero habe anfangs die in Augustiner Clöstern eingesogene harte Lehre angehangen. Item Nicholsii: *Lutherus & Melanchthon magna illa Reformationis lumina, etsi secus aliquantulum prius opinati sunt, demum tamen cum Christiana sinceritate palinodiam cecinerunt, & inter omnes Reformatos absolutæ prædestinationis patronum unicum Calvinum reliquerunt.* Neque minus verum esse, dogmata omnia, quæ in libro Lutheri de S. A. sunt, adeo non esse recantata, ut potius Pelagianæ sordes, quibus

iste

iste liber oppositus est, Luthero ad extremum usque vitæ halitum fuerint detestabiles. Exstat commentarius Melanchthonis in epist. ad Rom. inscio auctore, quod è præfatione patet, à Luthero editus, ex quo utriusque viri mens tum nondum satis in doctrina de prædestinatione vera, confirmata luculenter patet. Libro præfixa est præfatio editoris Lutheri ad Philippum autorem, in qua miris laudibus hunc suum collegam extollit, quod non ipse edidisset, increpat; seque editorem fatetur, præ ceteris placent verba: Ja ich troe dir auch noch zu steelen, und in Druk zu geben, was du über das Buch der Geschöpffde, über das Evangelion Matthei und Johannis geschrieben hast, du kommest dann selbst vor. Ceterum editus est liber 29. Jul. 1522. hoc titulo: Annotationes Philippen Melanchthons, Verzaichnung und kürtzliche Anzaigung des rechtenn und aigentlichenn Verstands der Epistel, die S. Paulus zu den Römern geschrieben hat. Verdeutscht. Hinc describam locum, quantumvis amplum: fol. 42. b. Darum soll dieses ein gewiß Urtheil seyn, daß GOtt alle Ding thue, seyen gut oder böß, und obschon der fleischlich Sinn dawider schreyet, es geschehe viel, daß Göttlicher Majestät nicht wohl anstehe, und habe ein Ansehen als seyen viele Glücksfälle in den Dingen; So gedenk du, daß die heilige Schrifft den fleischlichen Sinn abzutödten gegeben ist, daraus denn folgt, daß der frey Will ein lächerlich erdicht Ding ist, dann so gar ist unser Wille nicht frey, daß er da-

hin allein sich neigt, wohin er von GOtt getrieben wird. Daraus denn auch erfolgt, daß es ein spöttlich Gedicht ist, alles was die Schulen vom gemeinen und sonderlichen Einfluß gesagt haben. Dann das heissen sie einen gemeinen Einfluß, damit GOtt alle Creatur, sie haben Seelen oder seyen ohne Seele erhalt und würcken lässt; ein sonderlichen Einfluß nennen sie, wenn er selbs eigentlich etwas aus Gnaden in jemand würkt; wir wollen aber sagen, daß GOtt nicht allein den Creaturen, daß sie würken zulaß, sondern daß er selbs eigentlich alles thu, also daß, wie sie bekennen, die Bekehrung Pauli sey eigentlich GOttes Werk, so sollen sie auch bekennen, daß eigentlich GOttes Werk seyen, es seyen gleich mittele, als essen und trinken, oder aber böse Werk, als Davids Ehebruch und der Ernst Manlii, der seinen eigenen Sohn zum Todt verurtheilet. Denn so du die heidnischen Historien ansiehst, wirst du merken, mit was Geist er die Römer getrieben hab, biß sie ein solch groß Reich eroberten, wirst auch sehen, wie ernstlich er seinen Zorn eröffnet hat hin und wieder unter den Heiden, die er in die Begierden ihrer Hertzen dargegeben hat, dann es seye ein Sünde der andern Straffe. Nun dieweil offenbar ist, daß GOtt alle Ding thu, nicht zuläßlich sondern gewaltiglich, wie Augustinus spricht, das ist also, daß, eben als wohl GOttes eigen Werk sey des Judas Verrätherey, als die Bekehrung Pauli, als in der Aposteln Geschichten am 4. geschrieben ist. rc. rc. fol. 43. b. Antwort auf die Einrede: Wir haben euch vorhin gewarnet vor dem

fleisch-

fleischlichen Sinn, der dieser Meinung wiederstrebt, aber man soll ihn mit den obgemeldten Schrifften brechen, und abtödten, und wann er nun abgetödtet und erschrekt wird, steht es wol, dann auf wem, spricht GOtt der HErr solte mein Geist ruhen, denn nur auf dem, der ob meinem Wort erschrikt. Etlich aber werffen uns andere Schrifft für, in der ersten zu Timotheo am andern. Er will, daß alle Menschen genesen und zu Erkändniß der Wahrheit kommen. Ja welches Spruchs Auslegung sich Augustinus im 6. Buch Hyponosticon und Ambrosius in dem Buch von der Berufung der Heiden nicht wenig bemühet haben. Und also spricht Augustinus am Ende des 6. Buchs Hyposticon: Das Wort fasst nicht jederman, sondern denen es geben ist, und andere viel mehr. So ist es falsch. Möchst du sprechen, das der Apostel von GOtt spricht: Er will daß alle Menschen genesen. Es ist eigentlich nicht falsch, denn alles was er will, mag er auch thun, kan auch gentzlich nicht verhindert werden durch menschlichen Willen, das, das er will. Ich frag aber wiederum von euch, sagt mir, warum GOTT, der da will, daß alle Menschen genesen, etlichen als Esaias am sechsten spricht, ihre Augen verblende, daß sie nicht sehen und ihre Hertzen verstokt mache, daß sie nicht verstehen und sich bekehren und selig werden, welches Wort Johannes bestättigt und spricht von den Juden Joh. am 12. Darum konten sie nicht glauben, denn Esaias sagt von ihnen: Er hat ihre Augen verblendet, und ihr Hertz verstoket, daß sie mit den Augen nicht sehen,

hen, noch mit dem Hertzen vernehmen, und sich bekehren; und Marc. am 4. Euch ist geben das Geheimniß des Reichs GOttes zu wissen, denen aber draussen wiederfähret es alles durch Gleichnisse, auf daß sie es mit sehenden Augen sehen, und doch nicht erkennen. Darum sagt mir, warum GOtt, der die Person nicht ansiehet, und will, daß alle Menschen genesen, etlicher Hertze zu glauben aufschleußt, und ihre Augen zu sehen erleuchtet, zu sehen und wissen das Geheimniß des Himmelreichs, auf daß sie ja selig werden, den andern aber, als der Text des Evangelions daselbsten anzeigt, verwikelt er die Wahrheit in Gleichnisse, verstokt ihnen ihre Hertzen, verblendet ihnen die Augen, und beschleußt ihnen die Ohren, daß sie nicht das Evangelion des Heils erkennen und Vergebung der Sünde empfahen. Ich bitt euch sagt mir, wie ihr dieselben Ort verstehet. Lehret mich, was ihr hie von GOtt haltet, der da will, daß alle Menschen genesen. Dann siehe, da sind je nicht alle Menschen in gemein selig, dieweil etlichen der Weg zu erkennen gegeben wird, und etlichen nicht. Derhalben so GOtt dieses alles thut, thut ers nicht durch Ansehen der Person, auch nicht aus Ungerechtigkeit, sondern aus unaussprechlicher Gerechtigkeit und unverdienter Barmhertzigkeit. Dieweil aber wir allhie zu beyden Theilen nichts klärlich sagen mögen, sollen wir glauben, daß der so des Todts würdig ist, allein an dem Willen des Richters hang, auf daß aber nicht jemand meinet, es geschehe aus GOttes Urtheil, daß nicht alle Menschen selig würden, spricht der Apostel: Er will,

will, daß alle Menschen genesen, darum alle Menschen so je selig werden, die werden aus GOttes Willen selig, denn unser GOtt ist ein GOtt selig zu machen, und unser HErr ein HErr des Todtes Ausgang, und der Zorn ist in seinem Grimm und das Leben in seinem Wohlgefallen. Post alia, quæ omittimus fol. 44. b. Dieweil nun aber dem also ist, so folget hernach, so etlich nicht bekehret werden, daß sie GOTT auch nicht selig haben wolle. Nun will er aber wie der Text lautet, daß alle Menschen genesen. Wie wollen wir solche wieder einander strebende Sprüche aufflösen? Zwar so viel es mich angehet, will ich lieber mein Unwissenheit bekennen, denn mit gezwungnen und gebrochnen Glossen außwikeln. Doch bedünkt mich Paulus habe nicht anders wo hingesehen, da er mahnt, man soll bitten für alle Obrigkeit und sonderliche Menschen Juden und Heiden, für aller Menschen Ständ und Wesen, denn daß er hab wollen verstehen allerley Stände, als spräch er: GOtt will daß alle, das ist, allerley Stände Menschen selig werden, es seyen Juden oder Heiden, es seyen Obrigkeit oder gemein, auf daß es mit dem Spruch überein komme, GOtt sieht nicht an die Person; oder aber, dieweil er heißt bitten, daß man ein geruglich und stilles Leben führen möge, will er, daß man ihn von allerley, das ist entweder zeitlicher oder aber ewiger Seligkeit verstehe, denn also spricht er auch in der 1. zu Timotheo am 4. Wir haben gehofft auf den lebendigen GOtt, welcher ist der Heiland aller Menschen sonderlich aber der Glaubigen. Siehe, hier redet ja

der Apostel öffentlich von der zeitlichen Seligkeit, durch welche auch den Unglaubigen und Gottlosen hie gutes geschiehet als im 144. Psalm: Du schleussest auf deine Hand, und erfüllest alles das da lebet mit Benedeyung. Recitavi hunc locum, quod observavi hunc commentarium ignotum fuisse Witebergensibus in Antapologia sua, & autores der Haupt-Vertheid. des Augapffels p. 190. edit. 1673. laudant quidem Melanchthonem, quod quæ an. 1522 de operibus Dei & libertate hominis justo durius scripserat è lacunis Scholasticorum hausta, deinde & quidem ante Augustanam Confess. mutasset, sed locos communes, eo anno editos intelligere videntur, quibus hic commentarius durior adhuc est. In quo fluctuantem animum & autor libri & editor Lutherus satis produnt, qui & aliquot clarissimorum Scripturæ dictorum intelligentiam tum nondum habuerunt, nec dubiis aliquot, haud istis quidem gravissimis, expedire, tum quidem, potuerunt. Videas facile in sanctis hominibus studium veritatis, sed eam quidem tum penitus assecuti nondum sunt. Ceterum & hoc fatendum extare in hoc ipso libello, quæ tantum à Reformatorum placitis abeunt, quantum Lutheri & Melanchthonis doctrinæ, quæ deinceps fuit, accedunt. e. g. fol. XI. b. Wie aber nun/ da? Ist doch die Verheissung nicht allein nicht allen Juden gegeben/ sondern auch unter die Heiden ausgebreitet? Antwort; ja/ Christus/ der verheissen,

heissen, ist gegeben, etlich aber haben ihn nicht angenommen &c. Unde palam est, Melanchthonem tum quoque credidisse, Christum reprobis etiam datum, ut supra §. 79. è Lutheri scripto ejusdem anni 1522. testimonium de universalitate meriti Christi laudavimus, quibus similia sequentur: Dubio vero caret, hunc locum fuse à me descriptum minus sanum esse, & mutasse paullo post optimos Reformatores duram hanc sententiam. e. g. in Melanchthonis commentario latine in ep. ad Rom. an. 1540. edito, p. 208. b. hæc extant: *Alter scrupulus est de particularitate &c. Huic tentationi etiam debent opponi promissiones Evangelii universales, quæ docent Deum propter Christum & gratis & omnibus salutem promittere &c.* Porro in ejusdem Philippi Comment. in eandem epistolam an. 1532. latine edito lit. d. 2. *Hic prodest tenere sententias universales, in quibus promittitur vita æterna, colligam igitur aliquot Matth. II. Act. X. Joh. III. &c. In summa certum est, in Evangelio omnibus offerri remissionem peccatorum & gratis offerri, in hanc universalem singuli nos includamus, & ab hoc verbo ordiamur, cum quærimus de Dei voluntate* &c. Quamquam suam veram illam *de libero arbitrio in spiritualibus penes irregenitos, nullo,* Lutherus saltem ejusque discipulorum continuus ordo, nunquam mutavit, librumque de S. A. in quo doctrina ista egregie defensa est, semper est tuitus, nam minus bonæ locutiones aliquot, quæ ibi, ut notavi-

mus, occurrunt, tanti non sunt, ut præstantissimo libro quidquam pretii decedat. Itaque tuum erit Vite! convicia in summum virum S. E. Cyprianum, cujus nec gravitati nec argumentis respondere ulla parte potes, temere egestas, resorbere; & si decretum sit tueri, favisse Lutherum in libro de S. A. vestratibus, saltem contra nos alia tuentes, ea modestia uti, qua, e. g. vir clarissimus, Joh. Jac. Hottingerus, tibi de cetero ὁμόψηφος usus est. Nam tuo disputandi genere ita laceras & convellis omnia, ut schisma, non nostra sed aliorum culpa factum, tandem evadat insanabile.

§. 131. Alios narrat Vitus, in quibus primæ Seb. Schmidio debeantur, p. 220. hos ait tueri non dissensisse à nostra doctrina Lutherum in libro de S. A. Sed in his mi Vite! si placet, cum Cypriano nos omnes pone! Neque enim quemquam nostratium novi, quos quidem publice non esse reprehensos constat, qui aliter sentiat. Sed his omnibus *nihil impudentius, nihil audacius esse posse* p. 221. sequ. pro more tuo, cum reliquo conviciorum imbre, contendis. Verum, perorata mea causa, de eodem argumento disceptare iterum non placet. P. 223. Rursus aliam classem constituis Lutheranorum, de servo arbitrio Lutheri judicantium, in quibus tibi ponitur celeberrimus Buddeus. Sed accidit tibi, quod Erasmo tres sententias ex una confingenti, quem

quidem

quidem errorem ipſe quoque erraſti. Idem mi Vite! ſentimus omnes, nec opus eſt plura addere. p. 225. Vitus Supralapſarios ſuos *iniquas conſequentias aut negare aut mitigare* ait. Supra §. 117. monui ita loqui Vitum ut concedi à Supralapſariis *conſequentias* videatur. Utinam vero numquam concedatis! nam tametſi legitima conſecutione elicimus iſtas *conſequentias* è veſtris dogmatibus, quousque tamen contradicitis & ſequi ea negatis, ſpes manet fore aliquando, ubi corda illuſtraverit Dominus, ut veritas vincat & uniantur animi. Verum, ſi, quod Deus avertat, in dogmata abierint iſtæ *conſequentiæ*, tum videtur ſpes collapſa. Ead. pag. ais: *Lutherum ubique ſibi conſtitiſſe*, horum verborum mens eſt: Ut Supralapſarium ſe profeſſus ſit Lutherus in libro de S. A. ita manſiſſe ad finem vitæ. Hoc ipſo vero nihil aliud obtines, quam ut Te in Megalandri ſcriptis modice verſatum credamus. Nobis certum eſt Lutherum gratiam *univerſalem, reſiſtibilem, amiſſibilem*, ubique docuiſſe, quam ſi Supralapſarii docent, de facta non de facienda pace, quantum ad hoc argumentum attinet, gaudeo. Supralapſarii vero, ut doceant, vereor, quod in Aug. C. artic. XII. confeſſores noſtri docuerunt: *Damnant Anabaptiſtas, qui negant ſemel juſtificatos poſſe amittere Spiritum Sanctum.* Sed hæc obiter. Nam grandi volumine vix caperentur teſtimonia Lutheri & æqualium, quæ Reformatorum

dogma-

dogmati contradicunt. Coronidis loco Davidis Chytræi, quem in Form. Concord. autoribus esse, vel nosti Vite! vel nosse potes, verba quædam, quæ judicium de Lutheri servo arbitrio continent, nostro per omnia conforme, huc describam. Extat hujus viri libellus, tibi, ut legas commendandus, cujus hæc rubrica: *Piæ & utiles explicationes vocabulorum necessitatis, determinationis divinæ, contingentiæ, virium humanarum, liberi arbitrii. Rostoch.* 1565. Ibi lit. C. 2. b. ita B. Chytræus: *Hanc consequentiæ necessitatem à Luthero necessitatem immutabilitatis vocari existimo; cum toties ex præscientia DEI certa & infallibili ratiocinatur, omnia necessario evenire. Ac etiamsi scholasticam distinctionem necessitatis consequentiæ & consequentis rejicere videtur, tamen aliquoties diserte ostendit se idem fere verbis magis perspicuis explicare. Quod eam ob caussam moneo, ut disputatione illa in speciem horridiore rudiores minus perturbentur.*

§. 132. Quid vero, mi Vite! lectori tuo persvasurus eras, his verbis pag. 226. *Quodsi igitur maxime Witebergenses Theologi in Ant-apologia contra Rintelenses, Dannhau. Hod. p.* 1. *p.* 191. *Cyprian.* im abgedrungenen Unterricht von Kirchlicher Vereinigung der Protestanten *cap.* 1. *aliique efficerent, ut posterioribus scriptis Lutherus diversa ab iis sensisse videretur, quæ in aureo libello de S. Arbitrio tuebatur, ipso tamen Luthero teste ea falsa & à diabolo ipsi suggesta essent existimanda.* De posterioribus his verbis Lutheri te esse falsissimum

in-

infra ad Vindicias tuas demonſtrabitur. Quis vero te docuit, Witebergenſes, Danhauerum, Cyprianum & alios efficere voluiſſe, ut Lutherus diverſa ab iis ſentire videretur, quæ de S. A. tuebatur? Cyprianum non voluiſſe modo oſtenſum eſt. Num Witebergenſes Theologi voluerunt? Horum tu eruditiſſimam Antapologiam anno 1666. editam fortaſſe oculis tuis non uſurpaſti. Ita illi p. 165. §. 49. *Nulla opus habet Theander excuſatione aut retractatione: unde rhetoricatione illa ſuperſedere poterant Rintelenſes*: „Si conferentis" non aſſerentis ſpecie hæc ita diſputaſſet, re-" licta aliis judicandi copia, excuſatius diſpu-" taſſet, ſcripſiſſetque. Nunc vero Eraſmo" nihil aſſerere, ſed contuliſſe ſe ſcribenti," jam finiens librum reſpondet: Ego vero" hoc libro non contuli, ſed aſſerui & aſſero," ac penes nullum volo eſſe judicium, ſed" omnibus ſvadeo, ut præſtent obſequium." Quæ quanta aſſerentis animoſitas? ut nihil" temere aut inconſiderate, nihil, cujus pœ-" nitere olim poſſit ſcribentis imaginem præ-" bet? Quid ergo? num pietatis excuſatione" negemus, num accuſantes redarguentes-" que alios diſſimulemus magiſtri noſtri" æque gravem æque periculoſum lapſum?" Neutiquam à nobis poſtulat pietas, quod" neque ex vero eſt, & æquitati adverſatur." Quanto rectius faciunt celeberrimi ex no-" ſtris Theologi, ut erraſſe b. virum non diſ-" fiteantur.

fiteantur. " *Qui autem sint celeberrimi illi Theologi, qui b. virum fateantur cum Rintelensibus, DEUM autorem peccati fecisse, hominem omni libertate exuisse, præter D. Calixtum, hactenus invenimus nullum;* Etsi vero nonnulli scripserint, *eum rectius deinceps mentem suam interpretatum esse, imprimis commentario in Genesin, quemadmodum antea observavimus, B. Chemnitium innuisse, quod non potuerit in principio tam distincte & commode illa disputatio explicari, neque ignotum sit Tubinges in Exam.* Gegen-Bericht *p. 550. sqq. Lutherum librum illum declarasse duxisse; B. Meisnerum etiam dec. III. Anthropolog. Disput. 3. qu. 2. p. 66. 69. monuisse, Lutherum librum ante Calvinisticum certamen confecisse adeoque nonnihil securius locutum fuisse, ac postmodum QUODAMMODO correxisse, quæ securius erat prolocutus: Neque tamen vel b. Chemnitius vel b. Meisnerus, aut quisquam alius orthodoxus mentem heterodoxam, nedum errorem illum Calvinianum exitiosissimum tribuit b. Luthero. Falluntur itaque Rintelenses & fallunt, cum nostris Theologis hoc affingunt, & oleum atque operam perdunt, dum aliud docere nostrates cupiunt, adeoque prolixi etiam in eo sunt, ut ostendant b. Lutherum non revocasse aut retractasse suos errores. Nulli enim sunt errores, nec ab ullo nostratium ejusmodi errores Luthero imputati sunt, ideoque nulla opus habuit b. vir παλινῳδία.* Quid vero Danhauerus? Tu laudas *Hod. P. 1. p. 191.* Videris in alio libro allegatum invenisse, nec inspexisse Danhauerum ipsum. Scripsit vir acutissimus *Hodoso-*

dosophiam, hanc non intelligit autor, ex quo tu allegas; porro *Hodomoriam Papæam*; neque hanc intellexit: Denique *Hodomoriam Spiritus Calviniani.* In hoc libro P.I. p.191. nondum extant, quæ huc pertinent, sed p. 193. verba, si legere placeat, hæc sunt: *Ex his locis* (laudaverat b. Danhauerus aliqua ex Luthero de universali gratia testimonia) *b. patris sententia haurienda, non ex L. de S. Arbitrio, anteriori scripto 1) exarato à luctante adhuc cum tenebris papæis, recentiori à caligine Romanensi, an.* 1525. *2) ex fervore disputandi in alterum extremum inclinatiori viso, quod & Augustino contigit; retractato QUOAD PHRASES duriusculas in senio correctas.* Vides clarissime Vite! quam pulchrè nostrates hic consentiant. Nemo Lutherum *diversa* ab iis sensisse, quæ de S. A. tradita sunt, docet; omnes observant incommodiores aliquot phrases ejusque rei caussam ostendunt. Itaque in publico scripto, an.1628. edita: Nohtwendige Vertheidigung des Aug. Apfels p. 11. Sic Theologi nostrates Saxonici: Erasmus Roterodamus der gelehrte Mann muste auch wider D. Luthern angefrischet werden, demselben in öffentlichen Schrifften sich zu widersetzen: Welcher aber wenig Ehre eingelegt, wie aus der herrlichen Antwort D. Luthers zu ersehen. Nemo denique vel per somnium dixit, recantasse b. virum librum suum. Quid vero, mi Vite! tibi hic reliquum? erubescere.

§. 133.

§. 133. Pag. 227 Vitus noster: *Sed licet, inquit, alibi sæpe dicat Lutherus, Christum pro omnibus mortuum, DEUM omnium misereri, omnium salutem velle, &c. cave tamen existimes, aut Lutherum mutasse mentem aut clarius hic locutum, obscurius de S. A.* Quid ita Vite! docuitne ergo in libro de S. A. Lutherus, *Christum pro omnibus mortuum* &c.? Fatentem te, quod verum est, laudamus. Sed cur negas, quod satis bene factum est in libro de S. A. melius tamen, fusius, clarius etiam aliis libris factum esse? *DEUM*, inquis, *revelatum ab DEO abscondito* Lutherus distinxit; quin ais pag. 228. *ex hac distinctione Supralapsarii cum Scriptura scil. & DEO revelato & loquuntur & loqui possunt. - - - - - - quid? quod Supralapsarii cum Luthero satius esse arbitrantur cum DEO loqui revelato, quam cum abscondito.* Verum, qua mente, quo consilio, qua fronte, cum firmiter credas, Christum non esse pro omnibus mortuum, dices esse pro omnibus mortuum? Quæ ista Theologia, sentire alia dicere alia? *Cum Scriptura*, inquis, *& Luthero sic loquimur.* Noli sanctissimam Scripturam in consortium falsiloquii rapere, lege & horrescens lege *Gal. VI.* 7. Sed & Lutherus, homo quidem & qui errare potuit erravitque aliquando, maximi autem candoris homo, sanctior est, quam ut sensisse ab iis, quæ loqueretur, diversa, credatur. Hæc ad p. 228. 229. sufficiant. Pag. 230. vir egregius Joh. Brentius à Vito carpitur,

hunc

hunc enim & nescio quos Lutheranorum Patres ab Urbano Regio sapientissime reprehensos ait, ob illam vocem, qua *quicquid Electi male egerint, nihil ipsis obfuturum, reprobis vero, quicquid boni admiserint, profuturum* (lege *non profuturum*, vel repete *nihil*) *publice docere* non erubuerint. Regii verba supra vidimus, ubi sanctè reprehendit, si quis dixerit: Quicquid feceris, si electus es, salvaberis, si reprobus, damnaveris. Brentium vero vel alium ullum Theologorum nostratium ita locutum esse non prius credam, quam demonstratum fuerit. Ceterum illa vox non est *scelesta*, sed, si rectè interpreteris, verissima: Electis, quæ olim perperam admiserunt, non nocere post conversionem; relapsis atque in corruptione deinceps manentibus adeoque reprobis non prodesse, quæ sanctè olim facta fuerant. Ita Scriptura docet, *Ezech. XVIII.* 21. 24. 26. 27.

§. 134. *Si maxime execranda esset in se spectata Supralapsariorum hypothesis: Cum tamen in mediorum tractatione eodem modo versentur, quo reliqui: illorum hypothesis salutis negotio obesse non potest.* Sic Vitus p. 231. Nihil solidi est in hac argumentatione. Primo in mediorum tractatione non usque quaque eodem modo versantur Reformati, quo nostri, nam pone hos nihil aliud facere, quam quod infinitam copiam vernacula & latina lingua scriptorum libellorum edunt, in quibus particulare

P Christi

Christi meritum docent; nos certè volunt legi, particularem hanc & inamissibilem gratiam volunt credi; si vel maxime, quod nescio, an semper fiat, in pulpito sacro taceant. Deinde, quis non aversetur hypothesin, quam premere apud nos nec evulgare necesse sit. Non est difficile ingenio docili, videre minime esse hæc duo contradictoria: *DEUM decreto immutabili ex infallibili præscientia ab æterno hunc miserorum hominum exitum constituisse; & : diversa ab iis contingere posse, quæ DEUS & infallibiliter præscivit, & immutabiliter constituit.* Respondeo non meis, sed Davidis Chytræi, Theologi veteris, qui tibi cum Supralapsariis sensisse putatur, in libello §. 131. laudato paullo ante verba ibi recitata: *Solem videt DEUS ortu & occasu suo brumam, h. e. diem brevissimum hodie effecturum esse. Josephum videt DEUS sponte & libera voluntate ab herili conjuge abstinere. Et hanc actionem ipse speciali auxilio efficit & adjuvat. Davidem videt sponte & libenti animo alterius conjugem rapere, & hanc actionem non vult efficaciter nec adjuvat, sed aversatur & damnat, tametsi eam permittit. Nec præscientia divina cogitur alienum thorum inquinare. Quodsi exemplo Josephi David casti pudoris decus tueri voluisset, id quoque Deus futurum esse præscivisset. Etsi igitur præscientiam divinam nec falli nec errare posse certum est; omnia etiam futura, bona & mala, prævideri à Deo, immo velut præsentia cerni inter omnes constat; tamen, ut nostra prævisio rerum futura-*

futurarum, aut inspectio rerum præsentium, vel scientia præteritarum nullam futuris aut præteritis eventibus necessitatem & coactionem affert; ita præscientia Dei, qui peccata & scelera hominum prævidet, non conjuncta cum voluntate beneplaciti, ut vocant, seu voluntate efficaci, nullam aliam, quam consequentiæ necessitatem eventibus imponit, videlicet certo eventura esse ea, quæ Deus futura esse prævidit, etiamsi sua natura contingentia sint, & aliter evenire potuerint, quodsi aliter evenissent, eo etiam modo eventura illa esse Deus prævidisset.

§. 135. Pag. 232. ita vis Lutheri distinctionem inter Deum *revelatum* & *arcanum* & testimonia de gratia universali componi, ut illa non tollatur. Bene; maneat illa & iisdem verbis, si placet, quamquam nostra inter voluntatem *antecedentem* & *consequentem*, videtur non re, quæ eadem est, sed verbis esse melior. Vult ergo Deus *revelatus* omnium salutem, redemtos esse omnes per Christum annuntiat, omnibus gratiam & salutis media sufficientia offert, neminem à gratia excludit; & quæ ita se velle, quæ facta esse nuntiat, reapse ita vult, ita facta sunt. Porro, Deus *arcanus* dispensat media gratiæ liberrime, ut cum sufficiant quidem quæ omnibus dantur, nihilominus alii plures alii pauciores gradus gratiæ obtineant, respuentium alii citius alii tardius deserantur, relapsorum alii denuo insigni clementia revocentur, interdum & sæpius; alii statim abjiciantur. Quos adeo

in fine vitæ credentes ſive credituros videt, ad vitam, quos non credituros, ad interitum immutabili decreto conſtituit. Si ita, ut præeunte ſcriptura fecimus, exponas, exulat ſane contradictio, manet *Deus arcanus*, manet *revelatus*, manet gratia univerſalis.

§. 136. Ad p. 233. 234. conſtitutum eſt nihil reſpondere; convicia regerere nolo, recantaſſe Lutherum librum de S. A. nego. Ergo nihil opus eſt disquirere, an ante certamina Calviniſtica exciderint aliqua dogmata Luthero, quæ is deinde ſcripta & poſita nollet? Nam quod ad formulas loquendi pauculas attinet, durus ſit, qui condonare iſtis temporibus, in quibus tum Lutherus vixit, nolit. p. 235. criminatur Vitus Lutheranos iniquisſime, nos reſpondemus nihil, precati Vito bonam mentem.

§. 137. Jam venerabilem virum V. E. Lœſcherum petit Viti noſtri ſtilus p. 236. Et quæ vir incomparabilis P. II. motuum ad vindicandum Lutherum attulerit, ita comparata eſſe ait, ut vel fuiſſe Lutherum Supralapſarium confirment potius quam refutent, vel manifeſtiſſime falſa ſint. Reſpondebit, ubi volet, Lœſcherus ipſe, fortaſſe & reſpondit jam, quamquam factum eſſe me latet. Meam non facio litem de diſtinctione *abſolutiſmi Philoſophici & Theologici*, quamquam Philippus Mel. an. 1534. videtur hanc diſtinctionem in animo habuiſſe. vid. Conſilia à Pezelio edita p. 176.

p. 176. ubi hæc verba extant: *Id argumentum*, Stoicorum de necessitate, *nescio quomodo pervasit etiam in theologicus scholas, atque ibi non minores tumultus ciet, quam inter philosophos.* Sufficit venerandum Lœscherum idem sentire de libro Lutheri de S. A. quod ceteros Lutheranos omnes sentire vidimus. Ita enim histor. mot. P. II. c. X. p. 223. Lutherus hat absonderlich dieses merken lassen wieder Erasmum Roterod. in seinem Buch de servo arbitrio, welches im Hauptwerk und Theologischen Materien vollkommen gut ist ꝛc p. 224. § 2. Es wird demnach von Reformirter Seite Luthero mit Unrecht zugeschrieben, daß er im Theologischen Verstande ein Absolutiste und dem Irrthum der Reformirten zugethan gewesen. p. 225. Es ist auch allhier die Frage nicht, ob Lutherus sein Buch de S. A. wiederruffen, wovon Massonius Anatome T. I. p. 284. T. III. p. 202. so viel Wesens macht, welches eigentlich die Philippisten vorgegeben, sondern ob er solche harte Reden in die Theologie und analogiam fidei gebracht habe, welches wir gäntzlich leugnen. Quæ sanam rationem docere Vitus p. 236. contendit, ea refutata à nobis supra sunt §. 129. ubi maxime notatum illud: *Deo nihil accidere posse injucundum, quodque aliter vellet factum*, quæ verba sine offensione aurium nemo dicere potest. A Luthero laudatum esse *fatum gentilium tanquam Scripturæ consentiens*, supra jam perhibuit falsissime Vitus & à nobis refutatus est. Vid. §. 109. Scomma p. 237. in

doctissimum Lœscherum vibratum non necesse est refelli. Ceterum mi Vite! ratione non est captus, qui ait posse aliquem in genere necessitatem rerum omnium immutabilem incautioribus verbis tradere, neque tamen ad applicationem in argumento rerum theologicarum progredi. *Nemo*, inquis, *nisi cui ne mica quidem sanæ mentis est, tueri potest philosophice quid verum esse, quod theologice falsum sit.* Quis vero dixit hoc? Lœscherus certe non dixit, nam si Lutherus ad *absolutissimum philosophicum* declinavit, ut videtur Lœschero, in eo non est laudandus, neque bene docuit, laudandus vero, atque ita quidem, ut liber egregius maneat, quod eas phrases duriores ex ista opinione natas in Theologiam non introduxerit. *Supralapsariismum* & *Particularismum monstra* dici, noli mirari, nam odisse nos istam doctrinam, non item ejus professores, de quibus subinde meliora speramus, certus esto. *Libera ratione te uti* credis, Lœscherum non credis. Ferendum erit Vite! si alii aliter sentiant. Philosophumne an Theologum Lutherus egerit in libro de S. A.? ad me nihil pertinet. Sana esse quæ docuit, persuasissimus sum.

§. 138. Maximi certe momenti res est scire, Deum præscire non contingenter, sed necessario, h. e. certo præscire, quod ex Luthero Vitus p. 241. laudat, alioquin fides nostra niteretur sabulo. Quid vero hoc ad Luthera-

theranos criminandos faciat, cum idem tueamur omnes, non perſpicio. Mirabile autem, fieri non poſſe, ut Vitus, quando ipſi cum maximis viris res eſt, calamo ſuo modeſtiam imperet. Nullum ne hic liberum arbitrium? p. 242. Vitus ait: recte negat Lutherus *fundamentalem hunc de libero vel potius ſervo arbitrio articulum recte cognoſci poſſe.* Pertinentne ergo ad fidei fundamentum, quæ Lutherus Semi-Pelagiano Eraſmo oppoſuit? Ita plane videris Vite! ſentire, maxime cum b. Sebaſt. Schmidii notam p. 6. laudes. Qui fit igitur ut Semipelagianos non errare in fundamento & ſocietate eccleſiaſtica dignos eſſe toties perhibeas? Ut taceam cetera, quæ ibi Schmidius graviter de erroribus veſtris monuit. p. 244. Haud difficulter reſpondebit Ven. Lœſcherus convicio, ſi quidem volet; Nos obſervamus *eum abſolutiſſmum* Luthero rectiſſime tribui, quo *abſolute nihil* à noſtris viribus ad ſalutem noſtram conferri intelligitur, atque hoc ipſum pertinere ad fidei fundamentum. Ceterum abſolutam rerum omnium non *neceſſitatem proprie dictam ſed certitudinem* credidit, *prædeſtinationem & reprobationem abſolutam* non credidit. p. 246. Infeliciſſime tibi videtur Lutherus in tuenda cauſſa ſua verſatus Vite! Quamquam vero me tantus Vir non opus habet patrono, lectoris tamen intereſt ſcire, non ut par eſt, à te exagitari virum ſummum. Non dixit, ut tu di-

xisse perhibes, Lutherum ex ratione, *non ex Scriptura*, cum Erasmo egisse. Dicit enim *librum de S. A. in summa caussæ & agumentis theologicis esse perfecte bonum*, an argumenta theologica sine scriptura tractari optime possunt? Sed quædam philosophice tractata esse, in quibus non usque quaque felicem fuisse Lutherum Lœscherus arbitratur, quis neget? p. 247. ea Vitus repetit, quæ aliquoties refutasse sufficiet. p. 248. 249. Vitus persuadere nobis conatur Lœscherum existimare, *Lutherum distinctione Dei absconditi & revelati præ se tulisse, se ex Philosophia tantum non vero ex Scriptura agere cum Erasmo.* Verum nihil opus est quam inspicere Lœscherum ut falsitatis Vitus convincatur. De *distinctione* inter Deum absconditum & revelatum, ne verbulum quidem habet, utrum illa distinctio ex ratione an aliunde hausta? altum est apud Lœscherum silentium. Sic vero Lœscherus: De *Deo abscondito* quoque loqui instituisse Lutherum, quod sane ex Scriptura fieri non potuit, nam hic esset Deus revelatus, sed è ratione. Inter philosophandum sibi objectiones è ratione formasse Lutherum, quod Vitus p. 249. monet, quid mirum? Pudet me referre plaustra acerbissimorum conviciorum pag. 249. extrema, & init. 250. quorum non videtur autorem Vitum puduisse. Itane respondetur viri summi *Historiæ motuum*? cui refutandæ non Vitus aliquis, qui toto hoc libro, quid

scri-

ſcripſerint, quid ſenſerint *noſtrates*, quin *ſui* etiam veteres Theologi, non legiſſe, ſatis prodidit, expectatur; immo quo doctior quisque eſt, eo minus ad refutandum iſtud opus accedet. p. 251. *Ridendos* potius quam *refutandos* Vitus ait, qui Lutherum tantum in tropo παιδείας à diſcipulis *Hunnianis* (ſic noſtros ad imitationem aliorum Vitus appellat, qui fortaſſe in Aegidii Hunnii libris nihil legit) diſſenſiſſe ajant. Sed tuos quidem cachinnos parum moramur. Evicimus Lutherum gratiam univerſalem, meritum Chriſti univerſale, gratiam Spiritus S. reſiſtibilem & amiſſibilem docuiſſe, ergo *re* à noſtris minime diſſentit. Porro evicimus *horridioribus phraſibus* uſum eſſe, ergo in τρόπῳ παιδείας abiit. Quid ergo riſu opus? Libris tibi Vite! & eruditione theologica, & expurgata ab affectuum æſtu mente, opus eſſe videtur. Ad p. 252-255. nihil reſpondemus, ne actum agamus, poſtquam de Lutheri & Lutheranorum mente ſatis expoſitum eſt. Lutherum cum Eraſmo non de *vocibus*, ſed de re graviſſima, Semipelagiano errore, qui à Pelagiano errore non multum abit, contendiſſe ſcimus, qui utinam Vito non videretur tolerabilis!

§. 139. Pag. 255. Facilem ſe ſentiri vult Vitus, tantiſper concedentem Lutherum nobiscum ſenſiſſe, at putat Moshemium non negaturum, nihil Supralapſariis oppoſitum

esse, quod non Erasmus opposuerit Luthero, hic admiserit, & Supralapsarii in nostros retorquere possint. Verum hic quidem falleris Vite! nec habebis unquam Moshemium ceterosque Lutheranos ita faciles, ut hoc non negent. Fac periculum Vite! quod & facies, & ibi, quam infeliciter factum sit, demonstrabitur.

§. 140. Jam id agit noster, ut acerbissime urgeat Lutheranos, nam si tueri velimus aeternam praescientiam Dei, nolentibus volentibus nobis à partibus Supralapsariorum standum esse. Quomodo vero id efficit? p. 256. ita instituit. *Aeternam & infallibilem, uti rerum omnium ita ipsius quoque mali, praescientiam Deo Lutherani recte tribuunt. Sed si aeterna sit, si infallibilis, nisi contradictoria simul esse vera possint, earum rerum sit oportet, quae undecunque necessario futurae sunt. Ex quo consequitur*: Expecta Vite, non est festinato opus; nondum quid consequatur, dispiciendum? Itane putas, quae hic ponis nulla vel umbra alicujus argumenti addita, illico à nobis concessum iri? Quae sequela? si praescientia est *aeterna*, sequitur esse *rerum undecunque necessario futurarum*. Quid aeternitas huc facit; si noluisset Deus quidquam extra se esse, fuissetne praescientia? non fuisset, nam res nullae essent, quae praescirentur. Igitur *aeternitatem* Deo abjudicabis, nisi creasset aliquid? Porro, quae consecutio? Praescientia est *infallibilis*, ergo *re-*

rum

rum undecunque necessario futurarum. De acceptione vocis *necessario* Luthero usitata, hoc est *certo*, jam non agimus, ita enim consecutio vera quidem, at Supralapsariis contra nos parum utilis est. Si hoc vis, quod sane vis, non posse non fieri quod præscitum est, non modo Philosopho tuo Cl. Wolfio, sed & humano generi & rationi bellum indicis. Facile omnes videmus, non necessarium fuisse, ut bonam chartam tot conviciis commaculares Vite! quamquam, cum factum jam sit, patet infallibiliter præscitum à Deo te id aliquando facturum, quod jam fecisti.

§. 141. Pergis p. 256. *Quanta futuri mali præscientiæ divinæ infallibilitas & æternitas est, tantam quoque oportet esse futuri mali necessitatem.* Cur uteris mi Vite! voce *quanta?* Estne *infallibilitatis*, porro, *æternitatis* aliqua quantitas? num alia minori alia majori quantitate, *æternitas infallibilitasve* datur? O clarissime Vite! quam pellucet, te, quid scripseris, ipsum ignorasse! Sed repone loco vocabuli *quanta*, *qualis*. Verum tum negatur, easdem qualitates esse oportere in rebus præscitis, quæ in præscientia Dei præscientis sunt. Claudis mirabilem demonstrationem his verbis p. 256. *Illa itaque præscientia aut nullum habuit fundamentum aut in certo quodam & necessario caussarum cum hoc effectu nexu omne præscientiæ divinæ fundamentum ponendum.* Nostram, Vite! sanctissimam sententiam, quam ex Scriptura didicimus, judicium

cium Dei secundum actiones hominum fieri, *independentiæ* divinæ detrahere, ad ravim usque occinis. Dependetne præscientia à nexu aliquo rerum externo, à fundamento aliquo extra Deum? & hoc quidem salva independentia? videsne contradictionem tuam? Tutius est, mi Vite! cum ratio præscientiæ divinæ nobis sit incognita, minime definire, an & quale sit fundamentum præscientiæ divinæ, credere potius præsciri omnia à Deo accuratissime. Sed & de *nexu* caussarum monendus es, quamquam *certum* concedam, *necessarium* non opus esse concedi. Præscitur, quod *certo* futurum est, licet necessario nexu caussarum non fiat. Præterea hypothesis illa heri nata de nexu caussarum omnium & rerum, ut quæque res in antecedenti re suum fundamentum habeat, quantumvis eam philosophiæ suæ Clariss. Wolfius substernat, suumque *principium rationis sufficientis* perpetuo laudet; nec demonstratum est, nec demonstrari poterit. Si libertas est aliquarum creatarum rerum, ut sane est, possunt hæ nexum rerum subinde sola sua voluntate rumpere, novumque inchoare, qui durat, dum vel ab ipsis vel aliis libertate præditis, rumpatur. Neque me quidquam movet objectio, voluntatem hominum externis rebus moveri, inclinarique, ut adeo, cur hoc potius velit, quam alterum fundamentum in re extra voluntatem positum sit. Nam experientia docet,

cet, multa fieri, tantum quia vult homo, e.g. cum rationes utroque inclinantes intellectui videntur æquales, cum ſorti optio permittitur, e.g. cum partibus diſpoſitis, puerulus averſis vel obligatis oculis dicere jubetur, cujus hæc, cujus altera portio ſit, quarum neutram videt, quique adeo nulla ratione niſi quod *vult*, movetur hunc illumve, cujus eſſe illa portio debeat, nominare. Denique illa opinio, quam tanto ſtudio tuetur Celeberrimus Wolfius male jam ab eodem applicata eſt, cum auſit ex eodem principio negare DEUM *mundos plures condere poſſe*, quia tum nulla foret ratio, cur hic hoc loco, ille illo, eſſet poſitus. Quæ poſitio Wolfii omnipotentiæ divinæ nimium quantum refragatur. Nata etiam hinc eſt altera hypotheſis: *non poſſe exiſtere duo per omnia ſimilia*, quæ ideo potiſſimum excogitata eſſe videtur, ut in electione non poſſit non alterius potior ratio haberi. Sed & hæc theſis admitti non poteſt. Qua enim ratione DEO negabitur facultas e.g. globo, quem jam fecit, globum alterum ſimilem eodem numero partium iisdem perfectionibus inſtructum condendi? Quæ cum ita ſint, hypotheſin *de certo rerum omnium nexu* non probo, nec puto à quoquam demonſtrari poſſe: *certo* autem *fieri* & *futura*, quæ DEUS futura præſcivit, dubio caret, tametſi non fiant omnia *nexu*; & divinæ præſcientiæ certè iſte nexus nihil prodeſt.

prodest. Pone enim DEUM voluisse *unicam rem creare*, tum & præsciisset unicam rem, adeoque, quia unica foret, sine nexu cum aliis, quæ nullæ futuræ essent. Eadem facilitate autem, qua ita rem unicam præsciturus fuisset, eadem singulas futuras res, tametsi nullo nexu copulatas præscire potest. Contra te vero Vite! suffecerit hoc loco negasse, nexum, qui præscientiæ divinæ fundamentum sit, *necessarium* esse oportere.

§. 142. Apparatum eruditionis suæ gratis profudit Vitus, pag. 257--261. Quid enim istis ethnicorum suffragiis obtinebitur? At, supra quam dici potest, improvide loqueris, mi Vite! p. 261. extrema: *Hæc vero ita ad κοινὰς illas ἐννοίας, quibus omnis nostra ratio nititur, pertinent, ut iis ne mica quidem sanæ mentis esse possit, qui aut simul certum quendam æternumque rerum & actionum futurarum omnium ordinem nexumque cum antecedentibus caussis & liberas nostrarum mentium actiones contingentes esse, & DEUM eas infallibili cognitione ab æterno præcepisse affirmant.* &c. Respondeo verbis Clarissimi Wolfii, Gedancken von GOTT, der Welt &c. §. 970. Da GOttes Vorherwissen die Begebenheiten der Welt und der Seele lässet, wie sie an sich sind, und nicht das Geringste darinnen ändert, so bleibet in der Welt zufällig, was zufällig ist, und in der Seele freywillig, was freywillig ist, nemlich das Vorherwissen ist ausser den Dingen, und machet keine Begebenheit, doch Gewißheit derselben,

sondern

ondern setzet sie voraus. &c. Huic quoque, mi Vite! dices ne micam quidem sanæ mentis inesse? Quam satius esset erubescere!

§. 143. Pag. 262. quam inconsiderata loquitur Vitus noster! Ex quo consequitur, *neminem præscientiam DEI admittere posse, quin aut fatum quoddam brutum extra DEUM constituat, aut Manichæus aut Supralapsarius sit.* Quo ergo loco habebis professionem civium tuorum Infralapsariorum omnium publicam? Ceterum indignus es, cui denuo respondeatur. Lepide Vitus pag. 263. convincere aggreditur Lutheranos. Primo ponit, *docere Lutheranos*, si quidem ipsorum mentem rectè percepisset, quasi res obscura esset, *præscientiam divinam futuri mali nullam admittendam, nisi quæ ex divino res producendi decreto tota suspensa sit.* Hinc colligit: *Ex quo consequitur ipsos Lutheranos non posse, nisi hanc divinæ præscientiæ rationem inire: Si hominem talem & in talibus circumstantiis producendum decrevero, & produxero, non poterit non malum existere, atqui decrevi, ergo malum necessario futurum est.* Falleris, ô bone! ita nos rationem inire solemus, quasi dicat DEUS: Si hominem talem & in talibus circumstantiis producendum decrevero, alterutrum, cum utrumque possit, certo facturus est, ut vel mandato meo obsecutus in bonitate persistat, vel non obsecutus bonitatem perdat; Sed video ad alterum horum liberè sese inclinaturum hominem, ergo malum certo

fu-

futurum eſt. Verum in his ſatis facilibus non hærebo diutius. Ad cetera ejusdem pag. reſpondeo: Si DEO placuiſſet hominem creare, qui peccare non poſſet, tum præſciturum fuiſſe DEUM, hominem non peccaturum, at cum creaverit hominem, qui poſſet æque peccare ac non peccare, quorum alterutrum futurum erat, præſcivit DEUS, id, quod futurum erat, non neceſſario futurum, ſed certo.

§. 144. Magis etiam mirabilis eſt ratio convincendi nos Supralapſariiſmi, quam cepit Vitus pag. 264. *Aut DEUS futura mala ex ſe perfectionibusque ſuis ante decretum, aut ex decreto ſuo, aut ex liveri arbitrii natura circumſtantiisque, in quibus ſingulis momentis verſaturos homines eſſe DEUS infallibiliter noverat, præſcit.* Non vides, mi Vite! in eo, quod tertio loco ponis, quæſtionem tuam recurrere; Unde DEUS noverat hominem in his aliisve circumſtantiis ſingulis momentis futurum? Utrum ex decreto ſuo, quod in his circumſtantiis eſſe hominem vellet? an ex natura liberi arbitrii, quod has aliasve circumſtantias eligere poſſet? Si *decretum permiſſionis* intellexeris, nihil refert, quocunque modo reſpondeas, ex decreto an ex liberi arbitrii natura prævíderit DEUS? Ad me, quod attinet, *tribus tuis*, quæ poſuiſti, addo *quartum*, nempe: *ex nulla harum rerum* præſciiſſe DEUM, quis enim evincet oportere, fundamentum aliquod

eſſe,

esse, quo nitatur independentissimi numinis præscientia, nisi *ipsam rerum certitudinem*, quam videt, quæ quidem non *fundamentum*, sed objectum præscientiæ est.

§. 145. Vitus p. 265. *aperte*, inquit, *contradictoria sunt, ex alia re aliam rem infallibiliter præsciri posse, & nullo necessario nexu res illas contineri.* Cui respondeo: Quamquam sufficit *certum* nexum esse, ut alia res ex alia re infallibiliter præsciri possit, neque oportet illum nexum *necessarium* esse; tamen, neque hoc, cum sermo est de præscientia divina, necesse est concedere, sit nullus nexus rerum, nihilominus singulæ istæ res DEUM non fugient. Cogitationes nostras eminus novit DEUS, quas omnes copulatas esse nexu aliquo, frustra dicitur. Conviciorum Viti me sæpe dixi pudere, sed verendum, ut mihi credantur, quæ de conviciandi libidine hominis aliquoties questus sum. Itaque recito, non illud quidem maximum, sed satis crassum p. 265. *Prudentissime Lutherani ineptiunt, cum eos, quibus suam fidem commendant, captivam constrictamque rationem tenere, sedulo jubent. Præclare enim intelligunt, neminem, cui quidem vel mica bonæ liberæque mentis relicta sit, probare posse Lutheranam, quatenus à nostra differt, fidem, quam, quo quis magis sapit, eo ineptiorem stolidioremque quin existimet, ne potest quidem à se impetrare.* Ego illum puto *minime libera uti ratione*, qui, ut à conviciis abstineat, à se ne quidem potest impetrare.

§. 146. Liberum arbitrium, mi Vite! & peccatum *necessaria cognatione* inter se contineri, nemo dicere potest, quin DEUM ejus liberi arbitrii in primo homine conditorem simul peccatorum caussam tueatur. Itaque noli ex ista positione, quæ nostra non est, *consecutionem* texere, quod pag. 265. facis. Liberæ, qua uteris, Vite! rationi tribuo paralogismum p. 266. *Nisi illud, ex quo DEUS futurum malum ab æterno novit, à DEO sit, æternum quoddam à DEO diversum malorum principium constituitur.* Quid? Vite! nihilne in tempore potest mali principium esse? Cum Christus *Joh. VIII.* 44. Satanæ *patriarchatum mali* tribuit, num tu inde colliges Satanam ab æterno esse? Ab æterno sanè DEUS prævidit à Satana malum aliquando in mundum introductum iri, sed sibi coæternum esse illud mali principium, qua ratione vel vidit vel videre potuit, cum non sit coæternum. Ubi ex decreto suo permissionis vidisse DEUM mali originem dixeris, nolo tecum contendere, sed non opus est *ex aliquo fundamento* DEUM mala prænosse. Ad pag. 266. 267. nihil dico.

§. 147. Pag. 268. Nos premi iisdem & multo pluribus difficultatibus, quam Supralapsarios, Vitus denuo dicit. Quin facis periculum, Vite! sed non vis, nisi persona alicujus Sociniani sumta. Quid ais ergo? recitas p. 269. 270. verba *B. Buddei Theol. Dogm.*

pag

pag. 225. & 1247. edit. sec. Agnosco ea & probo, sunt enim optime dicta. *Quæ si vera sunt*, sic personatus noster Socinianus, *actum est de divina non solum bonitate, justitia & sanctitate, sed independentia etiam, omnipotentia, beatitudine, sapientia.* Qui sic? *Per bonitatem*, ita Socinianus noster p. 270. *hoc loco eam maxime intelligimus summi Numinis virtutem, qua non ipse tantum beatissimus est, sed id agit quoque, ut homo, quantum quidem fieri potest, quam proxime à divina beatitudine absit.* Impingis in ipso limine Sociniane! ideam aliam bonitatis divinæ è Scripturis haustam dedimus §. 40. ad quam non modo beatitudinis divinæ, qua ipse DEUS fruitur, mentio plane non pertinet, sed, quæ præterea minimè requirit, *ut homo quam proxime à divina beatitudine absit.* Quid hoc rei? num bonitas divina postulat, ut res omnes eodem gradu sint beatæ, hoc est, quam proxime à beatitudine divina absint? Ergo in rana creanda DEUS bonus non est, quia non indidit ei gradum tantum præstantiæ, quanto angeli gaudent. Porro in definitione bonitatis, quid faciunt obscurissimæ voces: *Quantum quidem fieri potest.* Quid ni fieri posset, ut omnes sint eadem præstantia, si quidem voluisset DEUS; sed, cum non voluerit, bonitate carere dicendus erit? Petri Bælii verba, quibus *bonitatis* generalem significatum tradit, *facere quod bonum est*, tuam hanc definitionem nihil juvant.

§. 148. Adhuc misere stetit contra Lutheranos larvatus Socinianus. Quid vero p. 271? *Tantum abest, ut optimus natura sit DEUS, ut ne bonus quidem dici posse videatur, si tales homines condidit, quales, si conderentur, & malos futuros & in sempiternum miseros infallibiliter ab æterno noverat.* Captiose hæc dicta sunt, & duplici sensu accipi possunt: 1) ita, ut creatio in *talibus circumstantiis* caussa sit unde mali fiant & in sempiternum miseri; hoc sensu conceditur sanè consequentia, sed condidisse DEUM tales homines, hoc est, quod negamus: 2) ita, ut DEUS tales condiderit, qui nullo impulsu, nulla necessitate, & cum potuissent perpetuo beati esse, possent tamen volendo miseri fieri. Hoc modo consequentiam inficiamur, neque id esse contrarium ideæ bonitatis §. 40. demonstratum est.

§. 149. Eadem pag. hallucinatur misere Sociniana larva: *Si vere & bonus & potens fuisset, aut mutasset hunc malorum ordinem, aut, si mutare non posset, satius & melius esse, sapientissimus cum sit, intellexisset, homines, quos aut non posset, aut non vellet feliciores reddere, in æterna rerum possibilium nocte sepultos reliquisse.* Demonstraturum te Sociniane! promiseras nostram sententiam *bonitati* divinæ repugnare, jam *de sapientia* dicis, cujus non tam claram, quam bonitatis ideam nos habere certum est. Ceterum mortales insipientes non decet, quid sapientia divina magis minusve dignum sit, arbitrari.

trari.

trari. Supralapsarii autem contra nos ea responsione, quam hic Sociniano dedi, nulla ratione uti poterunt, quorum doctrina ipsam bonitatis divinæ ideam evertit.

§. 150. Pergit Socinianus: *Si DEUS sua natura optimus est, tum non potest non velle & quantum in ipso est, efficere, ut homo, summa, quam capere possit beatitudine fruatur, quam suam ipsius naturam destruere.* Falsum. Vidimus enim §. 40. non indignum *boni* nomine, qui invito & reluctanti non facit bene. Porro ait noster p. 272. *Aut noluit DEUS aut non potuit hominem talem producere, qualis non posset non summam beatitudinem consequi.* Noluit, mi Sociniane! nam talem creando, qualis est creatus, placuit DEO bonitatem suam demonstrare, quæ nunquam desinit esse *bonitas*. *Si noluit*, inquis, *non tantum non optimus, sed ne bonus quidem esse potest.* Quibus argumentis hæc probas? Bene facit, & qui alteri ea concedit, quibus, nisi nolit, beatus esse possit, & natura nolit, facultatem volendi præterea concedit; non is modo, qui, ut ne possit quidem nolle, facit.

§. 151. Ordo jam B. Buddeum tangit, qui se vellicari à Vito sub Sociniana larva patiatur, p. 272. Dixerat Buddeus aliquoties e.g. *Theol. Dogmat. p. 687. Cum homo animal esse deberet ratione præditum, voluntatis quoque libertate eum instructum esse oportebat, sunt enim hæc inter se conjunctissima, cum & frustra rationis usus alicui*

concedatur, nisi voluntatis idem polleat libertate. Quare si DEUS non ita condidisset hominem, prouti eum condidit, quidvis potius quam hominem condidisset. Hæc Socinianus noster cum contemtu rejicit, idem esse ratus, ac si quis beatos in æterna vita à peccati periculo immunes, quidvis potius, quam homines esse dicere velit. Vidit b. Buddeus hoc telum & declinare studuit p. 548. observans sapientiam divinam convenientissimum ratam, ut homo obsequio suo erga DEUM rite probato demum præmium aliquod simulque confirmationem in bono, consequeretur. Sed, ut fatear ingenuè, quod verum puto, hac responsione non declinavit penitus objectionem: Sit sapientiæ divinæ hominem prius explorare, dein confirmare; non tamen quidvis potius quam homo fuisset Adamus, si vel maxime placuisset DEO statim talem creare, quales sunt triumphantes in cœlo. Itaque satius, ego quidem putarim, tali locutione abstinere, & simulatque res ad sapientiam divinam refertur, quid magis quid minus conveniat, nolle definire, nisi ubi Scriptura definivit. Verbum addo de *confirmatione illa* angelorum bonorum & cœlitum *in bono*, me cum in Scriptura S. nihil de ea habeatur, nunquam satis cepisse, quid Theologi sibi velint? Non esse unquam peccaturos cœlites facile credo, & semper adeo felices futuros nec volituros peccare, concedo

cedo lubens, at cur præterea *impossibilitas* peccandi requiratur ad perfectam beatitudinem, non video, sed nec cum iis, qui se videre arbitrantur, contendere velim. Res enim non videtur magni momenti. Sufficit, nunquam fore, ut electi triumphantes felici sua conditione excidant.

§. 152. Minus bene quærit Vitus pag. 273. *Quæ tamen, quæso, vis adegit DEUM, ut hominem talem produceret, qualem certissime miserum futurum noverat?* Ut omittam, quæ §. 148. jam sunt monita, ad prima verba respondeo: Nulla vis adegit DEUM, sed sanctissima sua voluntas. Pag. 274. jubet nos Vitus demonstrare, DEUM minus futurum bonum, si hominem talem condidisset, qualis neque labi potuisset, neque miser esse. Sed hoc quidem non est necesse. Sufficit clarissimum esse, bonum esse DEUM talem condendo, qualem condidit, bonum etiam futurum fuisse, si placuisset alium condere; utrum vero hoc illove modo magis minusve bonum se præstiturus fuerit? & otiose quæritur, nec definiri a nobis potest. Bonitatis idea §. 40. posita in DEUM, talem creantem hominem, qualem creavit, accurate convenit; de iis, quæ *ad sapientiam* referenda sunt, non puto mihi disputandum esse, quorsum & exemplum parentis, qui possit, quales vellet, liberos gignere, pertinet. Non dedisti hoc modo, Vite! exemplum, unde,

quid DEO conveniat, illuſtrari poſſet; nam illum patrem, quem fingis, DEUM eſſe fingis, quodſi enim extaret pater iſtis facultatibus, quas tu ponis fingisque præditus, DEUS eſſet.

§. 153. Moleſtus vero es, Vite! cum videri vis non intelligere, quid ſibi Buddeus velit, quando negat DEI ſummam tantum bonitatem prædicandam, ſed de ſapientia quoque & juſtitia cogitandum, & quæris: An mutata mente cum Supralapſariis ſentiat? Quaſi nemo juſtitiæ ſapientiæque divinæ admirator præcoque eſſe queat, qui non ſit Supralapſarius. Pag. 275. quærit plane rhetoricatus Socinianus noſter: *Eane vero eſt ſummi & benigniſſimi numinis ſapientia & juſtitia, ut per has virtutes ſtet, quo minus optimus ſit? Eane divinarum perfectionum ratio eſt, ut aliis ſummis per alias ſummas eſſe non liceat?* Non diſputatur mi Vite! an bonitas & juſtitia DEI &c. ſint æqualiter ſummæ, nam hoc certum. Sed, an, quod procedit e. g. à bonitate, beneficium, neceſſario debeat eſſe *ſummum*? hoc negatur. Recte dicimus *ſumme bonum* eſſe DEUM, à quo beneficia inæqualia adeoque non omnia ſumme bona, ſed bona tamen, proficiſcuntur. Itaque fac, quamquam noſtrum non eſt definire, *majus* futurum fuiſſe *beneficium*, ſi alius creatus fuiſſet homo; non deſinit tamen eſſe beneficium, & magnum quidem, quod Deus tribuit homini, quem talem condidit.

§. 154.

§. 154. Αὐτοκατακρίτως Lutheranos facturus est personatus Socinianus, cum de justitia DEI exponimus, abusurus est in eum finem verbis doctissimi Moshemii, in consultat. §.23. Sed dici non potest, quam frigida, quam elumbis sit hæc Sociniani disputatio; e.g. Moshemius Supralapsarium Systema exagitans, ita loquitur: *DEUS justitiam suam prodere constituit. Quomodo vero? Innocentes homines æternis miseriis enecando, in quibus nihil pœna dignum est, nisi quod ea conditione nati fuerint, ut DEO ad peccandum eos impellenti obluctari non potuerint.* Ut hæc Supralapsarios adeo vehementer urgent, ut, quo se vertant, non habeant: ita nive frigidius est, quod in nos retorquere vult autor, hoc modo: Pag. 276. *DEUS justitiam suam prodere constituit. Quomodo vero? Innocentes homines æternis miseriis enecando, in quibus nihil pœna dignum est, nisi quod ea conditione nati fuerint, ut divinæ præscientiæ, & ex hac suspenso reprobationis decreto æterno immutabilique obluctari non potuerint.* Resp. 1) Lutherani non ponunt, ut Supralapsarii, *DEUM constituisse justitiam suam* prodere, voluit potius creando cum rebus extra se per hanc ipsam creationem productis bonitatem suam communicare. Si nunquam etiam exercendæ justitiæ punitivæ occasio fuisset, nihil decessisset justitiæ divinæ, quam in se ab æterno, sine exercitio perfectissimam esse nemo dubitat, neque necesse fuit, ut vel angeli vel ho-

homines peccarent, qui & à peccando abstinere potuissent. Itaque concidit tota Sociniani nostri putatitia retorsio in ipso limine. Porro, qui vocantur reprobi *innocentes* ex Lutheranorum hypothesi? quorum nemo ob peccatum originale solum, etsi posset damnari, actu damnatur, nemo non accipit sufficientia media gratiæ. Denique quam misere procedunt ultima verba: *Ut divinæ præscientiæ obluctari non potuerint.* Num præscientia, quæ ut è Philosopho tuo à me §. 142. laudato, discere potuisses, extra res est, necessitatem aliquam nedum ineluctabilem imponit? Neque melius illa: *ut decreto reprobationis æterno immutabilique obluctari non potuerint.* Quid audio? *Sententia pœnalis*, qualis est illa æterna reprobatio, natura posterior est facinore, quod punitur; qui potuit ergo aliquis animum inducere, decretum judicis punituri ullam dare excusationem malefico, *non posse* scil. *se obluctari decreto?* Post admissum liberè facinus, post spretam temere, qua frui potuisset, gratiam, pœnæ obluctari non licet. At antea nullum erat decretum, quo ad malefaciendum impelleretur.

§. 155. Perdimus chartam, si plura cavillationibus personati Sociniani respondemus, ita obtusa omnia sunt spicula; e. g. pag. 277. ita inducit quasi se excusaturos reprobos: *Præclarè norunt DEUM ab æterno, cum ipsi nihil adhuc essent, infallibiliter cognitum atque perspectum*

spectum habuisse, si tales ipsos conderet, quales condidit, ipsos & malos futuros esse & miseros. Jam monitum est & hic repetendum, captiose posita hæc verba esse: *Si tales ipsos conderet, quales condidit*, quasi *creatio talium* causa esset lapsus talesque non potuerint non labi. Hanc non esse Lutheranorum nec veram sententiam, vel scire vel discere debet Vitus. Itaque in nostra doctrina nihil habent reprobi, quo excusari possint, at in Supralapsariorum caussa, habent. Cetera, quæ p. 278. 279. frigidissime dicta sunt, non vocat excutere.

§. 156. Porro sanctitatem divinam per nostras hypotheses stare non posse docturus est Socinianus larvatus p. 280. Audiamus hominem: *Quomodo quæso! sanctus esse possit, qui eum rerum ordinem constituit, cum quo æterno quodam nexu tot tantaque peccata & scelera conjunctissima esse sine erroris periculo noverat.* Contra quem disputas Sociniane? Nos quidem negamus DEUM talem rerum ordinem constituisse, cum quo æterno nexu peccata & scelera conjuncta sint. Constituisse talem ordinem docemus, in quem creaturæ non independentes quidem, sed liberæ, possent, si vellent, prohibente quidem DEO, non tamen per omnipotentiam impediente, malum invehere. Ergo nobiscum tibi res esse non potest; hæc oppone Supralapsariis & novis aliquot philosophis, quorum caussa à

Lu-

Lutherana ecclesia sejunctissima est. Simile *de horologio* pag. 280. adhibitum miserum est, nisi horilogium, quod mente ac voluntate & libertate præditum sit, velis, quale non datur, nec concipi potest, ni velis ex horologio angelum vel hominem facere. Absona sunt Sociniani nostri verba: pag. 281. *Præscire DEUS, si voluisset, potuisset, hominem nunquam lapsurum esse.* Si hoc vult, DEUM potuisse creare hominem, qui non posset peccare, adeoque futurum fuisse, ut talem hominem non peccaturum præsciret, nihil novi dixit, sed id, cui jam respondimus; jam vero præ se ferebat sanctitatem DEI ex nostris hypothesibus oppugnare. Sin hoc vult: *DEUM præscire posse res, ut velit præscire,* sane non intelligit ipse Vitus, quid sibi velit! Libertas sane in DEO summa est, sed non tribuimus hanc DEO, prout intelligit, sed prout vult; itaque non aliter futura præscit DEUS, quam sunt, vel decernente se, vel certe permittente, futura. Cetera pag. 281. 282. 282. indigna sunt responsione, ut centies dicta.

§. 157. Confusissimus noster Socinianus cogitationis suæ summam facere conatur p. 283. in fine, porro 284. Sed implicatur misere, nescio an à Vito expediri possit. Primo ita instituit: Homo ab æterno nihil fuit, ejus actiones contingenter futuræ, si quæ fuerunt futuræ, magis etiam, quam ipse homo

mo

mo earum futurus fortasse autor, ab æterno nihil fuere. Bene; sed quid tum? Pergit: *Non entis autem cum nulla accidentia sint, nihil à nihilo potest proficisci, quod ab æterno præsciri possit.* Socinianus tuus Vite! plus audet, quam audere à Te jussus est. Debuit solummodo pervicaces Lutheranos convincere, non meliora sequi ex ipsorum hypothesibus, in quibus à Supralapsariis abeunt, quam ex horum. Jam vero argumentum proponit, quod communi nostræ doctrinæ, non solorum Lutheranorum de præscientia DEI infallibili, adversatur. Sed cum lepidum sit non gravabor excutere. *Non entis nulla sunt accidentia.* Bene; at futuri entis futura sunt accidentia, adeoque futurarum malarum actionum futuræ poenæ. *Nihil*, inquis, *à nihilo proficisci potest, quod præsciri possit.* Immo, ab homine, qui ab æterno nihil fuerat, at in tempore futurus, scelus, quod ab æterno nihil fuerat, sed in tempore futurum, proficisci potest adeoque præsciri. Ita sophisticari solemus, cum exercemus pueros, viris autem tales nugæ, quales Socinianus tuus agit, indignæ sunt. Pag. 284. *contingenter futurum* cum *incerto* malè confundis. Ad præscientiam requiritur, ut aliquid sit *certo* futurum, non, ut *necessario* futurum, postulatur. Sanctissima juris jurandi formula in nugis abuti, quod Vitus p. 284. lin. ult. fecit, erubescendum & per omnem vitam pœnitendum facinus est.

Con-

Conviciis p. 285. nihil movemur. Quin aimus, in ideis divinis, quibus & futura præſentia ſunt, nondum exiſtentium rerum, at futurarum conſiderationem accuratiſſimam eſſe, quantumvis crimineris eos, qui ajunt. Ceterum, quæ p. 285. iis, qui DEUM ex decreto ſuo prævidere mala ajunt, objiciuntur, tolle, ſi potes Vite! nam ad nos nihil pertinent. Verum ea, quæ p. 286. larva tua de Paulo & Luthero fingit, cum ſatis evicerimus, neque Lutherum neque Paulum, atque hunc quidem multo minus Supralapſariis faventia docuiſſe, impia & nugatoria ſunt.

§. 158. Dixit adhuc aliquid Sociniana perſona? Nil plane. Sed egregiè dixiſſe cauſſam Vitus putat p. 287. *Quibus*, inquit, *quoties vel conati ſunt reſpondere, aut id totum Supralapſarium erat, aut ἀπροσδιόνυσον & ineptum plane. Si quid poſſint, experiantur hic vires ſuas, magnam à nobis inibunt gratiam, ſi felicius, quam Supralapſarii cum Luthero, fecerunt communem noſtram de æterna infallibilique præſcientia doctrinam à Socinianorum objectionibus vindicaverint.* Jam non miror te dixiſſe, craſſis uti ingeniis Lutheranos, cum nugas has Socinianas invictas nobis eſſe putes, niſi mutuemur arma Supralapſariorum.

§. 159. Pag. 288. Vitus, poſita, ut videtur, Sociniani larva, & veſte ſua reſumta, monſtraturus eſt *multo majori ſpecie* impia quæque ex Lutheranis hypotheſibus, quam è Supralapſariorum elici poſſe. Mallem, mi Vite! voce

voce *specie* non esses usus. Moshemium enim & nostrates omnes vides in ea esse opinione, non magna specie, sed revera & necessaria consecutione atque legitima elici, impiissima illa, è Supralapsariorum dogmate; quamquam pro modestia Christianis digna, vobis negantibus vos eam consecutionis necessitatem cernere, facile credimus, neque horrenda ista, quæ sequuntur, vobis imputamus, solumque dogma, non item ejus professores, aversamur. Tu, si contra, *specie tantum*, sive *magna* illa species sit, sive *maxima*, sive *parva*, dummodo *species* sit, è nostris hypothesibus elici impia posse, operose probaveris, nihil te egisse scito. Sed videbimus tamen, quæ sit illa species?

§. 160. *Neque summam DEI beatitudinem, neque omnipotentiam, neque independentiam, neque sapientiam tueri amplius possunt, si vera sint, quæ cum præscientia conjungunt. Non beatitudinem; quomodo enim summè beatus esse possit, qui fine, quem ultimum sibi proposuit, excidit, & cui tot tantaque contingunt injucunda quæque aliter facta vellet.* Hem quam sapienter! sunt sæpissime homines ea animi constantia, eo fortunæ fastigio, ut, etiamsi domesticorum vel sibi subditorum aliquis, adeoque plures graviter deliquerint perierintque etsi serio nollent factum, suæ tamen beatitudinis, tranquillitatis, felicitatis, nullam partem amittant. Quis dixerit sequi inde non voluisse istos homines suorum

rum civium domesticorumque salutem serio, quibus monendo, præcipiendo, quæ ad vitam honestè transigendam necessaria sunt, porrigendo, nunquam defuerunt? Quod si dicas in homine saltem aliquam animi ægritudinem tali casu oriri, quæ deliberare felicitatem & beatitudinem aliquantisper possit; non dicam equidem contra, cum ab homine humani nihil sit alienum: at à DEO certè, quæcunque beatitudinem ejus 1.*Tim.VI.*15. turbare possent, ita manent aliena, ut nihilominus serio velle possit, quæ non fiunt, nolle, quæ fiunt, cum non de *absoluta*, sed *conditionata* voluntate, sermo sit, in qua is, qui vult, non potest suo fine plane excidere, quum alterutrum saltem fiat, ut vel beneficum sentiat DEUM, qui admisit gratiam, vel judicem, qui præfractè repudiavit. Neque hoc tacendum est verba hæc improvide à Te posita: *Qui fine, quem ultimum sibi proposuit, excidit.* Nam salutem humani generis serio quidem à DEO intendi dicimus, sed *ultimum finem* solam DEI gloriam esse docemus. Non opus est Vitè! in his hærere, unum modo ex te quærere lubet? Non tibi venere in mentem, cum vel cavillandi studio, vel quod ita sentires pag. 288. sequ. negasti peccata DEO injucunda esse, non venere, inquam, in mentem tibi infinita testimonia Scripturæ, quibus ὀργὴ Θεοῦ ἐπὶ πᾶσαν ἀδικίαν graviter exponitur? An putas persvaderi alicui bonæ menti

posse

posse fictè illa omnia & per simulationem dicta esse? Quod si dixeris, ut in Vindiciis sæpe dicis, pungere te Lutheranos voluisse, & gaudere, quod se læsos sentiant; ego me nescire fateor, quid sibi tota ea res velit? Supralapsariorum caussa non levabitur, si Lutherani suam inconditis & sola asperitate verborum gravibus, in se levissimis, accusationibus peti videant, si & aggressori levis armaturæ indignari cœperint. Nos quidem dolere potius ingenii eorum, qui talia excogitant, imbecillitatem, credas velim.

§. 161. Nullus calumniarum modus? Itane Epicuræi excusatius quam Lutherani peccare videntur, quod DEUM nulla rerum humanarum cura tangi, ne turbetur tranquillitas, finxerint? p. 289. Quid hoc? Videbunt, inquies, Lutherani se acriter pungi? Vident sane. Quid porro? Intelligent & Supralapsarios ægre ferre, si ipsis sequelæ exprobrentur. Hoc interest, mi Vite! ut Supralapsarii bonis responsionibus ostendant non sequi ea, quæ ipsis exprobrantur, nos quidem securi sumus, cum ipse, qui absona consecutione aliqua elicere è thesibus nostris quasi per jocum studet, non credere se ipsum, quæ dicit, haud dissimilet. Si credat, quod non putamus, præcedenti §. responsum est; beatitudinem DEI internam non turbari, etsi Scriptura interdum ad humanum morem ita loquatur, si vel maxime

peccata DEO displicentia fiant. Quid vero & fratres tuos Infralapsarios pungis pag. 289. lin. ult. *Divinæ beatitudini solæ extremæ Epicuræorum & Supralapsariorum hypotheses consulunt. Per medias autem omnes DEO non licet esse perfectè beato.*

§. 162. Ergo Manichæos nos fieri jubet, quibus, quo magis à Supralapsariis discedimus, eo propius nos accedere, p. 290. argutatur. Cum difficile sit dicere, quo loco Vitus meus studio cavillari velit, quo serio agat, hic tamen serio agere videtur, quod idem toto suo libello repetat. Itaque erroris fontem detexisse juvabit. Non habet Vitus veram notionem *libertatis*, quæ ipsi nihil aliud est, quam quod aliis *spontaneitas*, qua quis velle quidem potest, at idem quod vult, non potest nolle, & versa vice: nolle quidem potest, quod non vult, at idem illud non potest velle. Cum igitur saniores Philosophi, quorumque mens magis libera est, ut verbis Viti mei utar, aliam notionem *libertatis* habeant, qua quis nempe posset, id quod vult, nolle, id quod non vult, velle; alioquin enim non esset neganda irregenito homini *libertas*, vult enim ea mala, quæ facit, & suarum actionum volens autor est, id quod ad *spontaneitatem*, quam Vitus pro *libertate* habet, requiritur: factum inde est, ut, quoties DEO facultas tribuitur *liberam creaturam* condendi, simul consulatur ejus beatitudini;

tudini; Quodsi enim DEUS decrevit condere liberam creaturam, eidemque libertate hac utendi facultatem concedere, quicquid etiam ab ista creatura deinceps fiat, nulla tamen parte beatitudini officitur ejus, qui permittere ea, licet minime approbare, velle, constituere, aut ulla ratione juvare, aut promovere, decrevit. Fiunt igitur mala *invito* DEO, si de decreto voluntatis jubentis sermo sit, non fiunt *invito*, si de *sola permissione*, quæ quidem proprie loquendo decretum non est, loquaris. Nihil enim fit vel ignorante vel non permittente DEO.

§. 163. Sed quid agamus? Nec omnipotentia DEI salva est, si stent Lutheranæ hypotheses. Quid ita? Vitus p. 290. è *Psalmo CXXXV. v. 6. omnipotentis esse* monet, *ea omnia efficere, quæ & vult & efficere potest.* Nosti Lutheranos tueri, nec sapientiæ, nec potentiæ adversari, velle aliquid *conditione qualicunque posita*, nolle, si ista conditio absit. Nisi hac in hypothesi Lutheranos errare prius viceris, quod, prudens est, qui nec conatur efficere, nihil agis. Lutherani enim dicunt hoc solum omnipotentiæ refragari, non efficere posse rem eo modo, quo quis efficere voluit. Non desinit omnipotens esse, qui, quod absolute non voluit, nec efficit. Tum non esset omnipotens DEUS, si, quod voluisset absolutè, non posset perficere, aut, quod voluisset sub conditione, posita licet illa con-

dítione, tamen nequiret efficere. Tu quidem Vite! p. 291. negas istam distinctionem inter voluntatem absolutam & conditionatam, locum habere posse, & putas obstare infallibilem præscientiam. *Qui enim*, sic interrogas, *velle aliquid DEUS possit, sub conditionibus certis* (hanc vocem pro *aliquibus* uteris) *quas novit salva præscientia sua impossibiles esse?* Scire autem te ex Philosopho tuo oportuit, ut monitus jam es, esse conditiones etiam non futuras, possibiles tamen, neque præscientiam, quæ extra res est, vel possibilitatem rebus vel impossibilitatem, vel contingentiam vel necessitatem dare. Parum ergo idonea tota tua fuit argutatio.

§. 164. *Independentia* DEO, ajente licet Vito p. 291. non demitur thesibus nostris. Nam ferè ridicule homo *dependere* diceretur ab historicis, quia idem, quod in historicis libris extat; non aliud, legit. Ita non dependet DEUS à rebus, quia ita præscit futuras, ut sunt futuræ. Omnium pessimè *sapientiæ* divinæ consuli per Lutheranam hypothesin Vitus eadem pagina ait. Sed utinam moderatius loqui placuisset Vite! Vereor, ut tuæ sapientiæ laudi consulatur ejusmodi stilo. Quid hæc verba pag. 291. fine: *Desipit profecto, qui sapientissimum & ea velle posse dixerit, quæ norit ne fieri quidem posse, & ea adhibere media, quibus norit se nihil effecturum.* Prius quidem haud gravatim concedo, neque enim vult

vult DEUS unquam, *quæ fieri ne quidem possunt*; posset enim fieri etiam reproborum salus, etsi non est futura. Alterum vero credisne te impune & salva pietate dicere? Itaque sapientiæ divinæ difforme est, quando Christus in arboribus tandem excidendis ita aliquandiu agit, ut parabola *Luc. XIII.* 8. docet? *Lenitas DEI* agit, eos quoque qui sibi iram tandem colligunt, aliquandiu ad resipiscentiam. *Rom. II.* 4. Ergo desipere dices Apostolum, qui hoc à sapientissimo DEO non putavit alienum? In naturæ regno quot pereunt semina, in quibus totius plantæ stamina posita sunt, quibus DEUS nihil effecturum se prævidit. Quamquam accurate loquendo nunquam plane nihil efficitur. Id modo, quod directè sequi debuit, non efficitur. Nos Vite! ii non sumus, qui quid conforme, quid difforme sit sapientiæ divinæ definiamus. Neque est, quod dicas: *Hoc volui*; ergo nec justitiæ & misericordiæ divinæ rationes ad nostrum conceptum exigendæ sunt; nam sapientiæ aliam quam justitiæ & misericordiæ rationem esse & res docet, & monitum plus semel est.

§. 165. Si Lucianus aliquis, si Celsus, ita profane de merito Christi pro reprobis etiam præstito, ut Vitus, publicus in ecclesia Reformata doctor, p.292. verba fecisset, non esset quod miraremur. Jam vero, sive cavillari voluerit, sive ex animi sententia di-

cere, indigna omnia ſunt Chriſtiano homine, & erubeſcenda. Si qui ſint, qui in re, non dubia, tamen offendant, eos moneo: Ut ſolida poſſet eſſe Evangelii omnibus hominibus offerendi ratio, oportuit redemtionem Chriſti univerſalem eſſe, nam non redemto, vel certè redimendo, gratiam offerri, eſt contradictio manifeſta. Quod ſi ergo, omnibus, etiam antiquiſſimis temporibus, gratia eſt oblata, ut ſane factum eſt, certè futura erat omnium redemtio, ſi tum certo futura, ergo & ſuo tempore facta. Contradictio nulla eſt, nedum, ut Vito meo videtur, craſſiſſima: æternam DEI præſcientiam tueri, & aliter velle poſſe humanam voluntatem & agere, quam illam acturam eſſe DEUS prævidit. Tædet rem eandem toties dicere.

§. 166. Pag. 293. Vitus, *nihil*, inquit, *frequentius nobis Lutherani objiciunt, quam quod ex noſtra ſententia conſequatur, ſi quos DEUS elegerit, eos, quicquid egerint, non poſſe non conſequi æternam beatitudinem, quos vero reprobaverit, non damnari. Non jam in eo ero, ut noſtra ab hac objectione defendam.* Pace tua dixerim, Vite! non videris multos Lutheranorum legiſſe, itaque de *frequentia* vel *raritate* objectionum non opus eſt dicere. Duo ſunt hominum genera, *converſorum & convertendorum*; illos fateor, extra ſtatum magnæ tentationis, ſtante etiam Supralapſario dogmate, conſiſtere poſſe, neque ſatis

ſatis ſolidè, quod neſcio, an quisquam noſtratium fecerit, hoc objici veſtro dogmati: ſequi inde, ut quicquid egerint, qui jam ſe regenitos ſentiunt, non poſſint non conſequi ſalutem, nam non ita cogitabunt regeniti; ſed, ut monui, ſummum periculum de his quoque eſt, cum acriter, e. g. à voluptatibus carnis tentantur, facile enim fieri poteſt, ut, ſi imbiberint dogma falſiſſimum de *inamiſſibilitate gratiæ*, acceſſus, quos ſubinde ad obſequium carnis faciunt, non poſſe ſibi nocere arbitrentur, atque ita miſere à Satana decepti pereant. Quod, mi Vite! non obiter, ſed ſummo ſtudio conſiderandum eſt, ne, qui ſtat, ſenſim, cum à lapſu ſecurum ſe credit, labatur. Ad *convertendos* quod attinet, ubi hæc duo dogmata hauſta ſint Supralapſariorum, *abſolutè homines prædeſtinatos eſſe & gratiæ efficaci reſiſti non poſſe*, ego me fateor perſpicere nulla ratione poſſe, cur non ſint illi, qui hæc credit, agenda omnia, quæ lubet, cur non ſibi putet pergendum in voluptatibus, ex quibus non poſſit non eripi, ſi DEUS ita conſtituerit, nec poſſit eripi, ſi non conſtituerit. Nulla parte ſatisfacit obſervatio Viti, alias non contemnenda de *Confatalibus*: nempe in decreto divino hæc conjuncta & copulata eſſe, ut aliquis electus ſit & aliquando regeneretur. Nam hoc modo, hypocrita, qui ſe regeneratum putat, electum ſimul putabit, atque ubi crediderit

derit fieri non posse, ut gratia accepta excidat, vereor, ut faciat, quod Petrus jubet facere, 2. *epist. I.* 1. Igitur mallem te felicius, quam factum est, objectionem amoliri potuisse.

§. 167. Fidem vero superat confidentia Viti, qua p. 294. 295. *ineptos Lutheranos, nisi obtuso admodum ingenio uterentur, intelligere potuisse, non ad Reformatos istam objectionem, sed ad se pertinere*; contendit. Ratiocinatur Vitus noster, & bis quidem iisdem paginis supra & infra hunc in modum. Præscientia DEI est infallibilis; Decretum reprobationis & Electionis, quod huic præscientiæ innititur, & particulare est & immutabile. Ergo, quicquid egero, cum ex præscientia divina immutabiliter vel electus sim, vel reprobatus, nunquam effecero, ut DEUM vel fallat sua præscientia, vel decreti pœniteat. Te Vite! responsionis loco ablego ad Philosophum tuum, qui rectè dixit *præscientiam extra res esse, easque quales sunt, relinquere.* Ergo prout vel admittit vel repudiat homo oblata media gratiæ, ita vel repudiaturus vel admissurus prævisus est ab æterno, & decreto hac præscientia nixo vel saluti vel damnationi adjudicatus. Ubi hæc didiceris, quod nemo ignorare debuerat, tum convicia tua in nos conjecta erubesce. Verbum addo de calumnia pag. 294. in notis commissa duplici; 1) in verbis: *Nemo hominum aut tam probus sanctusque*

ctusque est, quin facillime omni fide & salute iterum excidere possit, aut tam improbus sceleratusque, quin quoties tantum non noluerit, regenerari pieque vivere possit. Ita enim docere Lutheranos credi vult Vitus. At a) dicimus, illos, qui stent, sed improvidi sint ac media gratiæ despicere incipiant, facillime labi posse. Probos sanctosque & mediorum gratiæ tenaces tutos aimus esse & confidere jubemus. b) *Semper* hominem, *qui tantum non noluerit*, regenerari & piè vivere posse, in mentem nobis non venit. Regeneratio soli divino tractui debetur, quem semper repetendum DEUS homini non promisit, adeoque tantum abest, ut hominem per illud *non-nolle* pro suo lubitu regenerari posse doceamus, ut potius contemtorum verbi divini conditio subinde fiat magis desperata. Consultius fuisset mi Vite! p. 296. verbis parcere, ubi B. Buddei verba in nos retorquere frustra conaris. Denique quid Te juvat Form. Concord. quæ tradit multos etiam nostra de prædestinatione doctrina abuti? Poteritne venenum eo excusari, quod sint, qui præstantissimo vino abutantur? Nam dogma Supralapsariorum, *venenum* maximè noxium esse arbitramur, eoq; vocabulo non utimur, ut convicio vobis ægre faciamus, sed, quod mentem nostram, qua sejunctissimi ab illo dogmate esse volumus, vocabulo perspicuo explicare oporteat. Lector autem attendat, quam sui sit oblitus

Vitus, cum recitato, nescio quam ob caussam amplo loco è Form. Concord. ad ultima Formulæ verba: *à vera pietate in impietatem rursus prolapsi & apostatæ facti sunt*, hæc annotat p. 298. *Ultima hæc verba probe notanda, quia ab iis proficisci piis non possunt, qui nobiscum ἀμεταμέλητα τὰ χαρίσματα καὶ τὴν κλῆσιν τοῦ Θεοῦ tuentur, sed ab iis tantum, qui tentationis vehementia eo adducuntur, ut cum Lutheranis metuant sibi à caduca gratiæ imbecillitate.* Nos, mi Vite! probe notanda hæc verba dicimus, unde tandem agnoscis, quod alibi negas & pernegas, alienissimos fuisse Form. Concord. autores à Supralapsariis tuis, & contra hos *amissibilem* esse gratiam docuisse. Quæ vero tua argumentatio? Vocatio & dona DEI sunt ἀμεταμέλητα, ergo non possunt amitti. Pone patrem filio munusculum dedisse, neque ablaturum unquam, sequiturne filium non posse amittere? Porro, cur ais Lutheranos sibi metuere *à caduca gratiæ imbecillitate*? Thesaurum non accusant, sed vasa, in quibus ille portatur, fragilia esse cum sciant, cauti esse volunt, & gratiæ mediis, quibus confirmentur, uti. Frigidissime quæris p. 298. *aut nobiscum sentit Formula, aut cum Lutheranis?* Ipse agnoscis factum esse posterius. Bene, inquies, ergo fatendum, *elici abusum* posse ex Lutherana doctrina. Quid hoc: *abusum elicere?* Multos abuti sana doctrina deploramus, at *jure* quidquam mali inde *elici* negamus, nec dixit Form. Conc.

§. 168.

§. 168. Lutherum, Brentium, Bugenhagium, Heshusium, aliosque, *ubique* fateri ais hanc difficultatem *premere* sententiam suam, p. 299. Quid tibi Vite! cum his viris? Non credo te quidquam tale in quoquam horum observasse, nisi saltem singulos locos ex singulis his magnis viris demonstraveris. Num grave fuit, si exscribere verba noluisti, vel librum paginamque indicare? Eadem pag. nescio quam, historiam, an fabulam? narras de Georgio Mylio, cujus maximi viri tu forsasse nihil legisti, conviciaris autem in primis fuisse, qui primæ ecclesiæ Lutheranæ sententiam ad Semi-Pelagianismum traduxisse videantur, quia in alio libro, forte *Strimesii* kurtzen Entwurff der Einigkeit p. 97. id invenisti; Quæ res in viris, qui historiæ sacræ peritiores esse debebant, miranda. Lepidum errorem errasse Mylium refers, teste laudato Daniele Hoffmanno; rectius autem mea opinione fecisses, si Mylii librum, saltem Hoffmanni, laudasses, quorum, cum tu nihil feceris, quid veri falsique toti narratiunculæ subsit, nec vacat inquirere, nec sane multum refert. Ceterum imprudenter Mylium Brentii verba pro Calvini discipuli cujusdam habuisse narras, viderisque verba illa Brentii ita cruda existimare, ut nemo sit tuorum, cui talia vel exciderint, vel salva vestra hypothesi excidere possint. Hæc omnia disputas p. 300. Mihi vero, mi Vite! pulcherrima

ma ista verba sunt Brentii, ex Exeges. in Joh. cap. XV. p. 260. non ut tu ponis, 360. (hæreo an operarum sit error, nam & supra §. 9. præf. aliqua observata sunt, quæ suspicionem faciunt te non uti ipso Brentii libro, sed aliorum fide) laudata. Salva vestra hypothesi, talia, quæ Brentius ibi dixit, dici non posse, facile tibi credimus. Vestram ais hypothesin esse: *reprobos nunquam regenerari*, quam hypothesin sane Brentius non habuit, quem eo ipso à Supralapsariis alienum fuisse, tui oblitus, fateris. Vin' ut, quæ præcedunt apud Brentium, pag. 259. b. huc describam: *Non tamen vult mortem peccatoris, si resipiscat & convertatur; Itaque juxta hujus loci sententiam pater tantisper eligit, dum tu in vite manseris, & fructum feras; Rursus tantisper abjicit, dum tu fueris extra vitem, & nullum fructum feras. Atque hæc quidem pro nostro captu, & quantum ad homines attinet, disseruntur. Nam, ut Paulus Rom. XI. scribit, donum fidei quod huic aut illi modo collatum est, rursus aufferri potest & alteri dari, quoniam tu, inquit, excideris, & illi rursus, si non permanserint, in incredulitate, inserentur. Potest enim DEUS denuo illos inserere, nam vide, quid illud sit, quod in Psalmo canitur: Cum electo electus es, & cum perverso perversus.* Hæc proximè sequitur locus à te p. 300. Apologiæ tuæ descriptus. Num ista quoque crudiora sunt, quam ut Supralapsario possint excidere? Vides Brentium Lutheranum esse, vides non tuto aliorum au-

ctorum

ctorum allegationibus fidem haberi, vides parum ſuccedere, quoties ex antiquis noſtratibus Theologis, quorum videris penuria laborare, aliquid laudaturus es.

§. 169. Buddeum Vitus ait ſuæ eccleſiæ ſententias ignoraſſe videri, p. 300. extrema. Argumenti gravitas dudum ridere vetat. Itaque pergo. Pag. 301. demum verè & ut decet ait: Quæ, quanta, qualis, quæſo hæc eſt propoſitio: *Quacunque ſententia abuti homines poſſunt, ea fidei ſocietate indigna eſt.* Eſt hæc ſane trivola propoſitio, ſed Buddeus ceterique noſtrates tam obtuſo telo non pugnant, ipſe enim Vitus obſervavit dogma ſuum nobis *venenum* appellari, quod deteſtamur non ob *abuſum*, ſed quod & *uſus* in humano corpore non poſſit non eſſe noxius.

§. 170. Pag. 302. ea Vitus loquitur, ut quæ contra præſcientiam à nobis DEO aſſertam ſub larva Sociniana diſputavit, ex animi ſententia diſputaſſe credendum ſit. Ita ille: *Quæ hactenus de divina præſcientia adverſus te, doctiſſime Moshemi! dixi, ea ita mihi omni exceptione tua videntur majora, ut nihil ſit, quamobrem hic mihi à tua eruditione facundiaque quidquam metuam. Tantumque huic meo argumento tribuo, ut tota hac me cauſſa cecidiſſe ultro largiturus ſim, ſi non dicam, mihi, ſed idoneo cuivis arbitro, ſed iis fidei tuæ ſociis, qui ſapiunt, ſed ipſe denique tibi reſpondendo argumentandoque feceris ſatis.* Dicam paucis, quid ſentiam. Facundia & erudi-

tione

tione hic nulla, nedum doctissimi Moshemii, opus est; argutationes omnes, quibus tantum tribuit Vitus, stipula leviores vidimus; hoc vero postulat insignis viri fiducia, ut credamus, non dolo malo egisse hoc quidem argumentum; quod vero melius & perspicacius videre nondum potuerit, patienter feramus, & vere liberam mentem, atque intelligendi majorem facultatem divinitus largiendam bono Vito apprecemur. Ad laqueos binos, quibus induisse Moshemium Vitus sibi videtur, Simsonis viribus æquo animo careas. Hi sunt: 1) ut doceatur è doctrina nostra de præscientia divina, non sequi ea, quæ Supralapsariis objiciuntur, neque uti nos oportere in respondendo, argumento horum; 2) licere esse salva Lutherana hypothesi de præscientia divina, Lutheranum, h. e. nec Manichæum, nec Supralapsarium, nec Spinozæ sectatorem. In tota re, mi Vite! ita versaris, ut vicem tuam doleam. Utinam intelligeres, quam parum ad rem sit monitum tuum, pag. 303. *Noris, Moshemi! hic non agi de divinarum perfectionum abysso, audacius scrutanda, sed de solvenda contradictione, qua nihil illustrius esse potest, nihil crassius, quamque ipsæ voces, quibus utimini præ se ferunt. Num neque hominum abjectissimus infallibiliter quidquam præscire potest, nisi necessario futurum, nisi in caussis, quas necessario nexu, cum eo, quod futurum est, aptas conjunctasque esse oportet; præsciri infallibiliter,*

biliter, & aliter fieri non posse, quam quomodo præscitum est, synonima plane sunt. Quid ais, optime Vite! Quia *abjectissimi homines* nihil præscire possunt infallibiliter, nisi quod necessario futurum est, ergo & DEUS nihil præscire potest, nisi necessario futurum. Immo DEUS, cum non sit *homo abjectissimus*, sed *omniscium numen*; intelligit & præscit futura omnia, sive nullo, sive aliquo nexu necessario contingentive futura sint. Synonima planè sunt: *præsciri infallibiliter, & aliter non futurum esse quam quomodo præscitum est.* Verum *præsciri infallibiliter*, & *aliter non posse fieri*, nemo Philosophorum pro eodem habet, & sunt diversissima. Quod si hæc non intelligis, à libris scribendis abstinendum fuerat Vite! Falleris longissimè cum *necessitatem* rerum futurarum præscientiæ divinæ vel caussam, vel ea certè priorem è Lutherana sententia dicis, debueras *certitudinis* vocabulum ponere. Simile, de prævisa à Mathematicis eclipsi, non, usque quaque bonum est, quodque adeo jam olim Luthero displicuit, nam DEUS non ita otiosè præscit futura, ut nihil in illis ac de illis ipse agat, dirigat, moderetur, &c. quemadmodum mathematici in prævisa eclipsi plane nullæ partes sunt: Hactenus tamen commodum est, ut *præscientiam* per se spectatam extra res esse, neque rebus ullam imponere necessitatem appareat. Itaque ea similitudo, qua & Philosophus tuus

in

in eodem argumento utitur, imposterum convicio tuo carere poterit, *qua nihil scelestius esse* p. 305. dicis.

§. 171. Quod tibi videtur p. 306. ex Lutherana similitudine de prævisa eclipsi consequi, nempe illud, ex quo DEUS futurum malum ab æterno noverat, à diverso quodam principio pendere, minime absurdum, sed ipsissima veritas est, modo voculam, *æterno*, quam ibi posuisti, omittas. Est sane diversum à DEO principium mali, est infernalis genius, per quem peccatum intravit in mundum & per peccatum mors. Sed non est *æternum* principium, quod vero DEUS ab æterno, ut futurum olim mali principium, prævidit. Totus cohorresco Vite! ad verba tua p. 306. extrema: *Admittenda autem & magnopere laudanda est hæc similitudo, si dixeris, DEUM eadem ratione mentium futurarum eclipses infallibiliter ab æterno perspexisse, qua ratione cœlestium corporum labores accuratissime ab æterno cognavit.* Hos DEUS ut suum proprium opus & ordinis sui necessarium consequens prævidet, ergo & diabolorum & hominum peccata ut suum proprium opus & ordinis sui necessarium consequens prævidet. Vellem lubens voculas *eadem ratione*, ita accipere, ut intelligatur interna præscientiæ divinæ ratio eadem esse & pariter infallibilis, sive malum præsciat, sive bonum, sive res naturales, nec respiciatur ad futurarum rerum conditionem;

nem; ſed hanc acceptionem abire à mente tua palam eſt, cui ideo diſplicet noſtra de eclipſi ſimilitudo. Itaque palam facis DEUM *autorem mali.* Utinam tu nunquam quidquam ſcripſiſſes, qui ita miſere cauſſam tuorum prodis. Quanto cautius Calvinus ſcripſit, *Inſtitut. L. 1. cap. 4. §. 16. Atqui, quum à DEO conditus ſit diabolus, hanc malitiam, quam ejus naturæ tribuimus, non ex creatione, ſed ex depravatione eſſe meminerimus. Quicquid enim damnabile habet, defectione & lapſu ſibi accerſivit. Quod ideo nos admonet Scriptura, ne talem credentes à DEO prodiiſſe, DEO ipſi adſcribamus, quod eſt ab eo alieniſſimum.* Quam vellem tua verba Vite! explicari poſſe, ut jam monui, de *certitudine,* in qua ſimilis eſſet peccatorum & eclipſium præviſio, ſed, reliqua tua hanc explicationem non admittunt. p. 307.

§. 172. Quæ p. 307. 308. acerbiſſima ſunt convicia, meo more prætereo. P. 309. Proteſtatur Vitus, non licere eo devenire Moshemio, ut *rationem captivandam* dicat. Mi Vite! cum ad ſcripturæ mandatum *captivare rationem* jubemus, non hoc volumus, ceſſare debere uſum rationis, ſed ut comprimamus in rebus myſterio plenis cupiditatem ſciendi, quæ nobis non datum eſt aſſequi. In hac cauſſa, quam nunc agere Moshemium vis, ut à Socinianorum calumniis doctrinam de præſcientia divina tueatur, neque utatur Supralapſariorum ſcuto, nihil eſt μυϛηριῶδες, nihil

nihil quod non ex ipſa ratione facillime refutetur. Quod breviter quidem at invictè præſtitum eſt. Ad p.310.311. nihil reſpondere opus eſt.

§. 173. Doctrina noſtra de peccato originis, communis quidem illa cum Reformatorum cœtu, conſiſterene poterit reliquis noſtratium ſalvis hypotheſibus? Vito id quidem non videtur p. 311. 312. ſequ. Age, videamus, ſed quam poteſt fieri, breviſſime. Bonitati repugnat doctrina de peccato originis; audiamus verba Viti: *Divina bonitate ſatis indignum eſſet, at ferri tamen quodammodo poſſe videretur,* (contradictoria ſunt, *Deo indignum eſſe & ferri poſſe.* Itaque omitte prima illa verba, omitte, *τὸ quodammodo, τὸ videtur,* quæ voces hic nihil ſignificant, & dic: *ferendum eſt*) *ſi judex creator primorum parentum poſteros iis tantum malis afflixiſſet, ſine quibus traduci ex parentum lumbis, niſi mutato rerum ordine non potuiſſent.* Bene; mi Vite! hæc eſt publica noſtra doctrina de peccato originis: poſteros iis malis, neque aliis affligi, ſine quibus traduci ex parentum lumbis, niſi mutato rerum ordine, non potuiſſent. Ita in *Aug. Conf.* art. 2. confitemur, *quod poſt lapſum Adæ omnes homines ſecundum naturam propagati naſcantur cum peccato, hoc eſt, ſine metu DEI, ſine fiducia erga DEUM, & cum concupiſcentia* &c. Hæc ſententia, ſi ferenda tibi videtur, age, deſinamus pugnare; perorata cauſſa noſtra eſt.

est. Sed pergis: *Ejus peccati, quod admissum prius erat, quam existerent, cujusque rationem omnem, nisi quibus sacras literas consulere datum est, cum ignarissimis ignorant, & culpam & pœnam innocentibus imputari, id vero, si rationem Lutheranam audias, non potest non videri longe crudelissimum.* Si Lutheranæ rationi hoc crudelissimum videtur, ergo non docent id Lutherani; si docent, necesse est non videri ea Lutheranæ rationi crudelissima. Alterutrum necesse est esse. Nosse potuisses Vite! si familiariores tibi nostrates essent Theologi, in publicis confessionibus non haberi, imputari nobis primas transgressiones protoplastorum, nisi quatenus naturam eandem, quæ in lapsis est, natarali propagatione accepimus, quæ labes gravissima & non satis deploranda pestis est, minime vero aliena, sed nobis inhærens, neque enim alienum peccatum, sed suum confessus est David: *Psalm.LI. in peccatis conceptus sum.* Multos nostrorum Theologorum fateor in ea esse opinione, ipsum *actuale Adami peccatum* pertinere etiam ad posteros, idque cum ex *Rom. V.* 12. tum aliunde demonstrare satagunt, quorum argumenta in b. *Joh. Adam. Osiandri*, *Cancellar. Tubing. Colleg. Systemat. Loc. VII. thes.* 9. fuse exposita sunt. Sed neque horum quisquam, hoc quod imputatur, peccatum Adami ut alienum considerat, imputari enim nobis dicunt, prout in Adamo tum capite natu-

rali tum etiam morali contenti eramus. Sapienter etiam b. Buddeus *Theol. Dogmat. p.627.* quo loco adversus Dan. Whitbium disputat, monuit, poni à nostratibus fundamenti loco, unde omnis imputatio derivanda est, propagationem peccati originalis per generationem naturalem & tum demum Adamum ut caput fœderale generis humani spectari posse. Quæsitum etiam aliquando est, *an etiam proximorum parentum peccata transeant in liberos?* Affirmavit b. *Joh. Gerhardus, LL Theol. de peccat. orig.* §. 100. sed modestissime subjecit: *Non improbabiliter hoc dici asserimus, non ut fidei articulum propugnamus.*

§. 174. Pag. 313. Vitus sic ait: *Quodsi DEO per summam suam bonitatem non licuit necessario peccaturum hominem producere: multo minus licebit producere necessario peccantem.* Ultima hæc verba: *producere necessario peccantem* laborant ambiguitate, vel enim hæc est sententia: DEUM nova creatione producere hominem, qui necessario peccet. Hoc modo conceditur Vito consequentia quam nectit, sed DEUS talem hominem non creat. Vel hoc sibi vult: DEUM generali sua providentia conservare facultatem ut ceteris animantibus, ita primis hominibus concessam, tales generandi, quales ipsi sunt, ut adeo necessario ex corrupto semine liberi corrupti & peccantes nascantur. Hoc sensu nulla est consequentia, minime enim sequitur: si

DEI

DEI bonitati repugnat hominem, qui necessario peccet vel peccaturus sit, producere, ergo repugnat bonitati divinæ concedere creaturæ immutabili decreto facultatem non alios gignendi liberos, quam qualis ipsa est. Ceterum in modo propagandi peccati orig. abyssum mihi imperscrutabilem esse, sæpius jam fassus sum, at hoc certum manet, esse illud in nobis, quocunque modo sit illatum, à DEO certè non esse, atque ab eodem, ut nostrum, non ut alienum, imputari.

§. 175. Viti verba p. 313. extrema: *Cum non possit immaterialis substantia nisi immediatè creari,* sapiunt ingenium viri, ut cetera fere omnia, confidentissimum. Qui intelligendi facultati suæ tantum tribuit, ut ajenti sibi, nullo licet argumento posito, credi postulet, proximus est lapsui, hoc exemplis multis observavi, & nollem tuum Vite! accessisse. Quis te docuit *immateriales* substantias non nisi *immediate* creari posse. Quid si DEO placeret *mediate* creare? Per te non licebit? Non possum, inquies, capere, qui fiat ista mediata creatio. Immo, nec, qui immediata fiat, capere poteris. Ego cum gravissimis Theologis in ea semper sum sententia, ex hominibus homines non corpora sola generari, animarumque, quamvis sint spiritus, existentiam non creationi immediatæ, sed efficacissimo DEI verbo: *crescite & multiplicamini*, deberi. Atque hic rationem captivari

velim, quæ si velit etiam altissimè evolare, nihil assequetur.

§. 176. *Sanctissimi procul dubio fuisset, liberare prius à corruptione connata semen, quam ex eo propagaret hominem, quem certissime noverat nonnisi peccaturum. Certe nisi voluisset DEUS tale opus, tale nunquam, cum facillime aliud posset, produceret. Sed per summam suam sanctitatem, qualem communiter sibi fingunt, neque velle neque producere potest opus divina sanctitate indignissimum.* Sic Vitus p. 313. 314. Quædam, quæ hic disputas Vite! ad sanctitatem, quædam ad sapientiam Dei pertinent. *Sanctitatis* idea §. 43. tradita, minime læditur permissione propagationis peccat. orig. neque enim quidquam imperfectionis sibi attrahit, qui creaturam liberam, eaque libertate à se conditam invehere malum & propagare permittit; neque vero *producit* DEUS, scil. immediate, hominem *malum*. Cetera, quæ ad sapientiam divinam in tuis verbis magis referenda videntur, quam ad sanctitatem, studio omitto, quid enim nos homunciones, quomodo DEO fines sui obtinendi sint, disputabimus? Pag. 314--319. experiri videtur voluisse Vitus, quantum Christianam suamque adeo, quam profitetur religionem, criminando, traducendoque, possit. Non hoc unquam à nobis obtinebitur Vite! ut empæctas sanctissimæ fidei nostræ vel hili faciamus, neque hoc, ut armis utamur Supralapsario-

psariorum. Non eo deventum est inopiæ; *Branchidarum* nobis narras supplicia iniquissimè per Alexandrum M. sumta. Fuitne in istis miseris, quod vindicaturus videbatur Alexander? non fuit; ergo injustissimus Alexander. Estne in hominibus, quos DEUS *mortis filios* declarat, aliquid in se morte dignum? habet; Ergo justissimus est Deus, qui quod invenit morte dignum, mortis reum agit, neque tamen, licet posset, ob id solum, actu condemnat.

§. 177. Debes Vite! amico meo integerrimo, ut te dignum putarem refutatione, nam insignis copia paralogismorum & falsorum, quæ inter legendum observaveram, fere persvasissent, ut missum te, exemplo virorum, me longe doctiorum, facerem. Huc pertinet, quod scripsisti, p. 320. *Quis eam justam pœnam existimare posset, si quis tyrannus, quem v. g. in adulterio deprehendisset, ita puniret, ut ex hac pœna non posset non cum omnibus posteris adulterari.* Sunt & prædonibus suæ inter se leges; quidni & calumniatoribus? Quodsi ergo, Vite doctissime! tulit impetus calumniari doctrinam Lutheranam, saltem oportuit scire, quid docerent Lutherani, ne, cum hos aggressurus es, Turcas fortasse aut Æthiopas petas cæcis ictibus. Quis vero unquam Lutheranorum dixit *peccatum originis esse pœnam primi peccati Adami & Evæ*? Contra quem igitur ista arma expedis? Ead. pag. extrema, recte negas, *humanæ virtutis rationibus divinam metien-*

dam esse. Si intelligas perfectionem summam in DEO, imperfectionem in homine. Verum generalis idea virtutum in humanis divinisque eadem est. Pag. 321. Deistæ, nescio, cujus verba, quæ cum Dan. Whitbyo contulisse narratur, recitas Vite! cui bono quave fini? Verane videntur, quæ is contra Scripturæ S. autoritatem è doctrina de peccato orig. impiè disputat, an falsa? Illud, cum Supralapsarius sis, non dixeris; hoc si est, quid nos premis hominis impii insania?

§. 178. Permissio mali speciatim exagitatur à Vito nostro pag. 321. hanc indignam DEO putat, si Lutheranæ valeant hypotheses. *Bonum* esse negat, qui, quem amat, patitur, cum posset impedire, miserrimum fieri. Huic objectioni respondetur facile, si teneas *boni* esse, non nisi bona dare illi, qui amatur, & quatenus amore se non fecit indignum; at, qua ratione dispensanda sit bonitas, *sapientiæ* est, quam à nobis definiri non posse plus semel dixi; Quin dic Vite! estne malum aliquid illa libertas, quam DEUM Lutherani primo homini tribuisse affirmant? non dices; vel, si dixeris, quod non spero, dissentientes à Te mortales omnes experieris, qui malum esse negant, hominem esse viribus benè agendi instructissimum, quibus tamen abuti, si velit, possit. Si bonum est illa ex Lutheranorum mente accepta libertas, quæ in indifferentia ad utrumque oppositorum consistit, non poterit non esse

bona

bona permiſſio DEI utendi abutendique iſta ſapienter conceſſa libertate. Pag. 323. fine, hæc ſunt verba Viti: *Veri amoris eſt, quem ames, eum vel invitum reluctantemque reddere, quantum quidem poſſis, feliciſſimum.* Hanc non eſſe ideam amoris, & res uſùsque & ratio docent. *Res & uſus* docent; nam bonus princeps cives ſuos vere amat, neque minus tamen reluctantes refractariè, gravi, capitis etiam ſupplicio, merito afficit, neque in iis ſolum ſceleribus, quibus lex divina ſupplicium deſtinavit, ſed & in aliis. *Ratio* docet, nam hæc ſi idea bonitatis ſit, tolleretur divinarum pœnarum ratio in univerſum; nam poſſe, quod ad vires attinet, DEUM ſceleſtiſſimos quosque invitos felices reddere, dubio caret. Qualem amorem parentes vel habeant vel certè debeant habere liberorum ſuorum, non diſputamus, ſed qualis in genere amoris idea ſit. Nam parentibus ſunt quædam divinitus leges datæ, ad quas iſte exercendus amor ſit; DEUS autem, qui ſupra leges eſt, habet quidem verum amorem, cujusque ideas vidimus, at non ea ratione iſtum exercet, qua nos putemus fieri oportere; hoc enim ſapientiæ eſſe conſtat. *Beatitudinem* autem divinam non lædi iſta permiſſione mali, cum ſupra §. 160. demonſtratum ſit, actum agere nolim. Leibnitii definitio amoris p. 325. laudata non diſplicet, & percipere ſe voluptatem ex humani generis fe-

 licitate

licitate DEUS testatur, & dolet non admittere omnes homines eam felicitatem. Sed & *dolor* & *voluptas* ita accipiantur oportet, ut *interna* DEI *beatitudini*, semper in se perfectissimæ, nihil vel accedat vel decedat.

§. 179. Planè tollitur mali permissione divina *Sanctitas*, si Vito credimus, p. 326. Nam, cum sanctitas DEI consistat in tenerrimo amore sui, amare autem se non dicendus videatur, nisi qui & velit & efficiat, quantum in se est, ut ab omnibus ametur, sanctus amplius esse nequit, qui permittit homines dari, quibus ipse odio sit. Huc redit quæstio: Vite Clarissime! an repugnet amori, quo se DEUS amat, libertatem Lutherano sensu acceptam creaturæ concedere? Si ais, proba! quòd sane non poteris, nisi ipsam libertatem dicas mali aliquid esse; Sin bona est, ergo nec illud malum, vel sanctitati contrarium est, permittere, ut, qui ista libertate donati sunt, ea utantur. Indignus viro Philosopho paralogismus est pag. 327. cum ita argutaris, Vite! Si mens creata, quod posset impedire malum non impediens, peccat: multo magis Deus, si non impedit quod posset impedire. Nam 1) hominem leges superioris obligant, DEUM nullæ tales leges. 2) Homo non potuit hominem libertate instruere, cujus deinde usus concedendus esset; at DEUS & potuit hoc facere, & fecit. Neque adeo peccat contra sanctitatem suam permittendo ejus libertatis usum; quam ipsam

ipsam cum concederet, sanctitatem suam non læsit. Ergo, inquis, divinæ sanctitatis rationes aliæ sunt, quam humanæ; ego vero ajo esse eandem ideam, quæ postulat, ut ab eo, qui sanctus sit, nihil mali proficiscatur, utque sit à vitio & imperfectione alienus. Hæc vero sanctitas DEI per nostras hypotheses salva est.

§. 180. Male dicit Vitus, p. 327. *Si divinam sanctitatem ad humanæ leges exigas: DEUS est omnium eorum peccatorum & auctor & reus, quæ à quocunque homine, unquam usquam, aut admissa sunt, aut admittuntur, aut admittentur.* Immo, ut homo, qui magis est ab omni imperfectione alienus, eo magis est sanctus: ita, si divinam sanctitatem ad humanam referas, ideo sanctissimus est DEUS, quod ab imperfectione est alienissimus. An vero, qui hoc dicit, admittere cogetur, DEUM esse omnium peccatorum auctorem & reum? Videris ignorare Vite! quid tibi velis? Fortasse hoc voluisti, DEUM, si habeat leges, quas homines habent, quibus sæpe fit, ut, quæ non impediunt mala, ipsis imputentur, tum reum fore malorum omnium, quæ non impediat. Hoc modo non falleris, sed tum oportuisset scribere: *ad leges humanas*, non ut factum à Te est, *ad leges humanæ*, intellige, *sanctitatis*, ut cautius te scripsisse jam observo p. 344. Eadem pag. 327. ita Vitus rectissime: *Ne negare quidem possunt Lutherani, DEUM ex sua sententia id agere, quod si agant homines, auctores peccati*

peccati rectè justeque & existimentur & dicantur & puniantur. Rem acu tetigisti Vite! neque enim negat, quantum sciam, quisquam Lutheranorum. Quod si inde elicere velis, non esse igitur *sanctitatis* in *DEO* & *homine* eandem rationem, palam est te falli. Leges non habet DEUS, homo habet, itaque multa non licent homini, postquam aliter fieri lex superioris jussit, licerent, si lex non jussisset; licent DEO, cum nec possit à quoquam, nisi suis promissis, obligari.

§. 181. Inusitata aliis, at Vito usitatissima confidentia scripta sunt verba §. 53. p. 328. quæ describere non vacat. De Tertulliano nolo disputare, sed, si nihil Manichæis hæreticis, saltem ejus hæresis prodromis, majori specie regerere potuit, quam sequi ipsum bonum DEUM, ubi nempe permiserit ab altero malo DEo captari malum, esse eodem jure peccati autorem constituendum; misere disputavit. Nam, si uterque independens est, ut Manichæi videntur statuisse, quid imputatur alteri, quod alter fecisset? Negandum potius fuerat solidis rationibus fieri posse, ut duo æque independentes extent. Ipse vero hic sui oblitus est Vitus, qui cum sæpius dixisset, aut *Manichæum* fieri oportere, qui sapere velit, *aut Supralapsarium*, jam pag. 329. nec *Manichæos* effugere posse putat, solos Epicuræos ab hac difficultate liberos existere. Hoc tantum osorem contradictionum, quantus Vitus est, non decet. §. 182

§. 182. Extrema pag. 329. est aliquid Vitei quod malam artem prodit. Ita scribis: *Sentient hic Lutherani, quæ difficultati huic respondent, ea præclare jam à Marcione refutata esse.* Quid ergo respondent Lutherani? quid refutavit Marcion? Hæc verba Marcionis recitas: *Et hoc melior aliquis DEUS aut nescit aut sustinet? Si, ut ex hoc melior inveniretur, quanto creator deterior haberetur, satis & in isto consilio malitiosus, qui & illum voluit oneratum operationibus ejus admissi, & seculum in vexatione detinuit; Quid de tali medico judicabis, qui nutriat morbum mora præsidii, & periculum extendat dilatione remedii, quo pretiosius aut famosius curet?* Obscuriora hæc apud Tertullianum Marcionis verba intelligentur maxime è simili de *Medico*. Refutat igitur Marcion eum, qui dixerit, Deum ideo fuisse deteriorem creatorem, ut deinde, emendando scil. istud malum, melior inveniretur. Itane vero Lutherani loquuntur? Num hi quidquam mali in homine, prout à Deo est conditus, fuisse concedunt? Utinam Supralapsarii ita facile propulsare idem crimen possent, ut Lutherani! Te vero non puduisse talia tribuere Lutheranis vehementer miror. Vin' scire, quid Lutherani respondeant? Dicam paucis: largiri Deus homini libertatem salva & sanctitate & justitia & bonitate, cum nihil mali sit illa libertas, potuit, itaque & usum hujus libertatis, prouti vellet homo, potuit permittere. Superest quæstio: *Cur* placuerit

rit Deo libertatem, quam impedire ipse nollet, homini concedere? Ad hanc, quia de sapientia Dei jam sermo est, non puto homini esse respondendum.

§. 183. à p. 330. ad 344. profudit thesaurum collectaneorum suorum Vitus, locis undequaque conquisitis, qui de permissione mali difficultates cient, quibus omnibus satis erit opposuisse, quæ præcedenti §. 182. in fine dixi. p. 344. ad Verba Viti aliquid monendum. Ita ille: *Si justa & sancta est primi peccati ad omnes Adami posteros pertinens imputatio, nihil minus sanctum, nihil injustius Deo fingi potest.* Exposui supra §. 173. publicam nostram confessionem, de imputatione peccati Adami, prout ab ipso commissum est, nihil habere, Theologos omnes autem qui eam docent, fundamenti loco ponere, quod ex Adamo omnes geniti sumus. Rei ergo sunt homines damnationis, non ob *aliena* sed *ob sua peccata*. p. 344. lin. ult. Vitus cum larvis pugnat, quis enim dixit Deum iis legibus obligari, quas ipse humano generi tulit? Sed quæ hic observanda sunt, jam exposui §. 180.

§. 184. p. 346. Vitus: *Quæcunque Deus sanctè permittere potest, ea sanctè etiam decernere potest.* Credine hoc vis tibi Vite! ajenti, an demonstratum jam atque adeo poni reris posse? Illud quidem non impetrabis; hoc vel factum esse, vel fieri posse nego. Itane disputamus? *Permittere & decernere*, h. e. auctorem facti esse,

&

& non esse auctorem facti, idem erunt? In eo πρῶτον ψεῦδος est, quod libertatem creaturæ dari posse à Deo non expendit secum Vitus, & notionem libertatis falsam fovet. Eadem pag. negat Vitus sibi satisfactum iri, si quis ut b. Meisnerus & doctissimus Hamburgensium Theologus Joh. Christoph. Wolfius fecere, responderit, *nam qui quæstionem magis curiosam quam fructuosam putet, neque se teneri credat ad respondendum eo ipso fateri difficultates esse ἀλύτης.* Distinguendæ sunt mi Vite! plures quæstiones: Quæritur 1) an Deus permiserit malum? 2) an sancte permiserit? 3) an juste? 4) an consistat ista permissio cum amore divino in homines? denique *cur* cum libertate, qua abuti homo posset, qua & abusurus erat, hominem creaverit? Quatuor istis quæstionibus incunctanter respondemus affirmando, & si qua videntur objici posse, ea nulla esse liquido ostendimus. De ultima quæstione *cur*? modeste cum Meisnero omnes censemus esse humanis viribus superius, neque involandum in sapientiæ divinæ arcana. Quod cum dicimus, nulla est ἄλυτος difficultas, neque eodem effugio illi licebit uti, qui *decernentem Deum mala*, tueatur; non enim hunc quærimus; *cur* decreverit Deus mala, ut ipse respondere possit, de *ratione* non esse disputandum; sed idoneis rationibus convincimus non decrevisse Deum mala, & ab sanctissimo Deo tale decretum esse alienissimum

mum. Quod, cum tam facile ſit, non obſervatum à Vito, miror.

§. 185. Pag. 348. Vitus haud magnopere ſe vereri ait, ne Moshemius ceterorum Theologorum, quorum verba p. 347. &c. laudata ſunt, reſponſione utatur. Illi negant Deum legibus obſtringi, itaque, quæ hominibus ideo non licere conſtat, quod legibus prohibeantur, non ideo nec Deo licere. Hoc vero reſponſo cur non utatur Moshemius Vite! *inſulſum*, inquis, *fateri ſe debet*, *quod in arguenda Supralapſariorum ſententia divinas virtutes ad creaturarum decempedam impie exegiſſet*. Id vero Moshemius non fecit, nec quisquam Lutheranorum exigit ad decempedam noſtram Dei perfectionem. Juſtitiæ autem generalem ideam, ſanctitatis, bonitatis &c. in Deo & hominibus eſſe aimus, & ſimul tuemur Deo per juſtitiam multa licere, quod nullis legibus teneatur, quæ homini, qui legibus tenetur, minime licent per eandem juſtitiam. Dilemma, quo utitur Vitus, p. 348. non ferit nos. Ita argutatur: *Aut nunquam Deo ſalvis ſuis virtutibus ea agere licet, quæ, ſi ad virtutum humanarum decempedam exigas, minus bona, ſancta, juſta videantur &c. aut Deus ſuperior legibus, quas homini tulit, ea decernere, permittere, agere, bene, ſancte, juſte, poteſt, quæ ad humanorum officiorum rationes exigi neque poſſint neque debeant*. Conceditur hoc poſterius, poſſe Deum ſancte juſteque agere, quod hominibus non licet, in omni-

omnibus illis, quæ ex *lege* deducenda sunt, quam Deus nullam habet. Sed negatur Deum unquam quidquam facere aut facturum esse, contra eas notiones generales justitiæ, sanctitatis, bonitatis &c. supra §. 40. ss. expositas, quas non fecimus nobis, sed ex Scriptura haustas accepimus.

§. 186. Vitus se ait demonstrasse, libertatem, quam nos à Deo creaturis inditam tuemur, quaque & abuti possent & abusuræ erant, indignam esse divina bonitate, sanctitate, justitia, si divinas virtutes humanis metiaris. Sed, mi Vite! tolle hunc unum respectum ad *leges*, quæ ad Deum non pertinent; in ideis omnibus autem communibus, quas de his virtutibus habere debemus, pone divinam justitiam, bonitatem &c. cum humana justitia, bonitate &c. congruere, licet illa infinite perfecta, hæc imperfecta sit; & tum experire, an concessio istius *libertatis*, cum *notione justitiæ, sanctitatis* &c. pugnet? Facile apparebit, non pugnare. Nam, quocunque te vertas, *libertas* illa nihil mali est, neque ab eo, qui eam concedit, malum proficiscitur. Porro experire, an notiones illæ justitiæ, sanctitatis, bonitatis divinæ, consistere possint cum hypothesi illa, qua *decrevisse Deum malum* dicitis? tum facile liquebit non posse consistere. *Cæcos* nos putat, qui non videamus *libertatem hanc* esse originem mali; sed nos *nimis oculatum* putamus, qui hoc videat. Li-

bertas, cum res optima sit, non est origo mali, at abusus libertatis est origo. Recipit se denuo ad præscientiæ infallibilitatem Vitus p. 351. & exsculpere inde necessitatem proprie sic dictam conatur. Sed quid laterem toties lavemus? *Cum hac libertate mala omnia conjunctissima fuisse* facilius dicitur Vitel quam probatur. Nexus nullus, nedum necessarius est inter *posse* & *esse*, inter *posse peccare*, & *peccare*. Itaque non sunt mala conjunctissima libertati, etsi ex abusu libertatis certo erant futura.

§. 187. Jam, nisi quid obstet, accipimus Collegas Stoicos, nam hos credit Vitus, Lutheranis olim armis, at infeliciter, depugnasse. p. 352. Noli ridere lector, nam serio videtur Vitus agere. Quid ergo? E Cicerone laudat Vitus non inelegantem locum; ubi Cotta Academico providentiam divinam neganti ideo quod Deus nocitura, e. g. celerem motum cogitationis, tribuisset, respondit: non idcirco non optime esse nobis à Diis provisum, quod multi eorum beneficio perverse uterentur, etiam patrimoniis multos male uti, nec ob eam caussam beneficium eos à patribus nullum habere. Huic Vitus putat commode regessisse Cottam: *Patrimonia spe bene tradendi relinquimus, qua possumus falli, Deus falli qui potuit?* Nos quidem Cottæ respondemus ex Clarissimo Philosopho tuo Wolfio, præscientiam esse extra res, neque

earum

earum mutare naturam. Itaque si patrimonium item si libertas *bonum* est, si beneficium est, non amittet naturam *boni* ac *beneficii*, quicquid de ejus usu abusuve præsciatur.

§. 188. Verba Viti p 356. non merentur quidem responsionem, sed accipiant: *Quodsi ad hæc doctissimus Moshemius cum Celeberrimo Pfaffio dixerit, peccanti saltem viam datam, qua sanctificari possit, nihil afferet, quod defendendæ divinæ bonitati & sanctitati servire posset.* Nos quidem facile hic tibi accedimus Vite! non potest inde probari permissionem mali sancte fieri potuisse, quod Deus media in promtu habuerit, quibus medicina fieret. Sed commode pro demonstranda admirabili sapientia hoc quoque argumentum laudatur. Celeberrimi Pfaffii responsio p. 357. recitata, qua dicit, *Deum liberas creaturas condere decrevisse, virtutisque adeo & vitii capaces, quo supposito Deum malum permittere debuisse, ita, ut, si id impedivisset, fini suo in adversum iturus fuisset*, non placet Vito nostro, ceterum, si demas ultima verba: *Si malum impedivisset, fini suo in adversum iturus fuisset*, non dixit alia doctissimus Pfaffius, quam adhuc à me dicta sunt. Mihi non videtur opus eo usque procedere, ut ita necessaria dicatur mali permissio, ut sine ea fine suo excideret supremum Numen, quæ dubito an mens sit Venerandi Pfaffii, cujus verba p. 12. dissertationis Anti-Bælianæ tertiæ, nec vacat nec opus est excutere. Hoc

eſſet nobis arrogare de ſapientia Dei judicium, quod hominum non eſſe pluribus locis monui. Sufficit, ſalvis ideis omnibus, juſtitiæ, ſanctitatis, bonitatis, quas expoſuimus, permiſſionem mali fieri *potuiſſe; debuiſſe*, quid attinet dicere, niſi poſita *conceſſione libertatis*, nam, ubi ſemel ea conceſſa eſt, *veracitas* divina hoc à ſe expectare jubet, ut uſus facultatis conceſſæ ne impediatur. Ceterum, an fines Dei impetrari non potuerint, niſi conceſſa illa libertate, qua abuſurus homo fuerat, alia, nec mihi explicanda quæſtio eſt. Si Vito contradictoria dixiſſe videtur Celeberrimus Pfaffius, cujus acumen ingenii laudat, cum ipſo tranſigat, nos quidem facile tuemur, noſtram reſponſionem cum Supralapſariis nihil habere commune. Et quæ p. 358. contra Pfaffium, æque an inique? non diſputo, quia viri diſſertationem excutere nolo, ita diſſeruntur: *Si fines Dei iſtam permiſſionem mali poſtulaſſent, poſtulaſſe & malum decernendum, nam qui finem velit, debere & velle media*, ad nos nulla parte pertinere arbitror, qui ita non loquimur. Inter tranſeundum obſervo, placere Vito noſtro p. 358. lin. ult. Auguſtini verba: *Nihil intereſt, utrum ipſe ſcelus admittas, an propter te ab alio admitti velis*. Placent certe mihi quoque; ſed intelligere non valeo, qui effugiant, quin Deum *autorem mali* palam pronuntient, quicunque *voluiſſe* Deum dicunt, ad illuſtrandam gloriam ſuam, mala ab hominibus patrari.

§. 189.

§. 189. Pag. 363. Protestatio Viti non est indigna lectu. Describamus integram: *Quæ vero hactenus pro Supralapsariis dixi, ea nolim Lutherani fratres nostræ ecclesiæ tribuant. Publica enim nostra fides, ut inter omnes constat, tota Infralapsaria. Neque ego licet cum Supralapsariis sentiam, quidquam in publica fide mutatum volo. Id unum egi, ut Supralapsariis patrocinaturus docerem, iisdem & pluribus adhuc difficultatibus ipsos quoque Lutheranos laborare, quæ ita illustres evidentesque sunt, ut mirer, quomodo Lutherani aut tam obtusa esse possint ingenio, ut eas non sentiant, aut tam mala fide, ut dissimulent.* Laudasti modo Vite! in celeberrimo Cancellario Tubingensi candorem, in me si minus laudaveris, feres saltem. Itaque nego mihi constitisse, fidem ecclesiæ tuæ totam esse Infralapsariam, ita enim mecum animo meo cogitabam: si vel negent ad se pertinere Reformati edicta publica regia & electoralia, in quibus utrumque nomen Supralapsariorum & Infralapsariorum proscriptum est; publica tamen fides Reformatorum synodi Dordracenæ dogmatibus & Catechesi Heidelbergensi continetur potissimum. In his, ni fallor, nec nomen vel *Supra-* vel *Infralapsariorum* habetur, nec vel horum vel istorum ratione & opinione *ordo decretorum divinorum*, in quo doctores isti dissentiunt, traditur, utut utrobique haud obscure *particularitas, irresistibilitas, & inamissibilitas* gratiæ doceantur. In sermonibus vero

ad populum, si hic quæras *fidem publicam*, credam Vito meo asseveranti Supralapsarios Lutheranorum loquendi ratione uti. Hinc, pro obtuso meo, quo utor, hoc est, Lutherano ingenio sequi putaram, fidem publicam Reformatorum in Germania nostra nec Supralapsariam nec Infralapsariam esse, sed eam, quæ neutros excluderet, neutris præcipuum quidquam concederet. Jam vero cum edoctus sim à Vito, *inter omnes constare, publicam in Hassia fidem esse Infralapsariam*, pervicacis esset, hoc non accredere. Ceterum candide non videris egisse, ô bone! nec eum præstare amorem ecclesiæ tuæ, quem grati filii matri debent. Tu, cum Supralapsarius sis, cum sæpe disputaris, qui sapiat, vel Supralapsarium vel Manichæum esse oportere, adeoque desipere infralapsariam tuam matrem, quæ alterutri parti accedere adhuc cunctatur, credas; mirari subiit, qui fiat, ut ne *velis quidem quidquam in publica fide mutatum*. Laudo *modestiam*, qua non decere fortasse putas privatum hominem mutare in publicis aliquid. Sed *amorem* mi Vite! desidero, qui suspiria, qui calidissima vota extorquere debuisset, pro fidei ecclesiæ tuæ correctione, quæ in tanto errore cubat, ut *desipere* dicenda sit, cui ingens saltem dogmate Supralapsariorum publice recepto, decus ex tua opinione esset accessurum. At quam frigent in Te omnia. Ita *ne vis quidem* Supralapsarios esse, qui soli mortalium

talium expugnatis præjudiciis ſapere didicerunt, Tuos, vel ſi ſint Supralapſarii, profiteri non vis, quæ corde premant. Hæc Vite doctiſſime! non dixeris bene cohærere. Eſt adhuc, quod Te velim. Proteſtatio tam gravis luculenter prodit *Calumniatoris perſonam* abjectam jam eſſe, quæque dicis, dici ex animi ſententia. Igitur cum hic quoque *difficultates illuſtres & evidentes* profitearis, quæ Lutheranam fidem premant, non calumniatus es ſtudio, quoties eas nobis objeciſti, ut adeo ab re ſit, non uno loco dicere & in vindiciis repetere, conſilium tibi hoc ſolum fuiſſe, ut Lutherani doceantur proprio dolore, Reformatis quoque non ſuaves eſſe, quas elicere conantur Lutherani, ſententias. Nam ſi revera & legitima conſecutione ſequuntur abſona iſta ex Lutheranorum fide, non parcendum eſt duris hominibus, præſertim, cum Lutherano te more acturum ſæpius perhibeas. At non ſtudio calumniantur Lutherani, ſed quod ajunt ex hypotheſibus veſtris ſequi, id legitima conſecutione ſequi, bona fide credunt. In Vito contradictionum tanto malleo, mirati ſunt nonnulli deſultorium animum, qui mox graviſſime aſſeverat, ſequi ex doctrina noſtra, quæ nobis objicit, mox perhibet ſe calumniari voluiſſe. Poſterius hoc levius eſt quam pro Doctoris publici perſona & dignitate. Illud vero ſi factum, ceu hoc loco liquet, ut Lutherano more ſe-

quelas nobis monstraveris legitime elicitas, fateris Lutheranum morem esse bona consecutione è Reformatorum dogmatibus absona elicere. Denique in eo certe à me vinceris Vite! quod tu nobis obtusum ingenium tribuis, nec addito quidem verbulo, unde precari te nobis felicius, appareat; ego te tuo Vite! ingenio judicandi facultatem mihi non sumo, at ut feliciori indies utaris, precor ex animo.

§. 190. Provocatos vult p. 364. Vitus *immites atque à sacra pace improbe abhorrentes Lutheranos fratres*, ut aut probent fieri aliter posse, quæ præscientia Dei prævidit, quam quomodo erant futura, aut esse posse præscientiam sine immutabili caussarum nexu, aut nexum aliunde quam ex Dei voluntate suspensum esse; aut difficultates nostræ doctrinæ objectas iis rationibus expediat, quæ Supralapsariorum non sint, aut denique fateantur, nihil esse se ipsis aut imprudentius aut impudentius. Ego vero cum immitis non sim, & Cypriani, à quo ceteris omnibus rebus longissime vincor, in eo similis haberi velim, quod sanguine suo, si posset fieri, redemtam pacem sacram vellet, feci tamen, ut nihil horum, quæ non omnia sed aliquod tantum probari voluisti; non sit demonstratum, præter illud ultimum, quam conditionem, ut nimis molestam, per tuam æquitatem Vite! licebit defugere.

§. 191.

§. 191. A me non expectabit lector, ut, quæ speciatim de verbis quibusdam Leibnitii, in quibus nobis nec seritur nec metitur, doctissimo Moshemio Cl. Vitus objecit p. 365. sequ. discutiam. Per me quoque licet Vito Leibnitium Supralapsarium, quin ipsis Supralapsariis magis supralapsarium censere, addo nec invidere me Supralapsariis istum virum, neque hoc dissimulo meam hanc mentem esse, in nulla re propius à vero Vitum abesse quam in suo de Leibnitio judicio. Itaque ad pag. 365--370. nihil moneo, nisi ut de consensu Philosophorum parcius gaudeat Vitus, nam sunt qui viros istos, in quantum Philosophi sunt, non eodem pretio, quo tu eos putas habendos, æstimant. Ego totum illud systema, ut enarratum à Te est, à ratione non modo, sed & verisimilitudine alienissimum arbitror, & si quando erit commodum, demonstrabo. Celeberrimi Wolfii fortasse pauca legisti, cujus tu *religionem mutatam* suspicaris. p. 370. Tibi certe non suffragatur in capite caussæ tuæ, nam *præscientia divina invehi necessitatem* negat claris & sæpe jam laudatis verbis, at ille præscientiæ nexus cum necessitate acropolis tua est.

§. 192. Inde à p. 370. Moshemium refutaturus est Vitus, atque ostensurus non obesse Dordracenorum patrum dolum dicam, an æquitatem? paci ecclesiasticæ, quod multiplices sententias inter Reformatos complecti

 ambi-

ambiguo quodam dicendi genere, neque alteri præ altera præcipuum dare, certe neutram damnare voluerint. Itaque magna asseveratione Vitus sed non minori errore contradictionis manifestæ Moshemium arguit, qui, cum Lutheranos synodo Dordracena damnatos ajat, simul contendat, ambiguis verbis latere tantum non omnes & ipsos quoque Lutheranos posse. Sed abit in auras tota contradictio. Verecundi non est negare, nostram de *universali merito Christi, de resistibilitate & amissibilitate gratiæ veram & orthodoxam sententiam* Dordraci profligatam esse, neque huc repetam, quæ copiose dicta sunt. Porro constat, neque negatur à Vito, sed laudatur, Dordracenos Angliæ Regis aliorumque impulsu id egisse, ne quis Reformatorum se damnatum conqueri posset. Itaque fac *Universalistis*, qui in vobis pauci sunt, pacem dari à synodo, nobis tamen, quibus cum illis non convenire constat, quando *universale meritum Christi, gratia sufficiente* & *seria, quæ applicetur*, destitutum, verbis abire videtur à *particularismo*, re conspirat; pax præclusa est. Porro, si pax foret facienda, intuta foret, cum variis opinionibus, quæ à Lutherana veritate abeunt quidem omnes, sed inter se vel conserunt bella, vel aliquando consertura sunt, latibulum paratum sit. Utrumque cum nobis displiceat, cur non utrumque in caussis non futuræ pacis sacræ poni à doctissimo

Mos-

Moshemio oportuit? Quæ cum clara ſint, moleſtam diſputationem de conſiliis Dordracenorum ingredi, nec placet, & ſine fructu futurum foret. Unum addo: ad manus nobis eſſe eam Actor. Synod. Dordrac. editionem, quæ Hanoviæ an. 1620. prodiit, & illam quam Remonſtrantes procurarunt eodem anno Hardevici. Alia videtur Clariſſ. Vitus uti.

§. 193. Pag. 374. ſcripſit aliquid Vitus, quod, niſi oculis meis credendum eſſet, ſcribi à Vito potuiſſe negarem. Recitavit ibi verba aliqua Dan. Heinſii: *Si cui forte in minutioribus diverſitas quædam occurrere videatur* &c. His addit noſter Vitus: *Quo diſſenſum hunc de gratia & merito Chriſti univerſali atque prædeſtinatione ex fide prævisa, ut iſta non opus noſtri arbitrii, ſed divinæ gratiæ donum eſt, optime retulerunt patres.* Si tu hæc Vite! ad minutiora refers, ſcito nos non referre, ſed arbitrari, eſſe hæc de ipſo fundamento fidei noſtræ ſanctiſſimæ, neque nos ſtare velle leviſſimo hoc tuo judicio, qui nec tibi conſtas. Nam, ſi præſcientiæ & divinæ præviſioni &c. tot abominanda objici ſolide poſſunt, quot objeciſti, atque bona conſecutione elici docuiſti, ut §. 189. vidimus, non *minutiora* ſunt, in quibus falluntur Lutherani, ſed quibus atrociora ne eſſe quidem poſſunt. Quid vero putas Vite! nos plane truncos eſſe, quibus perſuadere conaris, Dordracenam Synodum inter *minutiora*

retu-

retulisse, e. g. doctrinam de *merito Christi universali.* Repete mecum Cap. II. doctrinæ Synodi. §. VIII. *Voluit Deus, ut Christus per sanguinem crucis, quo novum fœdus confirmavit, ex omni populo, tribu, gente, & lingua, eos omnes & SOLOS, qui ab æterno ad salutem electi, & à patre ipsi dati sunt, efficaciter redimeret* &c. Ita Synodus Dordracena satis clare nostram rejecit doctrinam, voce *efficaciter* autem callide addita *Universalistis* suis consulere voluit.

§. 194. Neque respondebo Vito, p. 376. exprobranti nobis, quæ in concinnanda Formula Concord. ipse quidem ait accidisse. Quid lectorem juvabit legisse, à nobis nostris, à Vito suis patribus majorem concordiam tribui. Hoc dico me uno volumine compactis uti libris Hospiniani & Hutteri, & legere utrumque. Imperite mea sententia utrimque exprobraretur illa discordia, quæ ante concinnatos canones fuerat, nam Reformatos ab Arminianis, Lutheranos à Synergistis &c. se graviter afflictos conqueri palam est, & cum his decertandum fuisse, deinde in conscribenda formula cum multis monitoribus disputandum fuisse quis dubitet? Sed hoc quidem nunc non agimus. *Universalistas* tuos p. 377. alibique in fidei Lutheranæ sociis censes Vite! at nos non censemus. Itaque nos damnatos esse Dordraci, controversia caret, sed præterea & hoc displicet, dissentientes inter ipsos Reformatos ambigua formula

mula in lites facile eruptura conglutinari. Lepida sermocinatio p. 378. refutationem nec meretur nec accipiat.

§. 195. Quæ p. 379. toto §. 63. disputantur à Vito de probis an improbis? Patrum Dordracenorum consiliis moribusque nec lectoris nec mea, certe caussæ, quam ago, minime, interesse, puto. Transilio hæc omnia, nisi quod ad p. 383. notandum, illaudato more Vitum sic loqui: *Remonstrantium, quos in fidei tuæ fratribus censes, caussam ubique tuam facis.* Moshemium hujus accusationis innocentissimum esse, eruditissima ipsius consultatio docet, sed quid loquatur, parum pensi habet Vitus, modo pungat. p. 393. Vito placuit stilum mutare, ibi enim Moshemium Arminianos in *pæne fratribus* habere ait: p. 395. notam subjecit Vitus, unde hæc verba excerpimus: *Quicquid Lutherani absolutæ reprobationi opposuere calumniarum, id omne in peccatum originis, quod cum libris suis symbolicis tueri adhuc videri volunt, redundat.* Non redundare jam vidimus. Ceterum observet lector, ex animi sententia imputare Vitum, absona, quæ imputat omnia, falsumque adeo esse, quoties studio calumniatus videri vult. Porro videmus, quantum sanctissimis nostris asseverationibus fidei habeat, cum *videri* nos ait *velle*, *tueri peccat. Orig.* Elogium Formulæ Concord. egregium Vitus tribuit: *Nullus unquam liber symbolicus prodiit, qui magis, totus quantus, ex crassissimis fraudibus*

dibus atque dolis consutus sit, si à libro Concordiæ discesseris. Vitus ergo hæc simul credit; Formulæ Concordiæ librum supralapsarium dogma præclare tueri, quod omni conatu nobis persuadere satagit, & *totum quantum*, ex fraudibus esse consutum, ergo aut ibi quoque fallit, ubi, si Vito credimus, Supralapsariis favet, aut certe est *aliqua parte* bonus. Te quidem Vite! nisi ipse dixisses, *libera mente* uti, non facile aliis ajentibus crederem. p. 399. Fraudes & dolos F. C. ita patere contendit pacis sacræ Fecialis, Vitus, *ut ea ne acerrimi quidem infelicis Form. Concord. hyperaspistæ negare aut possint aut soleant etiam.* Quid *possint* Lutherani, peritior judex definiat, quam Vitus est; quid *soleant* ejus est definire, qui plures legit Lutheranorum libros, quam conjicimus Vitum vidisse.

§. 196. De *Halesii*, cujus epistolas Cl. Moshemius edidit, candore, fide, rerum, de quibus scripsit, notitia &c. non minus esset molesta, neque magis fructuosa disputatio, quam de Patribus Dordracenis. Itaque Viti disputatio à p. 399. orta, ad me non pertinet. Ceterum fateor me favere Halesio, si, quod narrat Vitus p. 402. verum est. Farindonum sæpe numero ex Halesio audisse: *Aeternum Vale Calvino sese dixisse, ex quo Episcopium locum Joh. III, 16. interpretantem & urgentem audisset.* Acerbitas in reprehendendo modestissimo Viro, Moshemio, vix erit, cui placeat.

§. 197.

§. 197. Pag. 410. Vitus colligit à se dicta in summam; Argumenta nempe Moshemii, tantum abesse, ut Synodum Dordracenam noxiam paci probent, ut nihil istis canonibus sit utilius. Ridere nec me, nec lectorem, in seria re decet, cum deploranda potius caussa sit: contradicere autem meris verbis pariter contradicenti meris inanibusque verbis, operæ pretium non est. Qui adhuc & Viti & nostra legit, lector prudens, ab utra parte stet veritas, videbit. Unum est, quod tametsi jam monitum, repeto, *callide Lutheranos* cum *Universalistis Reformatorum* conjungi, atque utrosque Synodo Dordracena ferri, dici à Vito. P. 411. scripsit Vitus: *Intelligerent facile Lutherani, nihil aut in dogmatibus nostræ synodi contineri, quod non etiam in libris suis symbolicis deprehendatur, aut &c.* Quid ergo mi Vite! formulam Concord. quæ dogmata Synodi Dordrac. ut tu putas, tradit, tam acerbe proscindere oportuit? ut §. 195. observatum est. P. 414. ad priora redit bonus Vitus: Itaque *Bergenses patres de prædestinatione adeo ambigua decreta perscripsere, ut modo nobiscum (Reformatis) & cum primis ecclesiæ Lutheranæ patribus, sentire, modo ab iis propius ad Melanchthonianos, recentioresque Lutheranos, accedere videantur.* Si hoc verum, qui factum, ut toties crepares summum consensum Formulæ in hoc argumento, cum Supralapsariis? Si hæc *tua libera mens est, affirmare, negare,* prout in

mentem

mentem venerit; Lutherani ea facile carent. Ceterum præclaram tuam observationem de triplici periodo Lutheranæ ecclesiæ ejusque doctrinæ, consultius pressisses domi, in sinu gavisus. Nam, postquam harum rerum gnari audivere, Vitum in classes dispescere, quos ubique à se non visos prodit, scriptores Lutheranos, in varias cogitationes abeunt, prout quisque vel ad ridendum vel ad ingemiscendum magis minusve proclivis est. Per Dei gratiam eandem nec mutatam unquam *in re* doctrinam, publice ecclesia Lutherana profitetur, atque ut deinde quoque ad seculi finem idem fiat, Deum veneramur.

§. 198. Vitus ait p. 415. *Inter omnes autem constat, quam exosa sit hodiernis Lutheranis illa voluntatis divinæ distinctio*, (scil. in arcanam & revelatam) *quod non accideret, nisi præclare intelligerent, convenire huic distinctioni cum iis non posse, quæ ipsi tuentur.* Lector fortasse non vult à Vito doceri, sed ab homine rerum Lutheranarum peritiore, quid exosum, quidve voluptati sit Lutheranis? Mihi certe non est exosa, quamquam non multum ea utor. Ita ut *tria Sacramenta* in apolog. A. C. numerari facile patimur, *duo* autem proprie dicta solemus numerare, cum in re non modo non magnum sed nullum discrimen sit. Eadem pag. *Recte illi ex nostris Lutheranisque fratribus sentire mihi videntur, qui Formulam absolutum electionis decretum cum Luthero tradituram*

fuisse

fuisse existimant. Quos tu Vite! *Lutheranos fratres* nobis narras, qui hoc existiment? Quin aliquem eorum suo appellas nomine? Lepide dicitur: *Formulam tradituram* fuisse. Cur non *tradidit*? fortasse quia falsum agnovit absolutum decretum? Ita plane arbitror. Sed, cum non *tradiderit* Formula *decretum absolutum*, sane quam difficile conjectu est, quid *traditura* fuerit? Nos quidem perjurii toties à te iniquissime rei, sanctissima asseveratione probamus ea, quæ *tradidit*, in quibus cum non sit absolutum decretum, quod, si tibi credimus, *traditura* demum fuerat, non mirum est, neque nos ejus professoribus adstipulari. Ceterum, quid traditura fuerit vel non traditura Formula? non vacat inquirere. Ead. pag. Formula Vito nostro sæpe videtur *præ se tulisse, quam sibi absolutum decretum probetur.* Qui sic Vite? quia e. g. p. 621. errorem horrendum & blasphemum censet, si etiam *in nobis aliqua caussa esse dicatur electionis divinæ, cujus caussæ ratione Deus nos ad vitam æternam elegerit.* Debes hoc ingenio tuo Vite! quod non capis à Semi-Pelagianismo æque abesse licere, ac à Supralapsariismo, quodque frustra tibi adhuc occinuere Lutherani, simul verum esse, nihil plane conferre peccatorem ad salutem suam, neque adeo quidquam in ipso esse, cujus intuitu eligi potuerit, gratiæ autem deberi omnia: Et, gratiam ipsam *universalem, amissibilem, resistibilem* esse. Dura nimis

mis esset nostra conditio, si tueri, quod certum credimus & agnoscimus, non liceret, si Vitus cum altero nostro dogmate stare illud posse, se pervidere negat. Syllogismo Viti p. 416. extrema, nos quidem parum movemur: *Quodsi itaque sola misericordia Dei & sanctissimum Christi meritum nostræ electionis caussa est: aut omnes homines electos esse oportet, aut Dei misericordia & sanctissimum Christi meritum non ad omnes homines, sed ad solos electos pertinet.* Datur *tertium*, ô bone! aut universale illud meritum Christi, *secundum gratiæ ordinem*, libere à Deo constitutum, refractarie resistentibus applicari non potuit. Porro *quartum*, aut applicatum istud meritum Christi, applicata ista gratia, pervicacia hominis relabentis amittitur.

§. 199. Si magnis viris convicia dicere via est ad gloriam & eruditionis famam, haud vereor, ut aliquis laude facile Vitum antecurrat, nam hoc munere strenue, cum toto libro, tum p. 417. 418. functus est. Ceterum p. 4 8. recitato loco Form. Concord. p. 799. quem lectorem ipsum evolvere velim, addit: *His verbis Formula manifeste cum Sanctorum perseverantiam, salutisque, quam vocant, certitudinem, non ad liberum mediorum salutis usum, sed ad divinam prædestinationem refert: tum vero maxime fidem ex prædestinatione non prædestinationem ex prævisa fide suspendit.* Supra §. 15. locum satis amplum è Form. Concord. descripsimus, unde

de ignem aquæ non magis contrarium esse liquet, quam Formul. Conc. supralapsario dogmati est; plura facile describerentur, nisi liber in omnium manibus esset. Audet tamen Vitus tentare loca aliqua suis sedibus evulsa, an possit Formulam supralapsariam efficere. Frustra. Ad salutis certitudinem, *mediorum salutis usum* pertinere, his verbis eadem p. innuit Form. Concord. *nostram salutem & quæ ad eam pertinent, procurat, efficit, juvat, promovet*, mediis sane, non immediate, sic enim F. C. p. 804. *Dominus autem non solet homines immediate vocare, sed per verbum: unde & præcepit suo nomine prædicari pœnitentiam & remissionem peccatorum.* Non possum, quin verba F. C. eadem p. 804. quæ incipiunt: *Si igitur æternam electionem &c.* decies legenda Vito meo commendem. Sed ad priora redeamus. Usus mediorum salutis sane requiritur ex Formulæ Concord. sensu. Sed Vitus addidit vocem: *Liberum*, quam nec oportuit addi, nec ex nostra sententia addimus. Tametsi enim homo regenitus *libertatem* aliquam, h. e. *vires* accepit, ut jam pabulo salutifero uti eoque confirmari ipse possit, nolumus tamen *usum liberum* dici, quod vires ipsas, quibus homo utitur mediis istis, non sibi sed Deo debeat. Porro, errat Vitus, cum colligit, quia in prædestinatione nostra salus fundata est, non esse certitudinem salutis ad mediorum usum referendam, quasi non prædestinasset

Deus eos quos uſuros mediis prævidit. Neque minus errat, cum uni theſi: Fidem accipimus, quia Deus nos prædeſtinavit, alteram: quia Deus nos credentes prævidit, prædeſtinati ſumus, opponit. Poſſunt enim amiciſſime conſiſtere, ut §. 23. & 119. dictum. Prævidit Deus gratiæ media, e.g. in Abrahamo, cum olim oblata fuerint, fructum latura, atque ideo ad ſalutem eligit, itaque ex prævisa fide eſt prædeſtinatio, & quia hunc Abrahamum elegit ad ſalutem, ſpeciali ſua cura juvat, ornat, auget, hinc fides oritur; itaque & fides ex prædeſtinatione haud incommode orta dicitur.

§. 200. Quamquam Vito, Formula Concordiæ contra nos abutenti, cum riſu dignior aliis videri poſſit, nihil reſpondere decreveram; dixi tamen aliqua, & dicendum porro video, ad p. 419. Ibi recitat verba F. C. p. 618. *De noſtra igitur electione;* usque ad: *irriti erunt.* Hic fieri non poſſe putes, quin ſuam ſententiam acriter refutatam viderit noſter, potiſſimum, cum immediate ſequentia verba F. C. ſint: *Vera igitur ſententia de prædeſtinatione ex Evangelio Chriſti diſcenda eſt. In eo enim perſpicue docetur, quod Deus omnes ſub incredulitatem concluſerit, ut omnium miſereatur, & quod nolit quemquam perire: ſed potius, ut omnes convertantur & in Chriſtum credant.* Et paullo poſt: *Quod vero ſcriptum eſt, multos quidem vocatos, paucos vero electos eſſe, non ita accipiendum eſt, quaſi Deus*

Deus nolit, ut omnes ſalventur, ſed damnationis impiorum cauſſa eſt, quod verbum Dei aut prorſus non audiant, ſed contumaciter contemnant, aures obturent, & cor indurent, & hoc modo Spiritui Sancto viam ordinariam præcludant, ut opus ſuum in his efficere nequeat. Aut certe, quod verbum auditum flocci pendant, atque abjiciant. Quod igitur pereunt, neque Deus, neque ipſius electio, ſed malitia eorum in culpa eſt. Huc usque homo pius in meditatione articuli de æterna Dei electione tuto progredi poteſt. Immediate præcedentia verba in *Form. Concord.* hæc ſunt: *Chriſtus vero omnes peccatores ad ſe vocat, & ſerio vult, ut omnes homines ad ſe veniant, & ſibi conſuli & ſubveniri ſinant. His ſeſe redemtorem in verbo offert, & vult ut verbum audiatur & ut aures non obturentur &c.* Hæc inquam, cum viderit legeritque Vitus, cum *gratiam univerſalem, reſiſtibilem, amiſſibilem*, tam claris verbis aſſertam, ut clariora non dentur, ſuis oculis intuitus ſit, quis non juret Vitum Supralapſarium ſe hic peti obſervaſſe. Sed alia acciderunt omnia: Neceſſe eſt ipſius verba, ad locum F. C. p. 618. adjecta p. 419. deſcribere: *Aut igitur Formula Conc. nobiſcum ſenſit; aut nihil vel eſſe vel fingi poteſt illis Lutheranis inſulſius, qui, ob hæc ipſa, quæ ex ſua ſententia, ſi nude & ex arcano & imperſcrutabili Dei conſilio conſideretur, Formula non negat conſequi, noſtram de prædeſtinatione ſententiam, cum fidei fundamento conſiſtere non poſſe, imperite jactitant. Quocunque igitur Lutherani ſe converterint, his formulæ verbis*

tanquam laqueis constricti tenentur. Neque ego profecto video, qua alia ratione efficiant, ut non perjuri videantur, quam si doceant, aut nullius aut parvi admodum momenti dissensum inter nos & ipsos existere, aut ex juramenti fide & absolutum electionis & conditionatum reprobationis decretum simul defendant. Quid facias Vito? cujus ubi mens fuerit, cum hæc scriberet, nescio. F. Concordiæ, Vite! tecum non sentit, ex sua sententia nihil mali sequi fatetur, consequi autem, si quis de prædestinatione sine verbo Dei, quod gratiam universalem resistibilem, amissibilem docet, cogitet. Qua in re manifestissime Reformatorum dogmati contradictum est licet nomine parcitum. Nos *insulsissimos homines* vocat Vitus, quem hic non *libera sua mente*, sed *oculis* rectius uti decuisset. Ceterum ipsum non videre, quomodo his laqueis nos expedire possimus, credam tandem, postquam tot speciminibus, quam parum acute, homo affectuum æstu abreptus, in libris autem adversariorum minime versatus, videre soleat, edoctus sum.

§. 201. Pag. 420. Vitus, F. C. verba è p. 805. recitat, ubi de notis electorum pulcherrime disputatum est. Ex illis colligit electionem esse fidei caussam, quod tametsi recte dicatur, ex illis verbis nulla arte exsculpi potest. Ut adeo Vitus non contentus sit prodere ignorantiam doctrinæ Lutheranæ; sed id quoque agit strenue, ne forte ἀσυλλογισίας

non

non habeatur reus. Nihilo melior eſt altera argutatio ead. pag. *Quodſi Spiritus S. in fide noſtræ nobis electionis teſtimonium certum firmumque perhibet; fides ſolorum electorum eſt; qui credunt, perire non poſſunt.* Non utitur Vitus his verbis F. C. quæ de perſeverantia ſanctorum, p. 806. ſic ait: *Præterea Scriptura teſtatur, Deum, qui nos vocavit, adeo fidelem eſſe, ut, cum bonum opus in nobis inceperit, illud conſervare & continuare atque ad finem usque perducere & perficere velit. Si modo non ipſi nos ab eo avertamus, ſed initium ſubſtantiæ usque ad finem firmum retineamus.* Judicet, qui judicare poteſt, an ex his F. C. verbis ſequatur, fidem eſſe ſolorum electorum, neminem perire, qui credat, h. e. ut Reformati intelligunt, neminem excidere fide, qua ſemel prædituseſt, adeoque perire poſſe. Certitudo, quam Spiritus S. excitat in cordibus fidelium non abſoluta eſt, quaſi vel ſpretis ſalutis mediis, vel ea ſecuritate, qua fieri non poſſet, ut iſta media ſalutis abjicerentur, pii de ſalute certi ſint: Sed implentur bona ſpe gratiæ divinæ ſibi ſemper adfuturæ, quin augendæ ſubinde, non ut nullum ſit periculum, ſed ut poſſint pericula uſu mediorum gratiæ feliciter ſuperari.

§. 202. Noſtram ſolatii expertem doctrinam, ſuam ſolatii pleniſſimam, Vitus contendit p. 421. atque ita æſtuat, ut ſcribat: *Quid igitur, malum, ſanctiſſimam noſtram fidem ſolatii expertem calumniantur?* Gaudent, mi Vite! piæ

 animæ,

animæ, ubi viderint id doceri, unde verum ac ſolidum ſolatium in miſeris noſtris oriri poſſit. Itaque pone iras; gratulabimur vobis ſincere, ubi de apice felicitatis, vita æterna homines ex veſtra doctrina tutiores, quam ex noſtra eſſe poſſe demonſtraveritis. Videamus de re graviſſima. Apoſtolus *Rom. XI*, 20. Σὺ τῇ πίςει ἕςηκας, μὴ ὑψηλοφρόνει ἀλλὰ φοβȢ. v. 21. μήπως Ȣδὲ σȢ φείσηται. v. 22. ἐπεὶ καὶ σὺ ἐκκοπήσῃ. porro 1. *Cor*. X, 12. ὥςε ὁ δοκῶν ἑςάναι βλεπέτω μὴ πέσῃ. *Philipp*. II, 12. μετὰ φόβȢ καὶ τρόμȢ τὴν ἑαυτῶν σωτηρίαν κατεργάζεσθαι. Hæc aliaque dicta, quantum à Pontificia doctrina abſunt, qui nos de ipſa vera fide & gratiæ ſtatu dubitare jubent, tantum & procul eſſe mandant ſecuritatem, qua qui ſe in gratia Dei eſſe videt, fieri non poſſe autumat, ut abuſu hujus gratiæ excidat eo ſtatu. Heu quam timeo, ut bene conſulatur piæ ac de ſalute ſua ſolicitæ animæ ejusmodi promisſionibus: modo ſemel de fide excitata certus ſit homo, ne poſſe quidem accidere, ut pereat fides, cum horrenda exempla relapſorum minime rara ſint. O mi Vite! Satanæ hæc impoſtura eſt, non evangelium. Ita enim ſpe ſumma ſalutis fieri poteſt, ut, qui perſuaſus ſit cadere ſe nequire, prolapſus ſit miſere. Porro idem apoſtolus, 1. *Tim. I*. 15. Πιςὸς ὁ λόγος καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, ὅτι Χριςὸς Ἰησȣ̃ς ἦλθεν εἰς τὸν κόσμον ἁμαρτωλȢς σῶσαι, ὧν πρῶτος εἰμὶ ἐγώ. Hic fidei & ſolatio

ſuo

ſuo ut fundamentum ſubſternit apoſtolus adventum Chriſti pro redimendis peccatoribus, utique omnibus, nam indefinitam orationem æquipollere univerſali conſtat, ut præterea Paulum univerſalis gratiæ Chriſti præconem eſſe nemo negat, niſi quem præconceptæ opiniones abripuerunt. Quam vereor, ne non ſit ſolida argumentandi ratio, quæ ab apoſtolica abit, qua ad ſe pertinere gratiam Chriſti inde colligit, quia peccator ſit, quorum Chriſtus redemtorem ſe eſſe teſtatus eſt. Ita autem colligere nequeunt, niſi qui univerſale meritum Chriſti credunt. Non invideo illis, qui nituntur *univerſalibus ac commodis propoſitionibus*, de quibus paucis exponit *Sam. Strimeſius*, kurtz. Entwurff der Einigk. p. 120. e. g. *Chriſtus pro omnibus pœnitentibus & fidelibus eſt mortuus &c.* potius ſpero cum iis, qui inde collegerunt, ſe & in Chriſti gratia & vera fide & ſalutis participes eſſe, atque ita pie obdormiverunt, æternum me victurum & gaviſurum, nam qui non laudem Dei clementiam, qui &, ubi minus pura doctrina eſt, multos ſalvat? Sed maxima baſis fidei in tentationibus per *particulariſmum* ſubruitur, tum, quæ fides antea videbatur eſſe, jam videtur expiraſſe in corde & deleta, Diabolus opportunitatibus inhians hoc agit, ut perſuadeat homini, cum tot alii falſa opinione fidei ſibi ſint blanditi, hoc quoque, quod quis putarit in ſe eſſe, fidei

potius phantasma, quam fidem fuisse; stolide suum putasse beneficium Christi, quod ad paucos pertineat. Quibus omnibus sola hac doctrina de Christi universali merito in verbo Dei perspicue tradita & solatii veri plenissima occurri felicissime potest soletque. Hæc mihi videntur Vite! de tua doctrina, quæ utinam qualis nunc tibi videtur, talis esset! Nostram vero, cur carere vero solatio ais? Quia negamus gratiam inamissibilem esse. O bone! non consulit viatori per silvam profecturo, is, qui negat fieri posse ut erret, quod sane fieri potest, sed, qui signa monstrat, unde semper ubi sit & quo ducat via, si attendat, noscere possit, qui & ducem commendat fidelem viæ gnarum, quem nisi viator spernat, certo sit assecuturus locum, quo tendit. Itaque non licet homines securos reddere de inamissibili gratia, sed bonæ spei plenos, semper enim eos posse, si attendant è vitæ fructibus, & potissimum è Spiritus S. testimonio interno, quo sint loco, qua via, certo cognoscere, & ut attendere, item ut pergere possint adesse Spiritum S. fidelem ducem per media sua ordinaria, hunc deserendi hominem nunquam facere initium, posse quidem expelli per voluntaria scelera, sed, ut ab his abstineamus, præbere nobis vires largiter. Hoc modo gaudet cor piorum cum timore, atque ea filialis timoris & spei mixtura facit, ut modeste,

soli-

ſolicite, hilariter, expectemus beatam *ἀνάλυσιν*.

§. 203. Pag. 421. non putat Vitus *Lutheranis ita omnem periiſſe poſſe pudorem, ut negent regenitos certiori majorique ex Reformatorum, quam ex ſua fide, conſolatione uti.* Negare nos noſti Vite! quid convicio opus? Porro 422. *Neque irregenitis noſtrum abſolutum prædeſtinationis decretum quicquam ſolatii intercipit, quia ex Deo revelato docemus, Chriſtum pro ſingulis eſſe mortuum, ſingulos eſſe poſſe electos, poſſe regenerari, poſſe reſipiſcere, poſſe credere, poſſe adeo ſalutem conſequi.* Quid ais Vite? verumne eſt quod ex Deo revelato doces, *Chriſtum pro ſingulis hominibus eſſe mortuum?* (nam ſi *ſingulos* intelligas, qui non ſint *omnes*, ludis vocabulis) Non eſt verum, ſi Supralapſarios & te ipſum audimus. Quid ergo? non intercipit ſolatia, qui falſiſſimis narrationibus miſeris hominibus imponit? Ead. pag. 422 criminatur Vitus, *Lutheranos eripere impie regenitis omnem conſolationem, quæ electis propria omniaque exceptione major ſit.* Nos quidem cum Paullo nihil eſſe tantis viribus præditum credimus, ut à charitate Chriſti nos divellere poſſit, & hactenus omni exceptione major eſt noſtra conſolatio. At poſſe hominem, ſi velit, avellere ſe à gratia, poſſe à Satana, ſi huic locum concedat, avelli, ita clare Scriptura tradit, ut negare piaculum ſit, itaque hæc exceptio admittenda, quam apoſtolus admittit: *Ebr. III, 6. ἐάνπερ*

τὴν παῤῥησίαν καὶ τὸ καύχημα τῆς ἐλπίδος μέχρι τέλους βεβαίαν κατάσχωμεν. Quod ad p. 809. Form. Concord. nos ablegat Vitus, antiquum obtinet. Idem plane docemus & confitemur omnes, quod ibi Formula.

§. 204. Recitato loco amplo è Form. Concord. p. 809. Vitus libri sui p. 423. fine subjicit: *Ne clarioribus quidem verbis nostri aut suam de absoluta electione, gratia & vocatione particulari, & in fide perseverantia salutisque certitudine, sententiam proponere possunt, aut Lutheranorum diluere.* Veri nihil, omnia falsa. Qui velit scire, quid de his erroribus Reformatorum F. C. judicet, legat hanc ipsam p. Formulæ C. 809. p. 424. recurrit Vitus ad id, quod dudum profligavimus, *non-resistentiam* esse aliquid in homine, pertinere ad conversionem, esse è Lutheranorum sententia caussam, quamobrem alii præ aliis regenerentur. Respondendi dura est provincia, ubi idem repetitur centies. Paucis me expediam hoc loco. *Non-resistere*, haud est aliquid agere, quod ad conversionem pertineat, eam promoveat, ad eam præparet &c. sed aliquid non agere sive omittere, quod opus Spiritus S. in corde convertendo possit impedire; hoc est omittere repugnantiam. Sed & ipsum, quod non agit contra Spiritus S. operationem homo, debetur gratiæ prævenienti, non irresistibili quidem (nisi quod ad omnium primos motus attinet, qui ut ne veniant impediri ab homine

homine nequit) ſed efficaci. Plura hic non addo.

§. 205. Mirabilis eſt quæſtio Viti, p. 425. *Quodſi pii omnes ſecundum Dei propoſitum ſunt vocati — audiunt Evangelium, credunt in Chriſtum, in fide perſeverant — nemo eos ſeparare poteſt à dilectione Dei: nonne hanc vocationem omnem aliam eſſe oportet ab ea, qua qui vocantur, reſiſtunt gratiæ, non credunt in Chriſtum? &c.* Quæro viciſſim Vite! Nonne alia omnis eſt ſparſio ſeminis *Luc. VIII*, 5. 6. ab ea, quæ narratur v. 8? Dices: ſemen idem erat, ſparſio ſeminis eadem eſt, ſed fructus non utrobique iidem. Fruſtra ergo Vitus *cauſſas diverſiſſimarum vocationum*, quæ nullæ ſunt, inquirit, & longe infeliciſſime has ait eſſe: *quod illa*, eorum qui actu convertuntur, *ſit ſecundum Dei propoſitum; hæc*, eorum qui non actu convertuntur, *non ſit ſecundum Dei propoſitum, i. e. quod illa vocentur, quorum ſalutem clementiſſima prædeſtinatio ſibi propoſuit; hæc vero illi, ad quos clementiſſimum illud prædeſtinantis Dei propoſitum non pertinet.* Quid hoc rei? Nempe vultis Deum multos vocare, quorum converſionem nolit, atque huic peſſime doctrinæ Paulum audetis patronum advocare, qui *Rom. VIII*, 28. *Amantes Deum, quibus omnia commodo ſint, ſecundum propoſitum vocatos* ait. Hoc eſt: Pii ſunt ad regnum Dei, ad imitationem Chriſti, ad toleranda varia mala, deſtinati à Deo vocatique, ſed ita, ut quid cuique ferendum ſit, longe ante, nempe

pe ab æterno prævisum definitumque sit. Quæ vero hæc consecutio? Constituit Deus piis demensum, quod sustineant, prospexitque de fine omnium ærumnarum felicissimo; ergo plurimos homines non vocat ita, ut ad ipsos salutem pertinere velit? Profecto nulla.

§. 206. Verba b. Buddei Institut. Theolog. Dogm. p. 1085. ubi gratiæ divinæ perseverantiam nostram tribuendam esse ait, quamvis non ita tribuenda sit, ut homo plane nihil agat, sed certos esse posse regenitos de gratia Dei conservante, modo ordinem divinum sequantur, ac mediis à Deo præscriptis rite utantur. Hæc inquam Buddei verba committit Vitus p. 426-428. cum verbis Formulæ Conc. p. 822. *Quod salus æterna non in manibus ipsorum*, hominum, *sit posita*, quam, *alias multo facilius quam Adam & Eva in paradiso, immo singulis horis & momentis amitterent, sed norunt eam in clementi divina prædestinatione fundatam esse* &c. Hæc adversa fronte pugnare inter se tam certus est Vitus, quam qui certissimus. Quid ergo vult Formula Concordiæ? *Salutem non esse in manu nostra.* Quid Buddeus? aitne hic *in manu nostra esse salutem*? Non hoc quidem, sed usum liberi arbitrii, quo viribus divinitus acceptis utatur, præterea requirit. Porro is usus facile omitti potest, atque isto *non-usu* gratia ac salus Dei effundi. Videtur ergo Buddeus salutem, quam tam facile homo, sua licet culpa, neglectis gra-

tiæ

tiæ mediis amittere possit, *in manu hominis ponere.* Sed, cum mediorum usum continuum necessarium requirit, non ponit in hominis manu, neque ita, ut quidquam, si servet fidem, ipsi tribuatur, neque ita, ut *si fidem pusillam doleat*, qualem hominem F. C. isto loco considerat, ad suas vires, quas exiguas habet, respiciendum esse ducat. Sic Paulus in eodem argumento occupatus 2. *Cor. IV*, 7. Ἔχομεν δὲ τὸν θησαυρὸν τοῦτον, versu præcedenti expositum, ἐν ὀστρακίνοις σκεύεσιν ἵνα ἡ ὑπερβολὴ τῆς δυνάμεως ᾖ τοῦ Θεοῦ καὶ μὴ ἐξ ἡμῶν. Paucis, secundum Form. Concord. non est in manu nostra salus, quasi tuenda viribus nostris, & si pusilla sit fides, si tentationes ingravescant, amittenda, habemus fortiorem, qui & servat depositum salutis, & nos non deserit, tametsi aliquandiu videatur deserere. Ita vero posset aliquis dicere, quamquam non solemus hoc modo loqui, *in manu esse salutem*, ut qui procaciter velit, possit excutere.

§. 207. Vitus p. 429. strenue pergit in Confectariis è F. C. eliciendis, quæ, nisi qui Lutheranis oculatior est, nec perspicillis adhibitis, viderit. F. C. p. 812. dixit: Deum apud se constituisse, quando unumquemque vocare, convertere & lapsum rursus erigere velit. In his observare poterat Vitus Reformatis contra dici, apud quos nulli *in peccata gravia prolapsi reversuri* dantur, cum vera fides amitti non possit. Verum hæc non vidit

noster,

noſter, ſed collegit mira: 1) *Quicunque non regenerantur, illos non vocari ſecundum Dei propoſitum, 2) qui ea hora, quam ſibi Deus propoſuit, vocantur, eos non poſſe vocanti trahentique Deo reſiſtere, quin regenerentur.* Egregie! ſerione hic agis Vite! an ſtudio illudis? Num, qui hora, qua ſibi placet, ad cœnam vocat, ideo facit, ut non poſſint non, quos illa hora vocat, venire? aut num, quicunque non veniunt, non ſunt rite ſerioque & ex patrisfamilias propoſito vocati? Eadem pag. merito laudas Formulam Concord. ad arcanam Dei voluntatem referendum eſſe docentem, quod eorum, qui in eadem culpa hærent, alii in reprobum ſenſum dentur, alii convertantur: Sed neſcio, cui bono ea huc laudaveris, nam nos quidem habes conſentientes hac in re omnes. Diverſitatem graduum gratiæ arcano conſilio Dei relinquimus, ſerio autem omnibus dari gratiam ſufficientem ſimul tuemur. Præclare dicta videntur & merito quidem, Vito noſtro F. C. verba p. 815. *Ut autem ad Chriſtum venire poſſimus, Spiritus S. per auditionem verbi Dei veram in nobis fidem operatur.* Quis hic putet ſupralapſarium dogma latere? Sed latet, ſi Vito credas. Is non modo hoc colligit, quod ſi recte intelligatur, verum eſt; *Ergo venire poſſunt ad Chriſtum ſoli illi, in quibus Spiritus S. fidem operatur.* Sed prætcrea: *Quicunque vero non veniunt, propterea non veniunt, quia Spiritus S. fidem in iis non opera-*

operatur. Poterant, fateor, & hæc verba aliquo ſenſu admitti; nimirum, cum Spiritus S. ordine quodam operari ſoleat, fieri poteſt, ut non operetur in homine, in quo tamen operari voluit. Sed ſi hæc mens Viti foret, de repugnantia hominis, qui non admiſit operationem, addendum aliquid fuiſſet.

§. 208. Omni exceptione majora videntur Vito verba F. C. p. 821. *Falſum eſt, & cum verbo Dei pugnat, cum docetur, quod non ſolu Dei miſericordia & unicum ſanctiſſimum Chriſti meritum, verum etiam aliquid in nobis cauſſa ſit electionis divinæ, propter quod nos Deus ad vitam æternam prædeſtinaverit.* Hinc ſupralapſariam eſſe Formulam colligit. Reſpondimus §. 14. ſupra, nec repetere, quæ ibi dicta ſunt, conſilium eſt. Quæ hic argutatur paucis diſcutiemus: Ita procedit: p. 430. *Quodſi noſtrum arbitrium cauſſa eſt non reſiſtentiæ, & non reſiſtentia cauſſa eſt fidei, & praviſa hæc fides cauſſa eſt electionis divinæ, neceſſario conſequitur aliquid in nobis eſſe cauſſam electionis divinæ, propter quod nos Deus ad vitam æternam prædeſtinavit.* Reſpondeo 1) noſtrum arbitrium non eſt cauſſa non reſiſtentiæ, ſed hoc ipſum, quod movet hominem, ut omittat reſiſtentiam, eſt gratiæ, ſed non irreſiſtibilis gratiæ, quamquam primæ ſcintillulæ irreſiſtibiles ſunt, ut ſæpe monitum. 2) *Non-reſiſtentia* illa minime cauſſa eſt fidei. Quis ita abutetur voce *cauſſæ*, cum nihil plane ab homine non reſiſtente conferatur? Quis

Cajum dicet vitæ Sempronii caussam esse, quem per plateam ambulantem, non transfixit gladio, cum posset, si voluisset, transfigere, sed ut decet, incolumi Sempronio, præteriit. P. 431. præcepisse animo suo visus est Vitus, quid responsuri essent Lutherani ingenti suæ argutationi? idque jejunum esse jam prospicit eminus. Tu vero Vite! ea considera, quæ cum §. 14. tum hoc loco responsa sunt, certum est nobis cum Formula Concordiæ, nihil, ne minimum quidem, in hominis viribus quærere, quod ad conversionem pertineat. p. 432. inclementissime *Semi-Pelagiani* vocamur. Cetera, quæ ead. pag. disputantur, otiosa sunt, nam à Formula Semi-Pelagianos rejici quis dubitat? Convicia p. 433. in fine non moror.

§. 209. Hæc putat Vitus omni exceptione majora. At cum Formula Concord. de *reprobatione absoluta*, non ut de electione autori nostro videatur loqui, vertitur in accusationem libri & ex evidentissimis contradictionibus compositum ait p. 434 immo eo procedit, ut perhibeat fateri F. C. suas contradictiones, quia p. 812. dicat: *Quædam in mysterio hoc tam intricata & perplexa occurrere, quæ nos in mentibus nostris acumine ingenii nostri conciliare non possimus.* Addit Vitus: *Contradictoriorum hæc nota propria est; concilari non posse.* Obscure hæc dicta sunt Vite! nam ad verba: *conciliari non posse* illico quæritur: *à quo?* Sunt

multa

multa quæ nos conciliare non possumus, conciliabit fortasse aliquis nobis, saltem in istis rebus, peritior. Sunt, quæ adhuc homines omnes se conciliare non posse fassi sunt. Tunc ea statim ajes contradictoria esse? forte hoc vis: Contradictoriorum hanc esse notam, ut nec ab ipso Deo contradictionem admittant. Hic vero Vitus, contradictionum Lutheranarum strenuus insectator, præter opinionem contradictionem satis crassam ipse admisit. Scilicet vera contradictio est inter *esse*, & *non esse idem*. Qualitas illa rerum, qua nec ab ipso Deo conciliationem admittunt, est *nota* contradictoriorum, nam sic Vito placuit. Sed eadem qualitas rerum, qua nec ab ipso Deo conciliationem admittunt, non est *nota* contradictoriorum, nam *nota* vi vocis notior esse debet illa re, quam significare debet. Quantum vero possit in Deo conciliari, nos fugit, certe, ut audacter dicere possimus nec à Deo conciliari aliqua posse, certi antea de contradictione simus oportet. Itaque hoc saltem dici non potest, contradictionum notam esse: *à Deo* conciliari non posse. Redeundum igitur ad alterum; hanc esse *notam*, si qua ab *homine* (nam de angelis, quanta in conciliando eorum facultas sit, nobis constare nequit) conciliari non possint. Neque hic à contradictione liber es mi Philosophe! unde nosti ea, quæ tibi videntur consistere non posse, ab ho-

minibus conciliari nequire? Quia contradictoria ſunt, inquies, conciliari non posſunt. Ergo iſta *conciliationis impoſſibilitas non eſt nota contradictionis*, quam prius ſciveras, quam ipſam *notam*. Si porro quæratur: Unde noſti eſſe contradictoria? quod, inquies, conciliari non poſſunt. Jam eſt illa *conciliandi impoſſibilitas nota contradictionis*. Adeoque ſi Vito credimus, & *eſt* & *non eſt nota contradictionis ſimul*. Tædet fere λεπ]ολογεῖν. Ingeniis lectorum meorum amplius aliquid decuerat tribui, ſed frangendi ſunt Viti noſtri, qui verbis aliquid, intelligendi facultate, tantum valet, quantum lector videt, ſpiritus. Plurimi ſibi Philoſophi videntur, pauci ſunt. Ceterum Form. Concord. fatetur eſſe quædam in myſterio, *in mentibus noſtris*, ut provide adjecit, non concilianda, *plane conciliatu impoſſibilia* nec dixit, nec dicere potuit. Vere contradictoria ſunt, quæ ita intelligimus comparata, ut alterum ab altero neceſſario tollatur. Boni Philoſophi hic cavent ſibi à vocibus negativis, quibus Vitus utitur. Perperam agit, qui, *quod conciliari non poſſit cum altero*, contradictorie oppoſitum ait. Nam incidit in laqueos, quibus ſe Vitus impedivit. Neque adeo contradictoria eſſe ſine formidine oppoſiti ac erroris dicenda ſunt, niſi quæ plane intelligimus. Ubi vero ſigillatim ſententia dicenda eſt: ſintne e. g. in tremenda Chriſti cœna, hæc duo contradictoria:

ria: Christi idem corpus esse hic præsens, & simul esse in India, e. g. præsens? &c. modesti homines, qui intelligunt se hic nihil intelligere, abstinebunt ratione consulta, à sententia dicenda, revelatione consulta, negabunt esse contradictoria. Vitus autem tot hallucinationum, non reus, sed convictus, hic intestabili esto.

§. 210. Bergensibus patribus, quam præstiturus est operam p. 435. Vitus, ne dolo malo usi videantur, ea facile carebunt. Quid patribus istis *utrimque observatum sit*, cum ignarissumis ignorat Vitus, quod cum adhuc multis demonstratum sit, satis erit repetere. p. 437. scire sibi videtur Vitus, quæ sit *anima sententiæ Lutheranorum*, nempe quod *prædestinationem ex fide prævisa & fidem atque regenerationem ex non-resistentia suspensam arbitrentur*. Voce *suspensam*, mi Vite! quod videatur aliquid crassiusculi significare, tu libenter uteris, nos non utimur. Ceterum, si hæc *anima* est sententiæ, quodnam erit *corpus*? Neque enim præterea quidquam dicimus. *Victum se* fassurus est Vitus p. 437. *falsisque criminationibus usum, quam primum Lutherani ostenderint Formulam docuisse fidem & regenerationem ex non-resistentia, ex prævisa fide prædestinationem pendere.* Quid postulas è Formula ostendi, *fidem ex non-resistentia pendere.* Contraria omnia & Formula & hodierni Lutherani docent. Tu falsis criminationibus te usum fatere, quod talia de hodiernis Lutheranis perbibes! Ceterum

hoc & hodierni Lutherani & Formula ubique docent, eos, qui non convertuntur, ideo, quod resistant, non converti, potuisse converti si non resistissent, neque ideo isti *non-resistentiæ* influxum aliquem in negotium conversionis tribuendum. Deum vero prædestinasse ex prævisa fide ita manifeste Formula Concord. p. 802. 803. docet, ut manifestius idem se docere non posse credant Lutherani, adeoque iisdem verbis compendio Hutteri in scholis plerisque usitato insertis, utantur. Legat lector locum integrum, nos in compendio exhibebimus. Octo paragraphis exhibetur Dei prædestinatio, prout è verbo Dei nota est. 1) universalis per Christum facta redemtio. 2) hujus meriti universalis oblatio, exhibitio, distributio per verbum & Sacramenta. 3) efficax operatio Spiritus Sancti. 4) vere pœnitentium justificatio. 5) justificatorum sanctificatio. 6) eorundem in cruce conservatio. 7) eorundem in fide conservatio, si modo mediis gratiæ utantur. 8) æterna salvatio. Sequuntur hæc verba pag. 803. *Et quidem Deus illo suo consilio, proposito & ordinatione non tantum in genere salutem suorum procuravit, verum etiam omnes & singulas personas electorum, qui per Christum salvandi sunt, clementer præscivit, ad salutem elegit & decrevit, quod eo modo, quem jam recitavimus, ipsos per suam gratiam, dona atque efficaciam, salutis æternæ participes facere, juvare, eorum salutem promovere, ipsos* con-

confirmare & conservare velit. Deus *præscivit* hoc modo esse perrecturos, hoc ordine gratiæ incessuros homines atque ita *elegit* secundum Formulam Concord. Si hoc non est, ex *prævisa fide eligere*, quid hoc sit, me fateor nescire. Est etiam insignis locus F. C. p. 812. sed nolo exscribere.

§. 211. Eadem pag. 437. Vitus, *Fatentur*, inquit, *ex Lutheranis, qui aliquo adhuc candore videri volunt, ante Hunnium doctrinam de prædestinatione impeditam admodum fuisse, neque negant Formulæ verba magis nobis, (Reformatis) quam Lutheranæ ecclesiæ hodiernæ favere. Sed formulæ autores melius sensisse, quam locutos volunt.* Tui fuisset candoris Vite! eorum Lutheranorum, quorum aliquem candorem nobis laudas, saltem unum suo nomine apppellasse. Nescio qui tibi obtigerint Lutherani, quorum quidem candorem commendas, ceterum ex ipsis collegisse videris, crassissimis ingeniis vulgo Lutheranos uti. *Hunnium* utrumque, *Aegid.* & *Nicolaum* in pretio habemus suo merito, & ab his aliisque prioribus, supparibus, posterioribusve, doctrinam de prædestinatione & L. A. explicatius esse traditam, quam à beato Luthero, primis maxime annis fieri potuit, ingenue fatentur Lutherani. Sed hoc nunc non agitur, an ipsi quoque F. C. autores non satis bene locuti sint, quæritur. Hoc Lutheranos candidos fateri ait Vitus, &, si nolit tot calumniarum reus esse, demonstrabit.

§. 212. F. Davide Chytræo supra §. 131. aliqua sunt exposita & commendata Vito meo, jam animus est è *Nicolao Selneccero* recitare aliqua, de incomparabili Viro, Martino Chemnitio, item Jacobo Andreæ loquendi Vitus infra occasionem suppeditabit. Hos omnes præstantissimos Viros F. C. autores esse fortasse non ignorat Vitus, etsi eorum scripta non videtur vel vidisse, certe non legisse. Ex his aliquot excerptis locis monstrandum puto, quam pulchre contra Reformatos consenserint, quam non impedite locuti sint, quomodo doctrinam Lutheri de S. A. suo assensu probarint? Itaque *Nicolaus Selneccerus Instit. Christian. P. 2. p.* 117. 118. edit. Francof. ad Mœn. 1573. *Sicut enim, ut Augustini verbis utar, nemo memoria sua cogit facienda, quæ futura sunt, & sicut homo, quædam, quæ facit, meminit, nec tamen omnia, quæ meminit, facit: ita Deus omnia, quorum ipse autor est, præscit, nec tamen omnium, quæ præscit, ipse autor est, quorum autem non est autor malus, justus & ultor. & Chrysostom.* 1. *Cor. II. oportet hæreses esse, inquit, Christus inquiens, necesse est ut veniant scandala; Matth. XIIX. neque arbitrii libertatem tollit, neque necessitatem aut violentiam vitæ imponit, sed, quod procul dubio ob pravam hominum mentem futurum erat, prædixit; quod quidem futurum erat non propter prædictionem, sed propter eorum, qui curari non poterant, voluntatem. Non enim, quod hæc prædixerit, idcirco hæc facta sunt. Sed cum futura cer-*

te

to essent, ideo prædixit. Nam si necessitatis essent scandala, & non voluntatis eorum, qui ea movent, superfluum esset, quod dixit: Væ homini illi, per quem scandalum venit. Tandem sciendum est, quod ad vocabulum necessitatis attinet, cum illo utuntur interdum sinceri ecclesiæ doctores, omnia necessaria fieri dicentes, quæ Deus præviderit diligenter attendendum esse, quid & quomodo dicatur, quo respectu & qua conscientia admitti, probari, aut improbari possit. Multi enim rigidis suis & absurdis immo sæpe blasphemis locutionibus plane nihil discrepant à Fato Stoico & conviciis, quæ inde exoriuntur in Deum, nam negant & rejiciunt omnem permissionem divinam, omnem contingentiam in omnibus & necessitatem consequentiæ, sine discrimine de bonis & de malis actionibus nihil aliud habent in ore, nisi illud: Deus sic vult. Multi excelso libero & magno spiritu excelsis & magnificis locutionibus adoriuntur & prosternunt adversarios nimium detrahentes gratiæ & efficaciæ Dei nimiumque adscribentes voluntati liberæ, sive libero arbitrio, ut interdum Augustinus & Lutherus evolarunt altius, ceu aquilæ, certis quibusdam phrasibus sublime spirantibus & veris, sed tamen non nisi suo loco & respectu recte & pie intelligendis, & quidem talibus, quibus ipsi simpliciter & absolute sine contextu integræ orationis & sine congressu & respectu ad adversarios ejusmodi fulmine prosternendos, usi profecto non fuissent. Et quas etiam in aliis scriptis explicarunt & limitarunt ipsi, præsertim cum ad imbecilliores, quibus tam sublimia capere aut sine offensione audire non datum est, sermo

X 5 diri-

dirigendus fuit. Multi vero simiarum more, dum regiam tutamque viam negligunt, & personam heroum induere, eorumque grandiloquentiam & majestatem repræsentare & imitari conantur, meros labyrinthos quæstionum & portenta opinionum componunt, seque & alios illaqueant nodis inextricabilibus sine judicio & discrimine alta & arcana petentes & Phaetontis præcipitium alis cereis solis æstu liquefactis tandem patientes. Tales sunt hodie, qui in genere Deum nihil contingenter præscire, sed omnia incommutabili, inevitabili & infallibili necessitate prævidere proponere & facere, ex Augustino & Luthero affirmant, & inde contra eorum mentem concludunt Deum ab æterno ad filium adduxisse certum numerum hominum, quos salvare ipse deberet, reliquis omnibus ordinatis & addictis ad æternum exitium, quicquid sane vellent, crederent & facerent, ita, ut adducti semel non possint non salvari, quomodocunque etiam delinquerent, & semel rejecti non possint non damnari, sive recte sive male viverent. Addidit Selneccerus multa lectu dignissima, sed vereor, ne omnia describendo nimis copiosus sim. Verbo dicam, gratia universalis, resistibilis, voluntas Dei antecedens & consequens, aliaque quæ huc pertinent, præclare sunt exposita, ac Reformatorum doctrinæ ita clare contradictum, ut clarius non possit.

§. 213. Idem Selneccerus ibid. p. 126. *Secundum quod objicitur, est ipsa fides. Fides est donum Dei. Ergo, cum non credere possimus, nisi*

Deus

Deus ipse nobis dederit, frustra laboramus in audiendo, volendo, conando, &c. Respondeo: Cum dicitur fidem esse donum Dei, excluditur nostrarum virium dignitas, & meritum ac efficacia, non confirmatur raptus seu afflatus; multo minus excluditur apprehensio, nec negatur fidem esse instrumentum, quo oblata bona accipere debemus. Manet enim ordo efficaciæ divinæ hoc modo: Fides ex auditu, auditus per verbum. Necesse est igitur, ut audias verbum, & ei assentiaris & credas, & non expectes alios tractus, sed amplectaris oblatam gratiam & ores, ut fides in te augeatur & confirmetur. Nec vero quidquam tibi tribuere aut adscribere potes, etiamsi scias debere & posse te audire verbum Dei, & ei, movente te Spiritu Sancto, assentiri & credere. Quid enim habes, quod non acceperis? Quid mendicus gloriatur de eo, quod accipit, quasi dari non potuisset, nisi accepisset. In his & sequentibus B. Selneccerus, ut Semi-Pelagianis manifeste contradicit, cum *facultatem assentiendi verbo*, movente Spiritu Sancto, homini tribuit, ita supralapsariis adeo in faciem adversatur, ut nec ipsum Vitum, si ea legerit, habere putem, cur dubitet.

§. 214. Ibid. p. 114. 115. *Sufficit nos habere patefacta in verbo Dei ea, quæ ad justitiæ & Salutis nostræ certitudinem pertinent. Et sufficit nos scire revelatam voluntatem esse eandem, quæ est arcana, & nullo modo diversam ab arcana Dei voluntate. Habemus enim oratorem filium Dei τὸν λόγον τοῦ αἰδίου πατρὸς, consiliarium, Evangelistam, & Interpre-*

terpretem arcanorum consiliorum Dei, de redemtione generis humani, &c. Idem B. Selneccerus ibid. p. 65. 66 indurationem Pharaonis longe aliter explicat, ac Vitus fortasse ab autore Form-Conc. fieri potuisse sibi persvadet. P. 1. p. 332. Sic loquitur: *Neque enim hic eadem est contrariorum ratio, nec contraria pariter eadem sunt. Deus vult vitam humani generis, & ad vitam nos condidit, & totùm genus humanum ideo creavit, ut viveret. Cum autem homo diabolum audiret, libera voluntate se à Deo avertit & se ipsum reum fecit iræ Dei & mortis æternæ. Deus igitur ut est caussa fons & origio vitæ nostræ, ita nos ipsi sumus caussa & culpa mortis nostræ. &c.* Paullo post: *Diligenter etiam hoc perpendendum est, quoties Scriptura voce prædestinationis & electionis utitur, tunc semper de salvandis loquitur, non de impiis, qui damnantur. Quare autem Scriptura non dicit aliquos ad exitium prædestinatos esse? Respondeo, quia hoc non verum est.* Ibid. p. 305. *Firmissime tene & nullatenus dubites primos homines, i. e. Adam & Evam bonos & rectos & sine peccato creatos esse cum libero arbitrio, quo possent, si vellent, humili & bona voluntate, servire, eique obedire, quo arbitrio etiam possent, si vellent, propria voluntate peccare.* NB. hæc sunt Augustini verba, quæ recitat & sua facit Selneccerus. Ibid. p. 344. cum locus sit pulcher[illegible]mus, non gravabor describere integrum: *Scio etiam movere aliquos quæstionem de illis, qui, cum pii & renati essent, facti sunt impii, apostatæ, & scelerati,*

&

& in peccatis ita decesserunt, an scil. hi vel Dei consilio vel sponte perierint? Etsi autem melius & nobis omnibus magis consultum esset, supersedere ejusmodi labyrinthis, tamen, cum ætas nostra talis sit, ut magis argutiis inextricabilibus, quam veritati & humilitati piæ studeat, prodest juniorum judicia informari, quantum in hac naturæ nostræ caligine ex claro Dei verbo fieri potest. A posteriori igitur nobis judicandum est, ipsos omnino sua sponte perire. Ideo Augustini verba adscribere non gravabor: Ex nobis, inquit, exierunt, sed non fuerunt ex nobis, si enim fuissent ex nobis, utique mansissent nobiscum. Voluntate exierunt, voluntate exciderunt, & quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati, essent autem prædestinati, si essent reversuri, & in veritate ac sanctitate mansuri. Ac per hoc prædestinatio Dei multis est caussa standi nemini caussa labendi. Nunc tandem ad quintam objectionem respondebo, sed breviter: Et, quod quæritur, quare Deus permiserit primos parentes ruere, cum eos potuisset servare? dicimus, nihil solidi nos in hac vita respondere posse, & tamen verum esse Deum non voluisse eos labi. Cur autem permiserit eos labi, caussam & rationem discemus in vita æterna. Certe culpa hominis fuit, non Dei, qui cur non prohibuerit, cum prohibere uno nutulu & verbo potuisset, nobis quærendum non est, spontaneam Deus voluit habere obedientiam, non coactam. Quiescant autem hæc, donec integre revelentur in vita æterna.

§. 215. Idem Selneccerus Pædagog. Christian. edita an. 1571. Francofurti ad Moen:

P. I.

P. 1. p. 354. in hunc modum loquitur: *Nullo modo in ecclesia recte jam edocta patiamur nobis eripi explicationem illam utilissimam & maxime necessariam, sive doctrinam de Dei permissione in induratione, excæcatione & exitio impiorum. Item de contingentia, & necessitate consequentiæ, quos terminos sive phrases loquendi hodie multi plane insani homines Deum contumelia afficientes nobis eripere volunt, & omnia tam mala quam bona, omnes actiones & eventus bonos & malos, in Deum ceu fontem & caussam transferre conantur. Abeant & valeant Stoicæ blasphemiæ, quæ omnia necessitate absoluta fieri perhibent, & hominem non posse aliter agere, quam sicut regitur & ducitur à suo insessore, tanquam equus, in omnibus, bonis aut malis, actionibus, fingunt & mentiuntur. Non simus tam blasphemi, insani & ingrati. Sed amemus & veneremur Deum, & gloriam ejus in cogitationibus, dictis, scriptis & factis nostris quæramus, & parcamus Deo ipsi & nostræ conscientiæ & saluti & auribus piorum, quibus blasphemæ ejusmodi voces venenum & mors sunt. Sed de his dicendum fortassis alias fuerit. Habet igitur homo voluntatem in peccando liberam sive spontaneam, quæ non cogitur* (hic B. Selneccerus spontaneam & liberam voluntatem pro Synonimis habet) *aut externo motu violenter fertur, trahitur, rapitur, & impellitur invita ad peccandum. Non autem liberum habet homo arbitrium in bonis &c.*

§. 216. Ibid. p. 359. *Vult Deus sua εὐδοκίᾳ omnes homines salvos fieri, & prorsus neminem perire,* tan-

tantum proposita hac veluti conditione, non legali, quæ ex operibus pendet, sed evangelica, pendente ex mera gratia divina, videlicet, ut credamus in filium, sicut enim omnes conclusi sunt sub peccatum, nemine excepto, ita Deus omnium miseretur, nemine excepto, qui credunt in Christum. Hac bonitas in omnes & super omnes effusa est, & promissio universalis est, & juramentum Dei sanctum & immotum est: Vere ego, nolo mortem peccatoris, sed, ut convertatur & vivat. Et Christus vult omnes gentes fieri suos discipulos, inquiens μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη. Vult igitur Deus nos ad verbum suum converti, credere in filium & salvari. Hac ejus est εὐδοκία & voluntas misericordiæ, patefacta in Evangelio. Quod autem multi sunt vocati, pauci electi, fit hominum culpa, & loquitur hoc dictum de effectu non de caussa electionis. Et consolatur nos, ne paucitate credentium offendamur. Pauci enim recipiunt oblatam promissionem Evangelii, sicut Christus gemens & plorans inquit: Quoties volui te congregare, & tu noluisti.

§. 217. Conviciarum plaustra quibus Viti p. 438. stridet me non morantur. p. 439. Vitus ex eo colligit Formulam de absoluta electione cum supralapsariis sensisse, quia omnes vires in Spiritualibus homini abjudicat, quia negat hominem se posse applicare ad gratiam. Ait se observasse, Erasmi *applicationem* esse ipsam Lutheranorum *non resistentiam; nugari* Lutheranos, qui verbo negent hominem se applicare posse ad gratiam,

tiam, cum Erasmo tamen re consentiant; à formula Lutheranos damnari, adeoque *gratiam* si sibi constare velit, *particularem* doceri. Hæc omnia per plures pagg. 439-441. explicat, hæc expedita sunt Vito meo omnia, quem puto & vulpes jungere & mulgere hircos posse, responsione quidem hic non est dignus. p. 441. hæc occurrunt: *Formula Concordiæ tuetur hominem in peccatis mortuum, non variis gradibus, sed uno eodemque momento ex morte ad vitam traduci. Etenim Formula illepidas illas & ἀγράφους gratiarum distinctiones, quibus suis erroribus velificantur hodierni Lutherani, cum ignarissumis ignorat. Nullam aliam novit gratiam, quam qua omnipotente virtute ex morte spirituali in vitam revocemur.* Erubescenda est hæc ignorantia doctrinæ, quam F. C. tradit, in Vito meo. Opus conversionis uno eodemqne momento fieri, ubi mi Vite! F. C. dixit? nam affirmantis hic est demonstrare. p. 802. hæc sunt F. C. verba: *Decrevit etiam se Spiritu Sancto suo per verbum annuntiatum, auditione perceptum, & memoriæ commendatum velle in nobis efficacem esse, & corda ad veram pœnitentiam agendam inflectere* &c. Hæc tu putas ordinarie eodem momento fieri? quamquam Deo non præscribimus, quantum temporis in singulis hominibus convertendis adhibere velit. p. 670. *Ea prædicatione æternam ecclesiam sibi è genere humano colligit & in hominum mentibus veram pœnitentiam, agnitionem peccatorum & fidem veram in filium DEI Jesum Christum*

Christum operatur. Et visum est Deo per hoc medium & non alio modo, nimirum per sanctum verbum suum, eum id vel prædicari auditur vel legitur, & per sacramentorum legitimum usum homines ad æternam salutem vocare, ad se trahere, convertere, regenerare & sanctificare. Ead. pag. *Prædicatio verbi Dei & ejusdem auscultatio sunt Spiritus S. instrumenta, cum quibus & per quæ efficaciter agere & homines ad Deum convertere, atque in ipsis & velle & perficere operari vult.* P. 671. *Per hoc medium seu instrumentum prædicationem nimirum & auditionem verbi Dei operatur, emollit corda nostra, trahitque hominem, ut ex concionibus legis & peccata sua & iram Dei agnoscat, & veros terrores atque contritionem in corde suo sentiat. Et per annuntiationem ac meditationem Evangelii de gratuita & clementissima peccatorum remissione in Christo scintillula fidei in corde ipsius accenditur.* An his fortasse docuit F. C. conversionem *in instanti*, sive *eodem momento* fieri? Nihil addo, nisi, ut cavillis locus præcludatur, regenerationis vocabulum interdum, ut illud alterum, de homine ex utero materno nascente, de nixibus antecedentibus, laxiore aliquo significatu accipi; interdum de eo actu, quo reliqui, qui præcesserant, terminantur. Aut, si lucis similitudinem malis, præcedunt auroræ varii gradus, donec tandem ipsum corpus solis conspiciatur: ita lucis ortus potest pro oriente & subinde aucta luce, potest etiam pro illo momento, quo sol adspici cœpit, accipi.

ἀγράφως vocat Vitus illos varios gradus, in quos gratiam Spiritus Sancti distinguimus. De vocibus, facile concedo, ut *trinitas*, ut multa alia ἄγραφα sunt. De re, nihil certius, quam ordinarie non uno actu absolvi sanctissimum negotium, quamquam quibus quotve actibus absolvatur, nullius hominis est definire. Cum larvis pugnat Vitus, quando contra *præparationem* disputat, viresque, quibus illa præparatio ab homine fiat, vel antecedere vel sequi regenerationem contendit p. 441. atque ex utroque varia incommoda nasci perhibet, nam nos quidem *vires præparandi* in homine negamus esse ullas.

§. 218. Jubet confidentior jam factus Vitus *fateri nos perjuros esse, aut indicare loca, in quibus Formula docuerit hominem in peccatis adhuc mortuum, à gratia quadam præveniente eas vires accipere, quibus, si velit, possit gratiæ operanti regenerantique non-resistere.* Hæc agit noster p. 443. Lege Vite! F. C. p. 580. *Et sane vult Dominus, ut ipsius verbum audiatur, neque ad illius prædicationem aures obturentur. Huic verbo adest præsens Spiritus S. & corda hominum aperit, ut sicut Lydia, in act. apost. diligenter attendant, & ita convertantur sola gratia & virtute Spiritus Sancti, cujus unius & solius opus est hominis conversio.* Expende Vite! quænam sit illa virtus, qua factum est, ut Lydia attenderit? fuitne illa attentio illico fides plena, an hæc demum ex verbo aliquantisper pia meditatione considerato orta

ta est? Vin' *gratiæ prævenientis* ipsum vocabulum? p. 676. *Cum naturales hominis vires ad veram conversionem nihil conferre, aut quidquam adjumenti afferre possint, DEUS ineffabili bonitate & misericordia nos prævenit, & evangelion, per quod Spiritus S. conversionem & regenerationem in nobis operari & perficere vult, annuntiari curat, & per verbi sui prædicationem & meditationem fidem aliasque pietatis virtutes in nobis accendit, ita quidem, ut hæc omnia solius Spiritus S. dona sint & operationes. Quin etiam hæc sincera doctrina ostendit nobis media, per quæ Spiritus S. hæc, quæ diximus, in nobis vult inchoare & perficere.* Si hæc nondum sufficiunt Vito, at lectori meo sufficient. Jam sequitur locus, quem nec ipse, ut arbitror, Vitus negabit sufficere. p. 679. *Ex ea enim, quam paullo ante recitavimus, explicatione, manifestum est, ubi per Spiritum S. in hominis intellectu, voluntate & corde prorsus nulla fit immutatio ad bonum, & homo promissioni divinæ fidem prorsus non adhibet, & à Deo ad gratiam non redditur idoneus, sed totus verbo Dei repugnat, quod ibi nulla conversio vel fieri vel esse possit. Conversio enim hominis talis est immutatio, per operationem Spiritus Sancti in hominis intellectu, voluntate & corde, qua homo operatione videlicet Spiritus Sancti potest oblatam gratiam apprehendere. Et quidem omnes, qui operationi & motibus Spiritus Sancti, quæ per verbum fiunt, contumaciter & perseveranter repugnant, non accipiunt, sed contristant & amittunt Spiritum Sanctum.*

§. 219. Quæ p. 444. sequ. laudantur, è Formula Concord. Vito minime patrocinantur, sed vera sunt omnia, sibique constant egregie. In eo errat Vitus errorem solitum, quod *non-resistentiam* cum *præparatione*, invita Formula, ut præcedenti §. laudata loca condocent, misere confundit. p. 447. sequ. Formulæ Concordiæ adversari Vitus perhibet præstantissimos Theologos Jenenses, utrumque ἐν ἁγίοις, Joh. Museum, & Joh. Franc. Buddeum, tanta iniquitate, ut sine dolore legere non potuerim innocentissimis viris, qui hac saltem in re à Form. Concord. ne latum quidem unguem recesserunt, opiniones affingi, de quibus ne cogitarunt quidem. B. Museus dixerat, cogitationes, quando aliquis, e. g. ex adspectu rerum creatarum cogitat Deum esse ens nobilissimum, sapientissimum, optimum, supra omnia colendum, esse in suo genere bonas, posse etiam in suo genere dici sanctas, quatenus dirigantur in Deum sanctissimum. Verum has cogitationes non constituere conversionis initium, neque in præsentia sanctæ cogitationis appellatione intelligi, quia cadunt etiam in non renatos, & teste Paullo, ex naturalibus hominis viribus haberi possint. Interim hujusmodi cogitationes, quas ex lumine naturæ non renati habere possunt, nonnunquam esse occasionem quandam & manuductionem ad Deum uberius inquirendum. Hæc Museus;

tam

tam pulchre tam vere, loco ab ipſo Vito recitato, diſputavit, ut ab ipſa invidia reprehendi non poſſe putes, at reprehendit & Formulæ Concordiæ contrariari perhibet Vitus. Porro B. Buddei verba, ſed vehementer mutilata exhibet Vitus plane anteceſſoris ſui verbis conſona, in quibus ad conſenſum F. C. p. 664. diſerte ſe refert Buddeus Inſtit. Theol. Dogmat. p. 942. ſed hæc callide Vitus omiſit. Dixit idem Buddeus per iſtas actiones pædagogicas & nondum ad cconverſionem pertinentes, *quodammodo præparari & diſponi hominem ad gratiæ convertentis operationem recipiendam.* Ubi ne quis putet ex B. Viri mente hominem ſemetipſum quodammodo præparare & disponere poſſe, non ſolum utitur *paſſivo* verbo: *diſponitur*, item: *hominem quodammodo præparant*, ſed & provide addit: *Exſerit tamen ſubinde in hisce ſe gratia, præveniens ratione plane ſingulari, perque eam homo ad aliquid faciendum impellitur, unde præter opinionem converſionis ſeu regenerationis occaſio enaſcitur. Quos quidem motus, multo minus autem illos, quibus ad ipſam converſionem homo incitatur, utpote à Spiritu Sancto jam profectos, neutiquam ad animales ſeu naturales referendos eſſe patet.* Sed & hæc verba neſcio quo conſilio, cum maxime huc pertinerent, Vitus ſuppresſit. Eadem illaudata ratione in loco Buddei è pag. 974. laudato, Vitus omiſit ſequentia: *Quodſi tamen piæ cogitationes motusque ad hominis converſionem tendentes accedant, tum gratiæ divinæ*

ſeſe exerit operatio. Quæ cum ita ſint, expende lector, qua ratione fieri potuerit, ut Vitus p. 449. ſcriberet: *Ergo fatentur hodierni Lutherani ſe homini irregenito adhuc tribuere actiones bonas ſanctasque in ſuo genere* (quidni doceant cum artic. XVIII. A. C. quod humana voluntas habeat aliquam libertatem ad efficiendam civilem juſtitiam?) *tuentur hominem irregenitum dare poſſe Spiritui Sancto occaſionem inchoandi converſionem.* (hæc captioſe dicit Vitus, nam verbum *dare* facile ita accipi poteſt, quaſi homo *conſilio* & ſciens, cui rei occaſio detur, iſtam *occaſionem dare* poſſit, qua de re præſtantes Theologi non dixerunt, hominem occaſionem dare, ſed iſtas actiones occaſionem eſſe, immo Buddeus addidit voces: *præter opinionem,*) *Expreſſiſſimis verbis affirmant, hominem naturalibus viribus præparare ſe poſſe ad gratiam, applicare ad gratiam. Non negant hominem aſſentiri poſſe languide.* Hic plane dubius ſum, quid de Vito cogitem? Oculi docent beatos Theologos nihil eorum ſcripſiſſe, quæ *expreſſiſſimis verbis* eos affirmaſſe negaſſeve, confidentiſſime dicit. Itaque rogatos velim officioſiſſime Reformatos Theologos omnes, ut probe conſiderent, quo tandem evaſuræ ſint lites, ſi tam manifeſtis fraudibus aliis quoque permiſerint uti, quarum hic convictum vident Vitum. Cadunt reliquæ criminationes ſua ſponte, quibus eadem pag 449. Lutheranos hodiernos propius ad Semi Pelagia-

lagianos & Pelagianos accedere ait, quam Synergiſtas, magisque adeo à Formula Concord. damnari.

§. 220. Pag. 540. conatur eodem illaudato modo noſtram fidem Semi-Pelagianam facere. e. g. F. C. p. 582. locutiones quorundam Patrum & neotericorum: *Deus trahit, ſed volentem trahit*, &: *hominis voluntas in converſione non eſt otioſa, ſed agit aliquid*, formæ ſanorum verborum non eſſe analogam judicat. Hic exclamat Vitus: *Nonne hæc ipſiſſima Lutherana fides eſt?* Non eſt mi Vite! teque craſſæ ignorantiæ, ſi neſcis, quid Lutherani, quos tam acerbe refutaturus eras, doceant; malitiæ, quod abominor, ſi ſciens & conſilio, falſa nobis tribuis, pudere oportet. Ad voces: *agit aliquid*, addit noſter: *non reſiſtendo ſcilicet*, cum ipſæ ſyllabæ docere potuiſſent illa non-reſiſtentia nihil agi, ſed actionem, ſcilicet *repugnantem* omitti. Pergit Vitus: *In eo igitur Lutherani hodierni uti à nobis*, Reformatis, *ita à formula ſua diſſentiunt, quod nos cum Formula tueamur homines non nolentes tantum ſed etiam repugnantes Spiritus S virtute converti: iſti vero negant converti, niſi qui non repugnent, niſi qui ſe præbeant gratiæ.* Itane plane pudor periit? Ubi Formula docet: *repugnantes converti?* Nempe in præſentia repugnantes, nam ſi de iis ſermo eſt, qui olim repugnarunt, fruſtra diſputatur. Formula Concord. p. 582. eadem pagina, unde criminatur Vitus, ſic ait: *Contra autem*

tem recte docetur, quod Dominus in conversione per Spiritus Sancti tractionem, id est, motum & operationem ex hominibus repugnantibus & nolentibus volentes homines faciat. Nimirum hic est effectus primarum tractionum, ut volentes fiant, qui adhuc non fuerant, nec poterunt esse volentes. p. 619. clara sunt verba F. C. *damnationis impiorum caussa est, quod verbum Dei aut prorsus non audiant, sed contumaciter contemnant, aures obturent, & cor indurent, & hoc modo Spiritui Sancto viam ordinariam præcludant, ut opus suum in his efficere nequeat.* Quid tibi videtur Vite! docetne Formula Concord. malitiose repugnantes & in conversionis actu, nam de his sermo est, converti, an non converti?

§. 221. Pergit Vitus: *Nos cum Formula non-repugnandi vires regenerationi & Spiritus S. tractioni, isti,* Lutherani, *hominis in peccatis mortui arbitrio tribuunt.* Observet hic lector Vitum, qui in Theologicis non videtur ætatem trivisse, dicere: suos & Form. Concordiæ *vires non repugnandi regenerationi tribuere.* Non dicam, quam falsum hoc sit, nam F. C. ne syllabam quidem in hanc sententententiam habet; sed monendum, nullo sensu hæc dici, *regeneratio* hoc loco est vel *totum* vel *absolutum* conversionis opus. Quæritur: quibus viribus possit homo non-resistere Spiritui Sancto convertenti & regeneranti? Quam imperite respondetur: vires acceptas esse ab ipsa regeneratione. Verum hæc quidem transeant!

eant! Ceterum *tractioni* Spiritus S. merito istæ vires tribuuntur, nec Lutheranorum hodiernorum quisquam *hominis in peccato mortui arbitrio* tribuit. Vitum, qui hoc mira confidentia ait, aut demonstrare hoc ex publici doctoris Lutherani non rejecto à ceteris libro, aut erubescere decet.

§. 222. *Formula itaque negat hominem irregenitum mediorum usu regenerationem consequi posse, adfirmant hodierni Lutherani.* Sic Vitus p. 451. inter ceteras calumnias, quas studio non omnes attingo. Potest horum captiose positorum verborum duplex esse sensus: 1) posse hominem suis viribus & intelligere verbum Dei, & uti salutariter Sacramentis. Sed hoc sensu & Formula & Lutherani hodierni negant hominem irregenitum mediorum usu regenerationem consequi posse. 2) hic potest esse sensus: Fieri operantis & convertentis Spir. S. gratia, ut usu mediorum, quæ applicat Sp. S. homo convertatur. Hoc sensu & F.C. & Lutherani uno ore ajunt hominem hoc modo regenerari. P. 452. recit. loco F.C. p. 658. quo docetur hominem nihil ad suam conversionem conferre, subjicit: *Nihil poterat dici sapientius, nihil ad hodiernos Lutheranos, erroris, contradictionis, perjurii, convincendos, accommodatius. Quis enim, nisi qui desipiat, mortuum eum dixerit, qui se præparare ad vitam recipiendum, qui se ad omnipotentem vocantis in vitam Dei vocem non-resistendo applicare possit?* (Quis vero Lutheranorum sic dixit?) *Quis sanæ mentis dixerit ex*

mortui arbitrio pendere, utrum admittere omnipotentem virtutem, an ei resistere velit? Duo sunt Vite! quæ non cernis. 1) *mortuum* dici hominem, non quod resistere non possit, sed quod nequeat ad salutem suam vel tantillum conferre, 2) Lutheranos non docere hominem deliberare, utrum velit an nolit suis viribus resistere? Sed accipere vires non-resistendi primis tractionibus Spiritus S. quibus tamen, si velit, etiam *non-uti*, hoc est eas repudiare potest.

§. 223. Dici non potest, quam sit molesta provincia disputandi contra hominem, quem non videtur pudere posse calumniarum. Sed lectoris tamen interest crassissimas detegi. Locum F. C. p. 660. Vitus laudat p. 453. & pervicacissime inde colligit Formulam docuisse gratiam irresistibilem, cum nihil dixerit, *nisi hominis arbitrium pro insita sua rebelli & contumaci natura Deo & voluntati ejus hostiliter repugnare, nisi Spiritu Dei illuminetur atque regatur.* Unde quivis bonus interpres merito colligit, si mens hominis Spiritu Dei regatur, posse jam posita sua contumaci natura, Deo obsequi, quod vero *non possit non* obsequi, autoribus F. C. nec in mentem venit. Eadem pag. descripsit locum F. C. 661. pessime mutilatum, deinde quasi re bene gesta, exclamat: *Intelligitisne Lutherani, quo loco Formula vestrum mediorum usum habeat?* Nihil opus est homini responderi, nisi ea verba Formulæ C. quæ ipse callide

callide omisit. Post verba: *Interdum feræ indomitæ comparant*; F. C. p. 661. hæc addit: *Non, quod homo post lapsum non amplius sit rationalis creatura, aut, quod absque auditu & meditatione verbi divini ad Deum convertatur, aut quod in rebus externis & civilibus nihil boni aut mali intelligere possit, aut libere aliquid agere vel omittere queat.* Cernis ne Vite! quid Formula de *mediorum usu* habeat?

§. 224. Porro exclamat Vitus, p. 454. *Tum demum efficietis, ut non videamini perjuri librorum Symbolicorum desertores, si truncum lapidem, statuam per actus & motus pædagogicos se præparare ad vitam applicare se, non resistere moventi, formantique posse demonstraveritis.* Nos vero Vite! hominem se posse præparare, applicare &c. clarissimis verbis negamus. Quousque autem extendi velit similitudinem trunci, lapidis &c. ipsa Formula eodem loco docet, quod tu vidisti quidem, sed è re tua non putasti esse recitare. p. 662. F. C. sic loquitur: *Ad hanc vero Spiritus S. renovationem nullus lapis nullus truncus, sed solus homo creatus est, & cum Deus severissimo & justissimo suo judicio lapsos malos Spiritus prorsus in æternum abjecerit, singulari nihilominus & mera miseratione voluit, ut miserrima & lapsi hominis natura conversionis & gratiæ Dei ac vitæ æternæ rursus capax particepsque fieret & esset, non ex sua propria naturali & activa aut efficaci habilitate, aptitudine aut capacitate, natura enim hominis est inimicitia adversus Deum, sed ex mera gratia*

per

per clementem & efficacem operationem Spiritus Sancti. Et hoc ipsum vocat D. Lutherus capacitatem non activam sed passivam, eamque his verbis declarat &c. Videt lector, quomodo homo capax conversionis fiat, nempe gratia Spiritus Sancti præveniente, idem & Formula, & nos hodie docemus

§. 225. Nihil difficilius est, quam soli præcipitantiæ affectuum tribuere, quæ Vitus in B. Buddeum scripsit, p. 454. quem perjurii, audaciæ, imprudentiæ postulat acerbissime. Recitabo Buddei verba, quorum paginam tantum, nempe Instit. Theol. Dogm. 976. laudat Vitus: Sic Theologus Jenensis: *Si Deus secundum potentiam absolutam cum hominibus agere vellet, nemo utique ei resistere posset. Secundum istam enim potentiam etiam ex lapidibus potest excitare filios Abrahamo, Matth. III. 9. Sapientiæ vero divinæ omnino est conveniens, ut cum hominibus secundum certum ordinem agat, eo scilicet modo, quo humanæ naturæ id postulat indoles. Quantumvis enim per peccatum valde corrupti sint homines atque depravati, homines tamen sunt, minime autem bruta, aut ligna, aut lapides, eoque magis Sapientiæ Numinis hoc est conveniens, quod idem bonitas, immo justitia, adeoque & sanctitas ejus postulet. Certe, si homines nulla ratione gratiæ divinæ resistere possent, caussa, cur plerique non convertantur, & salventur, sed potius damnentur, non in ipsis hominibus sed in solo Deo quærenda esset. &c.* Hæc ut sunt Buddeo autore suo digna verba, ita

Viti

Viti ingenio digna est accusatio: imprudentissime sic affirmasse Buddeum, quæ neget Formula, negasse, quæ illa affirmet. Satis erit ipsa Buddei verba vidisse.

§. 226. Lubens prætereo cavillationem p. 455. obviam p. 456. paralogismus pellucet. Ita Vitus ratiocinatur: *Quidni vero tribuenda nostro arbitrio ex Lutheranorum mente aliqua ex parte regeneratio esset; cum soli arbitrio Lutherani tribuant, quod plures non regenerentur.* Pulchre! Sic perdito filio tribues facultatem insignes conquirendi opes, quia facultatem habuit amplissimum patrimonium dissipandi; & reddere sibi vitam αὐτόχειρες certissime possunt, quia exemisse sibimet eam dubitari nequit. Mirum, si sine rubore talia Vitus scribere & Philosophi aut *liberæ mentis* gloriam serio affectare potuit. Dilemma eadem pag. oppido absonum occurrit. Nam Lutherani à libero arbitrio, præter gratiam, *nihil* requirunt ad regenerationem, itaque quale *illud* sit, quod requirant, frustra disputatur. Hoc requirunt, ut homo gratia divina præventus ne resistat, h. e. jubent aliquid, quod potuisset agere, non agere, sed hanc ipsam actionem pravam omittere, non posse docent, nisi per ipsas tractiones Spiritus Sancti. Pag. 457. 458. horrendis conviciis Lutheranos proscindit Vitus, quorum ipsi pœnitentiam & à Deo veniam precor, respondere res non postulat. Negat nos effugere posse, quia aliquid

aliquid homini irregenito virium ſpiritualium largiamur, nam illud *non-reſiſtere* eſſe: *velle gratiam*; Hæc ſi credere ajenti Vito nolimus: ſententia lata eſt ead. pag. *Ridicule ineptiunt Lutherani & obſcuro ſuo ingenio alios temere metiuntur.* Nos quidem Vite clariſſime! cauſſa noſtra ſalva concedere poſſemus, *non reſiſtere* eſſe velle gratiam, quando hoc ipſum *non reſiſtere*, quicquid eſt, gratiæ non viribus naturalibus toties transſcripſimus; ſed cum res doceat non eſſe idem, non nos quidem viciſſim eos ineptos vocabimus, qui capere non poſſint, ſed veritati non deſumus. *Velle* rem non poteſt, niſi qui, quid agatur, cognoſcat, at *non reſiſtere* poteſt, qui, quid agatur, neſcit. Itaque quamquam utrumque & *velle*, & *non reſiſtere* a gratiæ viribus derivamus, non poſſumus tamen pro eodem habere; ſed *velle* illud ſequitur demum accenſa aliqua intellectu majore luce, poſtquam homo primis motibus tum intellectus tum voluntatis eò perductus eſt, ut non repugnet refractariè, quamquam ſemper poſſit repugnare. Sapientius egiſſes Vite! ſi domi continuiſſes cavillam p. 459. *Tantum igitur inter Lutheranos & veri nominis perjuros diſcrimen eſt, quantum eſt inter nolle & non velle* inter velle & *non nolle.* Eſt ſane, tametſi tu non videris intelligere, magnum inter hæc quoque diſcrimen. *Nolle*, ſi accurate velis loqui, is tantum poteſt, qui, quid agatur agen-

agendumve sit, novit, *non velle*, qui de tota re nec cogitat. Ita *velle* ponit notitiam in volente, *non-nolle* nullam ponit. Eadem pag. 459. *delirare* nos dicit, qua urbanitate est Vitus, quod dicamus *non resistendo passivè se habere*. Sed & sæpe dictum est, & repetimus, quamquam illo tempore, quo Spiritus Sanctus opus conversionis solus perficit, non sit homo otiosus, fieri enim non potest, quin saltem aliquid cogitet. Ista tamen omnia ad ipsum opus conversionis non pertinent. Τὸ *non-resistere* vero actionem esse, h. e. *non agere* esse *agere*, credat Vitus, si ita placet, nam per nos licet, vicissim vero nobis per ipsum liceat, hoc non credere. Sed tædet plura in re plana. Itaque p. 460. 461. transsilio. p. 463. plaustra sunt conviciorum.

§. 227. Intemperies astuantis animi obstitit, quin videret Vitus sibi maxime adversari locum pulcherrimum F. C. pag. 668. Ibi queritur Formula dari Epicuræos & Enthusiastas, qui sincera doctrina de *totali hominis impotentia*, *in spiritualibus*, abutantur, atque adeo verbum & sacramenta secure spernant, atque expectandum dicant, dum *à Deo violenter convertantur*. Hic Vitus noster p. 463. *Nonne*, inquit, *hæc ipsa sunt*, *quæ nobis objiciunt impudentissimi Lutherani?* Bene, mi Vite! Ergo & Lutheranis ab Epicuræis, & Reformatis ab iisdem Epicuræis, & quando ita vis, ab ipsis Lutheranis, idem objicitur. Super-

eſt, ut videamus, quomodo extricare ſe poſſint, cum Lutherani, tam Reformati. Tu ais libros noſtros ſymbolicos eadem plane ratione, qua Reformati ſoleant, iſtas objectiones refutare. Videamus: F. C. p. 669. ita reſpondit: *Hanc ob cauſam porro è verbo Dei docebimus, quomodo homo ad Deum convertatur, quomodo & quibus mediis, videlicet per verbum vocale & per Sacramenta Spiritus S. in nobis efficax ſit, & veram pœnitentiam, fidem, novasque ſpirituales vires ac facultates ad bene agendum in cordibus noſtris operari & largini velit & quemadmodum nos erga oblata illa media gerere, & iis quomodo uti debeamus. Non eſt voluntas Dei, ut quiſquam pereat, ſed vult, ut omnes homines ad ipſum convertantur, & in æternum ſalvi ſint.* Paullo poſt, nam omnia deſcribere nolo, quamquam lectu digniſſima, ſic pergit Formula Concordiæ: *Hanc verbi Dei prædicationem audire oportet omnes, qui æternam ſalutem conſequi cupiunt: Prædicatio enim verbi Dei & ejusdem auſcultatio ſunt Spiritus S. inſtrumenta, cum quibus & per quæ efficaciter agere, & homines ad Deum convertere, atque in ipſis & velle & perficere operari vult.* Hoc Dei verbum homo etiam nondum ad Deum converſus nec renatus, externis auribus audire & aut legere poteſt. &c. Hinc apparet, quid Lutherani reſpondeant Epicuræis & Enthuſiaſtis noſtra doctrina abuſuris. Scilicet 1) gratiam Dei univerſalem fundamenti loco ſubſternunt. 2) mediis ſalutis utendum

eſſe

esse, iisque posse homines, Spiritus Sancti tractionibus non reluctantes uti. 3) Conversionis negotium non fieri subito & violento aliquo actu, sed excitare Spiritum S. primo cupiditatem aliquam salutis per verbum, excitata ista cupiditate ulterius verbum audiendum & meditandum esse, dum ipsa fides existat salutaris & conversionis adeo opus absolvatur semper duraturo opere renovationis. Tuum jam erit Vite! dicere, an eodem modo vel Epicuræorum vel nostris objectionibus respondere placeat? Adhuc quidem in alia omnia te ivisse constat. Gratiam doces particularem irresistibilem, totam conversionem *in instanti* fieri &c. Quæ cum ita sint, cum tua Sententia à F. C. quantum terra à fixis stellis, distet, tamen sapientem te credis, nos hominum insulsissimos, qui nobis videamur cum F. C. docere. Quanto satius esset Vite! tandem erubescere!

§. 228. pag. 464. Pergit nobis tribuere, quæ lutheranorum nemo unquam dixit. Sed transeo. P. 465-467. seqq. persvadere nobis conatur, heu quam absone! uti se posse eadem responsione contra Epicuræos, qua usam esse Formulam modo vidimus, se quoque dicere secundum revelatam voluntatem, velle Deum, ut omnes homines ad se convertantur. Quo vero colore, qua fronte hæc dicis Vite! quæ credis esse falsissima. A Lutheranis absit alia dicere, alia credere.

Verum piget his immorari. p. 468. denuo cavillatur, Formulam Conc. docere *gratiam irresistibilem.* p. 469. acerbissime repetit, quæ supra § 222. vindicatis Musei Buddeique verbis, jam dilui. p. 470. observat è F. C. p. 678. *facultatem applicandi se ad gratiam*, i. e. ut Vito placet, *non avertendi se à gratia, non resistendi, non ex naturalibus propriis viribus, sed ex sola Spiritus S. operatione promanare;* quasi unquam quisquam nostratium alia docuisset. Tametsi enim *applicare se, & non resistere*, non sunt unum & idem, utrumque tamen tractionibus Spiritus S. deberi, toties diximus ut fere pudeat repetere. p. 471. è verbis Formulæ: *Homo non renatus Deo prorsus rebellis est, & totus servus peccati*, illico colligit: *Ergo Dei gratia, quæ nos ex rebellibus, obedientes facit, eo ipso irresistibilis est, alias enim nemo irregenitus regenerari posset.* Sed ex Buddei libro, quem habet Vitus, discere potuisset, non primos motus intelligi, qui sane irresistibiles sunt, cum gratiam resistibilem dicimus, sed subsequentem operationem Spiritus Sancti, quin & primi illi motus, hactenus sunt resistibiles, non, ut non veniant, sed ut non sint efficaces. Gratiæ autem resisti posse utinam non docerent tot tristia exempla! p. 471. 472. antiquum obtinet Vitus. Nos ea omnia, ut centies dicta refutataque præterimus.

§. 229. Pag. 472. §. 82. it. p. 473. peroratam vult hanc caussam Noster, Formulam docuisse

se

ſe abſolutam prædeſtinationem & irreſiſtibilem gratiam. Quæ qui nolit credere, ſe indignationem clariſſimi Viti noverit incurſurum. Nam hæc quæ dixit noſter, *ita gravia, ita illuſtria ſunt, ut ea nemo ex Lutheranis, niſi cui prava mentis obſtinatio, nihil frontis, nihil pudoris fecerit reliqui, aut negare, aut infirmare, aut convellere poſſit.* Singulis ſatis reſponſum eſt, itaque Tibi Vite! precamur bonam mentem, quam ubi acceperis, negabis, infirmabis & convelles ipſe. Ceterum de gratia univerſali & reprobationis rationibus, optionem nobis, qua eſt liberalitate, Vitus relinquit, placeatne Formulæ Concordiæ diſtinctione inter voluntatem Dei arcanam & revelatam, ſibi ipſam conciliare, quod commode poſſe fieri putat, & tum Formulam nihil dixiſſe, quod non Reformati utroque pollice ſe probaturos etiam jurati polliceantur: An vero tueri velint, Formulam, uti electionem abſolutam, ita reprobationem etiam ratione arcani conſilii, conditionatam docuiſſe? Mirari non ſemel ſubiit, qua factum ratione ſit ut Formulam C. contradictionum cauſſa, quas illi ineſſe criminatur, tam horrendis conviciis lacerare poſſit, & jurare tamen poſſe commode in omnibus, in ipſo quoque argumento de reprobatione, conciliari cum ſupralapſario dogmate. In tuenda diſtinctione voluntatis revelatæ & arcanæ, quam ſi utraque hæc voluntas re eadem eſſe ſtatua-

tur, nobis placere diximus, occupatur Vitus, p. 474. 475. Hinc excerpo sequentia: *Imperite mirantur Lutherani, qui fieri possit, ut, cum nos divinæ arcanæ voluntatis prædestinationem absolutam existimemus, publice tamen coram imperita plebe cum ipsis Lutheranis ita & loquamur & sentire videamur, ut fidem nostris auditoribus ipsi facere non possint, nobis ea videri, quæ videantur.* Ita ego à teneris institutus sum, ut eum, qui videri velit alia sentire, quam sentit, eo quidem tempore, locoque, quo veritatem nudam exponere debet, & præ se fert, velle exponere, *impostorem* credam egregium, atque hoc credo adhuc firmiter, tantumque odi, non distinctionem innocentem inter voluntatem revelatam & arcanam, sed ejus horribilem abusum, de quo me Vitus docet, ut odisse soleo, quæ sunt exitiosissima. *Coram imperita*, inquis, *plebe.* Hem, quam indigna hæc sunt homine, qui Christi discipulus haberi vult! Si imperita est, quin tu facis peritiorem? Cur studio, in errore, quem saltem putas, confirmas? Erubesce Vite! & veniam pessimi facti à Deo supplex pete! Sed & falsum est vos semper ita ad populum loqui. Prodiit ante paucas hebdomadas liber Trevirani, Wahrheit in JEsus. Bremæ 1730. Ibi pag. 898. claris verbis ad populum loquitur: Viele hat GOtt darzu geladen, nicht aber alle Menschen. Ead. pag. Endlich ist dieses Mahl groß wegen der vielen Gäste, die dazu beruffen werden,

welches

welches sind alle Erkaufften aus allerley Geschlecht und Zungen und Volck und Sprachen. Offenb. 5, 9. Hoc loco apocalypseos solos electos intelligi dubio caret. Cum vero paullo post ab ipsis his vocatis repudiatum esse convivium ipse Treviranus conqueratur graviter, scire velim quomodo possit contradictione expediri. Sed videtur de contradictione, quam exemplo Viti mei committit, parum esse sollicitus. Idem de perseverantia sanctorum, satis crasse. p. 828. Obwohl solche können von der Wahrheit abweichen, die einige buchstäbliche Erkänntniß davon haben, so ist doch solches denen unmöglich, welche von der Salbung selbsten gelehret sind &c. p. 680. loquitur von der Erwerbung und Zueignung der Seligkeit: An welchem GOtt das eine thut, an dem thut er auch das andere.

§. 230. Pag. 476. sequ. Vitus conatur ostendere, quomodo Theologi Lutherani Semipelagianam doctrinam post Form. Concord. resumserint, idque faciendi autorem Melanchthonem mature fuisse, quem quidem ante F. C. decessisse novimus. Hujus rei testem nobis omni exceptione majorem laudat *Magnum Erasmum*, sic enim vocat in Hyperaspiste. Prodigii simile est, quod, cum receperit Vitus patres nostros post F. C. ad Semi-Pelagianos accessisse, id factum esse Erasmo Lutheroque superstite, immo quam diutissime superstite, imprudens doceat. Verissimum est Vite! quod Cyprianum & Nichol-

sium recte observasse §. 130. supra docuimus, Lutherum ac Philippum initio, atque ipso maxime anno, 1522. quo locorum Melanchthonis ea editio, quam tu laudas, prodiit, durius non modo locutos esse, sed & impeditius sensisse, de prædestinatione, sed & mature, quod & in libro de S. A. jam elucet, non ad Semipelagianam doctrinam, à qua, Lutherus saltem, dum vixit, longissime abfuit, sed ad veritatem accessisse, atque in ea constanter mansisse. Prout & loci Melanchthonis, non demum mortuo Luthero, sed superstite, hac in parte luculenter mutati sunt, quod & de commentario in epist. ad Rom. observatum supra est. Melanchthonis locos laudat Lutherus in exordio libri de S. A. sed quid inde? Nihilominus, tametsi contra Erasmum & Pelagianos rectissime docuit Philippus, potuit aliqua minus bene posuisse, & ea non amplius sensisse Lutherum, cum de S. A. scriberet, nostra abunde docet commentatio. Scribit Vitus p. 479. *Eadem de his locis sensere Lutherani, quamdiu Lutherani erant, unde etiam factum, ut à Justo Jona in vernaculam linguam traduceretur.* Hæc non scripsisses Vite! si in his rebus versatior esses, & vidisses Justi Jonæ versionem, ex ea an. 1542. facta, supra §. 82. recitavi pulcherrimum locum, ubi mutatis his, quæ in primis editionibus non bene posuerat Philippus, ita plane, ut hodie loquimur & sentimus, docuit. Itaque si tum,

quod

quod fateris, Lutherani adhuc fuere Lutherani, nos quoque esse Lutheranos, qui ea omnia probamus, fateri par erit.

§. 321. Pag. 480. Infeliciter, ut semper, Vitus contradictionis reum acturus Leonhardum Hutterum, suam in his rebus imperitiam prodit. Nempe Hutterus uno loco probabat calculo suo elogium Lutheri de locis Melanchthonis, *si intelligatur de editione illa, quæ à Luthero adhuc vivo, visa lecta & approbata fuit*; alibi, primas locorum editiones ὀρθοδοξίαν præ se ferre fatetur, *si unum caput de prædestinatione excipias.* Hic sibi contradixisse b. Hutterum Vitus noster ait. Falso. Recte enim laudat editionem adhuc vivo Luthero visam, lectam, approbatam, ubi voces: *adhuc vivo* satis docent intelligi editionem non nimis diu ante beatum obitum Lutheri. Et prodiit sane duplex Latina & Germanica, an. 1542. emendata, in qua editione penitus, quod offendere poterat in doctrina de prædestinatione sublatum, & sanissime omnia exposita sunt. Neque minus recte in primis editionibus laudandis doctrinam de prædestinatione excipit. Quod addit Vitus: *Constat ob has ipsas supralapsarias sententias Lutherum Melanchthonis libellum invictum & canone dignum pronuntiasse*, nihil facit ad convincendum contradictionis Hutterum, qui sibi optime constat, sed posset suspicionem facere credidisse tum Lutherum, veras esse supralapsa-

rias ſententias. Verum reſpondeo: *non conſtare* licet ajat Vitus, ob has ſententias Luthero Melanchthonis libros adeo placuiſſe. Placuerunt ob proſtratum Pelagianiſmum, ad quem proſternendum ſupralapſariis hypotheſibus nihil opus eſt.

§. 232. Gaudeo me laudare aliquando poſſe clariſſimum Vitum, quod facere adhuc non potui. Pag. 481. locum ex Melanchthonis locis editis an. 1543. in quo has tres cauſſas conjungit, *Verbum, Spiritum S. & voluntatem hominis*; & rectè obſervat, hanc locutionem repudiatam eſſe in Form. Concord. Quamquam mihi hæc, quam laudat Vitus, editio, anni 1543. non eſt ad manus, conſpirant tamen, quæ hic excerpſit cum germanica editione Juſti Jonæ, quæ ex emendata an. 1542. per ipſum Melanchthonem editione translata & 1544. edita eſt Witebergæ. So ſehen wir nun in dieſem Exempel dieſe Drey bey einander, GOttes Wort oder Verheiſſung, den Heiligen Geiſt und menſchlichen Willen, welcher nicht ſoll müßig ſeyn, ſondern der Schwachheit wiederſtreben. Dieſe Drey pflegen die alten Väter auch bey einander zu ſetzen. Hanc locutionem concedo p. 680. Form. Conc. repudiatam eſſe gravibus de cauſſis, neque vero ſequitur, tum cum ea uſus eſt, neque adhuc eſſent lites Synergiſticæ natæ, malè ſenſiſſe Philippum, commodamque non poſſe admittere explicationem. Porro fallitur miſerè

ſerè Vitus, cum hodiernos Lutheranos ita loqui ait, quod quidem in nullo, qui poſt F. C. ſcripſit, obſervavi, ſi legit Vitus, oſtendat. De Synergiſtis res liquet. Ita Caſpar Cruciger etiam minus accurate *in Evangel. Joh. cap. XII. pag. m. 566.* ſcripſit: *Eſt igitur in voluntate DEI, cauſſa electionis, miſericordia & meritum Chriſti, ſed concurrere oportet apprehenſionem noſtram; cum enim promiſſio gratiæ ſit univerſalis, ut manifeſtiſſimum eſt, & neceſſe ſit nos obedire promiſſioni, aliquod diſcrimen inter rejectos & electos à voluntate noſtra ſumendum eſt, videlicet repugnantes promiſſioni rejici.* Præfatus eſt in hunc librum ſuum Cruciger d. XIII. Februar. 1546. atque adeo quinque diebus ante obitum Lutheri, totoque libro acriter Supralapſario dogmati, ut omnes Lutherani, qui tum ſcripſere, contradicit. Dixi minus accurate Crucigerum locutum eſſe, quod dixit *concurrere* oportere *apprehenſionem* noſtram, etſi enim iſtam apprehenſionem viribus Spiritus S. fieri & ipſe credidit, rectius tamen voce *concurrere* abſtinuiſſet, quæ veram cauſſam rei ſignificare videtur. Idem de phraſi: *aliquod diſcrimen à voluntate noſtra ſumendum eſt*, obſervandum cenſeo. Ita vero, mi Vite! non usque quaque *accurate*, quantum ad rem attinet, *non malè* ſcripſerunt tum Witebergenſes Theologi, cum Lutherani adhuc eſſent, ut te arbitrantem §. 230. vidimus; neque enim malè ſenſit Cruciger hac ipſa, improbata

 qui-

quidem mihi, phrasi; *discrimen à voluntate sumendum esse*, cum ipse de repugnantibus promissioni & ideo rejectis, explicet, facile autem posset aliquis inde colligere, ut voluntas hominis in malis ad perniciem confert, ita aliquid in bonis ipsorum voluntate conferri ad salutem. Itaque post Form. Conc. cautiores facti Lutherani Synergisticis litibus, non modo idem, quod illi vetustiores senserunt, sed & eandem sententiam accuratioribus verbis exposuerunt. Tantum abest, ut verum sit, quod hodiernis Lutheranis tribuis. Pag. 482. ais: *Non existimo profecto Lutheranos orthodoxius vel posse loqui, quam hic Basilii Chrysostomique verbis usus Melanchthon locutus est.* Quid vero ambagibus opus? Monstra quis Lutheranorum ita loquatur post Form. Concord. Si neminem nosti, calumniari desine. Convicia ejusdem paginæ omitto. Melanchthonem in postremis editionibus locorum subinde magis ad Synergistas sese applicuisse, non opus habemus à Te doceri, sed caussam tuam parum juvat.

§. 233. Mirus vero antiquitatum Lutheranarum indagator est Vitus, qui p. 483. detexit, quinam Lutherani Hunnianorum prodromi & jam tum alieniores ab absoluta reprobatione fuerint. *In his*, inquit, *principem censeo illum Jacobum Andreæ* &c. *Iste enim jam Argentorati an.* 1563. *in formula consensus inter Zanchium & Marbachium tuetur, pariter omnes*

ex æquo ad salutem vocari, cum orthodoxi Lutherani sedulo vocationem externam ab interna, quæ juxta propositum DEI esset, quaque soli electi & vocarentur simul & adducerentur etiam, distinxerint. Antequam de re dicam, monendus es Vite! cur Jacobum Andreæ potius, quam vel Zanchium ipsum, qui cavillatoriè quidem sed tamen subscripsit, vel Joh. Sturmium, vel ceteros, qui isti Argentoratensi Formulæ subscripserunt, autorem hujus, si tibi credimus, Semi-Pelagianismi, facias? Saltem mirum est, cum tot alii subscripserint, soli Andreæ istam formulam, quasi propriam tribuere. Ceterum Vite! si, ut probabile est, è parte 2. histor. motuum Ven. Lœscheri istam formulam cognovisti, cave credas, Lœscherum putare an. 1563. demum nostros à Vestris in hac caussa dissensisse. Dissenserunt multo ante, sed nondum in apertas lites proruperant. Jam ad rem. Totus falleris Vite! cum Jacob. Andreæ, principem talia sensisse, existimas. Et in errore immani cubas cum Lutheranos orthodoxos perhibes vocationem externam ab interna sedulo distinxisse. Quanta audacia sine tabula & teste talia ex ingenio confingere? Prodiit an. 1559. *Illustrissimi Principis Joh. Frider. II. & fratrum confutatio corruptelarum sectarum & errorum, per Theologos Jenenses scripta.* Qui liber, si quis alius, orthodoxam Lutheranorum mentem continet. Ibi pag. 10. sic extat: *Recte extollitur*

mini-

ministerium verbi & Sacramentorum, tanquam unica officina Spiritus S. & ineffabilis thesaurus. Utpote per quem DEUS verus & salvificus alioquin in infinita illa æternitate ac nuda majestate incomprehensibilis, ultro ex invisibili illa & arcana sede ad nos alloquendos prodiit, & suam nobis voluntatem de nostri salvatione & translatione ad se patefecit, jussitque talem (non aliam reprobos aliam electos) *patefactionem universos mortales audire ac sequi, tanquam suum irrevocabile decretum, sapientiam cœlestem.* &c.

§. 234. Extat commentar. in ep. ad Titum, Christophori Hoffmanni pastoris Ecclesiæ Jenensis editus an. 1541. Francof. apud Petr. Brubach. Ibi, ut alia similia loca omittam, p. 190. ita scripsit: *Cum igitur Paullo sit sermo de gratia Dei, quæ per Evangelium de Christo humani generis redemtore vulgata est, sigificat magnificè prædicatam esse omnibus in toto terrarum orbe, nec prædicatum solum, sed & signis & prodigiis & variis virtutibus & Spiritus S. donis confirmatam. Nec aliud est gratia, quam gratuita beneficentia misericordiæ Dei, qua peccato & morti eripimur per liberatorem Christum, quæ recte ob id dicitur salutifera. Et quia in omnes vulgatur & spargitur sine personarum respectu, salutifera omnibus hominibus.* Paullo post: *Et illæ omnes universales diligenter observandæ sunt, non ideo solum, quod meritis operum nostrorum derogant debitum remissionis peccati, testantur enim, quod illa promiscuè in omnes conferantur, quæ faciunt ad nostram æternam salutem per gra-*

gratuitam misericordiam Dei & liberatorem Christum, verum etiam quia peccatores mirificè consolantur. Vides mi Vite! Theologum qui ætate Jacobum Andreæ multum vincit, eadem scripsisse. Daturus eram multo plures, & compensaturus aliquo redhostimento operam tuam consarcinandi loca Theologorum, quæ tibi quidem nihil prosunt. è Pandochæo, sed non videtur necesse, itaque paucos alios, potissimum vero Brentium, quem in genuinis Lutheranis esse non negabis, hic laudare animus est.

§. 235. *Erasmi Sarcerii nova methodus in præcipuos scripturæ locos* prodiit Basileæ. 1546. Ibi p. 57. hæc leguntur: *Ceterum, ut conscientiæ à desperatione vindicentur dicturi de prædestinatione ab Evangelio ordiri debent, quod est universalis promissio. Et semper currendum est ad prædestinationem conditionis, de qua in partium loco dicemus: Si ambulaverit Israel in præceptis meis, servabitur; si tu susceperis Evangelium, servaveris.* Et paullo post: *Talis finis est totius prædestinationis, quantum ad homines attinet, ut sciamus nos esse prædestinatos sub conditione: Ut S. susceperimus evangelium, erimus filii Dei, quos elegit Deus, ut adoptaret in filios, ad Ephes. I. & probat hanc conditionem universalis Evangelii promissio. Quod autem damnamur, id ideo accidit, quia non credimus Evangelio. — Et pertinent huc loci scripturæ, qui universalem gratiam promittunt, quibus debent se erigere conscientiæ contra insultus, quos ratio ex prædestinatione objicit.*

Ut:

Ut: Deus vult omnes homines ſalvos fieri; Deus non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur & agat pœnitentiam. Item Matth. XI. venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, ego reficiam vos. Hæc Sarcerius, & ejus generis longe plura pulcherrime ſcripſit anno 1546. Ejusdem de reprobatione p. 60. memoria dignus locus eſt. *Quæ verba*, Auguſtini, *in hunc modum explicari poſſunt: Quod bonum ſuſcipiamus, credamus Evangelio & illud ad extremum usque ſervemus, ex gratia eſt, voluntatem parante, quæ poſtea acquieſcit Evangelio, vult & accipit oblatam per Evangelium promiſſionem. Econtra, quod mali non ſuſcipiant bonum, non credant Evangelio, & fortaſſis creditum rurſus abjiciant, ut damnentur, id contingit ex libera illorum voluntate, in qua ſtant mali deſerti à Deo, quos Deus ſuo jure deſerere poteſt, quod illi eſt liberum.* Habes mi Vite! Theologum alterum, qui ante Jacob. Andreæ noſtram ſententiam accurate expoſuit. Sed non prætereundus eſt antiquior hoc *Andreas Althamerus*, qui *conciliationes locorum ſcripturæ* 1536. extant antiquiores editiones ſed à me non viſæ, Noribergæ eddit, præfatus autem eſt *menſe Junio* 1534. *Onolzbachii*, in eadem urbe, in qua ego hodie vivo. Is noſtram doctrinam compluribus locis tuetur egregie. Unus ſuffecerit. *Fol.* 214. *b. Evangelium prædicatio eſt de filio Dei, quod ſit caro factus, crucifixus, mortuus, portaverit peccata totius mundi. — Hanc Evangelii gratiam cum audit mundus prædicari, ſua ſapi-*

sapientia & justitia inflatus non admiratur, non plausu, jubilo ac honore excipit, non agit gratias Deo largitori &c. Prodierunt Witebergæ an. 1538. *Propositiones D. Martini Lutheri ab initio negot. Evangel. ab auctore tractatæ usque in hunc diem.* Ibique disputat. I. de fide, th. 18. 19. ita Meglander: *Sed vera fides dicit: credo quidem filium Dei passum, & resuscitatum, sed hoc totum pro me, pro peccatis meis, de quo certus sum. Est enim pro totius mundi peccatis mortuus. At certissimum est me esse partem aliquam mundi, ergo certissimum est pro meis quoque peccatis mortuum esse.* Secunda disput. de lege thes. 33. *Si ergo Christus est omnium hominum Salvator in toto mundo, necesse est Paullum loqui de lege & peccatis omnium hominum totius mundi.* Denique b. Lutherus, ut ad antiquissima adscendamus, commentatus est in Jonam. an. 1526. Ibi litera L. ita ait. Aus den allen lernen wir, wie GOtt ein Helffer ist aller Menschen, nicht alleine der Juden, wie S. Paulus spricht, 1. Tim. 2. GOtt will, daß alle Menschen genesen, und zum Erkänntniß der Wahrheit kommen. Und daß wir Heyden, als die zur letzten Stunde kommen sind, und gar nichts gearbeitet, gar unwürdiglich zu GOttes Gnade kommen, weil uns dieselbige nicht ist verheissen gewest, wie den Juden. GOtt wolte, daß wir dankbar wären, und machten uns dieselbigen nütze, wie diese Leute zu Ninive gethan haben, auff daß wir nicht auch zuletzt durch Undankbarkeit ärger umkommen, wie denen zu Nineve hernach geschah. Quin & occur-

currunt loca Megalandri, quibus Synergistæ abuti potuere deinceps: e. g. Im Seeman zu Erfurd gehalten, auf der Reise nach Worms an. 1531. colum. 3. Sollen den Geitz, zeitliche Ehre und andere Laster anstehen lassen, und unsern nächsten armen Menschen behülfflich seyn; also wird GOtt in uns erstehen, und wir in ime, das heist dann ein neu Gepurt. Vin antiquius? Außleg: und Deutung des h. Vatter unsers, Leipzig. bey Melchior Lotther, 1518. fol. 5. 6. Es ist zu wissen, wie uns GOtt hierinnen anzeigt unser dürfftiges Leben, bezeuget, daß wir seines Namens Lästerer seyn. Zum andern, lässt er uns sehen seine Gütigkeit, dann so wir wissen, daß wir nichts mehr vermögen, so will er der Hülffer seyn, allein, daß wir anheben ihn zu bitten. Er will uns vergeben, wann wir unsre Noth klagen; O Christe, ich befinde in mir, daß es wahr sey, ich kan und vermag nichts, darum du mein gecreutzigter Christe, ruff ich dich an um Hülff, hilff du mir, dann mir sonst alle Hülff gebricht. Similia habet ibid. B. 5. 6. sed hæc sufficiant, docere autem Vitum meum debent, condonandas esse b. Luthero é tenebris eluctanti, duriores phrases, quæ mox his mox illis, favere videntur. Extat liber in oct. ipso anno 1525. apud *Hervagium* à *Martino Bucero* latinæ versionis auctore editus: *Enarrationes Martini Lutheri in epistolas D. Petri duas & Judæ unam, in quibus, quicquid omnino ad Christianismum pertinet, consummatissime digestum leges. MDXXV.* In Buceri præfatione hoc com-

commemorabile est, quod narrat, in usum Gallorum, *apud quos felicibus admodum initiis gloria gliscit evangelii*, se latinitate donasse Lutheri librum germanicum. Nos excerpimus pulchra verba fol. 135. b. *Vide autem ut gravibus & vehementibus verbis D. P. utatur, negant, inquit, Dominum, qui eos mercatus est. Debebant subjecti huic esse ut Domino cujus peculium sint, nunc credunt quidem ipsum dominum esse, & orbem suo redemisse sanguine, at se quoque redemisse non credunt, neque suum esse Dominum agnoscunt, dicunt enim mercatum quidem esse se atque redemisse, id autem nondum esse satis, verum oportere antea, per opera nostra expiari peccata, satisque pro ipsis facere. Ad hæc nos respondemus, si ipse tua peccata tollis atque deles, quid Tibi præstitit Christus? Neque enim duos facies Christos, qui peccata tollunt? &c.* Paullo ante hæc scripserat: *Nequaquam, inquiunt, Dominum negamus, sed, cum rogantur, si per Christum redemti estis, & hujus sanguine vestra peccata deleta sunt, quidnam quæritis vobis hoc vitæ instituto? ajunt illico: Fides sola satis non est, etiam opera sunt adhibenda, atque hoc pacto, Deum ore quidem confitentur, corde autem omnino negant.*

§. 236. *Joh. Brentius*, ad quem accedendum duxi *in homil. in* 1. *Sam.* quas, ut è Bidenbachii præfatione patet, circiter an. 1536. scripsit, *Tom. II. operum p.* 470. de modo, quo impius convertatur, ita disserit: *Maxime autem omnium è tota hac Samuelis oratione observandum est,*

 quo-

quomodo convertatur impius & resipiscat. Etenim ante omnia ducitur impius in agnitionem peccatorum suorum, id quod fit, explicatione legis, increpationibus & minis suppliciorum, quæ peccatoribus ex decreto divini judicii imminent. Quin & ipsa corporalia supplicia, quæ vel divinitus contingunt, vel humano judicio infliguntur, commoda instrumenta sunt, quibus impius ad cognitionem suæ impietatis perducitur. Mox agnito peccato & territa conscientia proponitur Evangelion de semine benedicto Abrahæ promisso, hoc est, de Domino nostro Jesu Christo, quod per illum peccata gratis remittantur, quippe qui sua passione omnium hominum peccata expiaverit, & Deum nobis propitium patrem reddiderit. Tunc igitur impius convertitur. Videt, qui oculos non avertit, qua fuerit Brentii de gratia universali, de conversione, non in instanti facta, sententia. Resistibilem esse eam gratiam & reprobationis decretum minime absolutum idem Brentius luculenter docet. Tom. II. operum p. 65. *Quid? ergo quod Chananitæ indurati sunt, culpa Dei est, non Chananitarum, propterea, quod, si dominus voluisset, non essent indurati, & non restitissent Israelitis contra Deum? Absit, Deus nihil mali vult nec facit. Deus enim est bonitas ipsa secundum essentiam; quomodo autem posset essentia bonitatis male aut velle aut facere? Deus, inquit, PS. 5. non est volens iniquitatem, sed malitia est à Diabolo, non à Deo. Quod autem Chananitæ indurati sint, & perierint, ipsorum culpa est, qua hanc pœnam meruerunt, non Dei culpa.*

Obser-

Observandus enim est processus Dei in talibus actionibus erga peccatores & impios. Etenim Deus in epithetis suis habet nomen misericordis & longanimis. Non igitur præcipitanter agit, cum impio homine vel gente, nec ex improviso punit. Sed, cum peccator impius pergit in peccatis, primum ostendit verbo suo impietatem impii & admonet eum resipiscentiæ. Deinde, si impius perrexerit, immittit ei quædam levia supplicia, ut famem, pestem; quod si vero impius non audit verbum Dei, sed contemnit & induratur, tunc Deus aufert ab ipso omnem fortitudinem & sapientiam, ut iis destitutus prorsus pereat & gens devastetur. Hic est processus Dei in puniendis impiis. Hunc processum tenuit in Chananæis. Ante 400. annos Chananitæ admoniti sunt ab Abrahamo, Isaaco & Jacobo de sua impietate. Deinde cum Israelitæ egrediebantur ex Egypto, admoniti fuerunt de fugienda sua impietate quadraginta annis, quibus Israelitæ vagabantur in deserto. Sed cum non solum non resipiscerent, verum etiam resisterent Israelitis contra Deum, necesse habuerunt sua culpa perire. Iste deinde processus solennis est apud Deum jam ab initio mundi usitatus erga impios. Ante diluvium per Noham, ante Zodomæ conflagrationem per Loth, ante demersionem Pharaonis, in Egypto, per Mosen &c. Hic cave credas Vite! cavillationi tuæ locum esse, qua forte dicturus es, Deum *revelata* voluntate resipiscere voluisse impios Cananitas, Pharaonem, & alios; *arcana*, noluisse. Scripsit Brentius in Exeges. in Joh. fol. 107. b. *Habetne Deus diversas ac plane inter se*

 dissi-

diſſidentes voluntates? Abſit, voluntas enim Dei una eſt perpetua & immutabilis. Tomo VII. operum p. 541. ita Brentius: *Hæc non eſt inconſtantia ſed veritas in ſervandis pactis & promiſſis. Sic enim Deus pepigerat cum Patriarchis, ut in ſemine Abrahæ, quod eſt Chriſtus, benedicerentur omnes gentes. Dicit ergo Paullus Juſtificantur per redemtionem quæ eſt in Chriſto Jeſu, hoc eſt: Deus non receſſit quidem à ſua priſtina ſeveritate, quia vero Chriſtus filius ejus ſuſcepit in ſe peccata humani generis expianda, idcirco reconciliatus eſt cum hominibus propter Chriſtum.* Fateor eundem Brentium in Exegeſ. Joh. f. 204. b. ſcripſiſſe, quod imperitus facile male interpretari poſſit, cum ſit optime dictum: *Chriſtus non ſolum pro una gente Judæorum mortuus eſt, ſed pro omnibus credentibus ſive inter Judæos ſive inter gentes incircumciſas.* Nimirum commentatus eſt hoc b. Brentius, ad *Joh. XI.* 52. quo loco de *credituris* ſpeciatim agi certum, neque vero negatur univerſale Chriſti meritum. Obſignamus hæc Brentii pulcherrimis verbis è *Catecheſi an.* 1551. *edita. Ibi p.* 324. ſic ait: *Quod alias dicitur: Multi vocati, pauci electi, non intelligendum eſt, quod externa & manifeſta Dei vocatio irrita fiat, interna & occulta ejus electione. Neque enim Deus talis eſt, qui aliud corde celet, aliud verbis promittat, ſed intelligendum eſt, quod firma quidem & conſtans ſit vocatio Dei: dona, inquit Paullus, & vocatio Dei ejuſmodi ſunt, ut eorum illum pœnitere non poſſit; homines autem incredulitate ſua vocationem Dei aut*

non

non agnoſcant, aut ſi agnoverint, iterum rejiciant; Itaque quod ad divinam clementiam attinet, omnes vocati ſunt electi, niſi enim electi eſſent; vocati non eſſent, ſicut & Rex ille evangelicus, qui fecerat nuptias filio ſuo, quos ad nuptias vocare juſſit, eos antea nominatim ſelegerat, & invitaverat, & quamquam poſtea mittit ad exitus viarum, ut vocentur, quotquot inveniantur, tamen niſi & hos elegiſſet & felicitatem nuptiarum ſuarum eis faveret, non juſſiſſet eos vocare. Quod igitur ad clementiam Dei attinet, omnes vocati ſunt electi, ſed quod aliqui vocantur, non tamen fruuntur electione, hoc accidit, non Dei, ſed ipſorum vitio, qui aut vocantem Deum contemnunt, aut in vocatione, quam agnoverunt, recepta ſua ipſorum impietate & incredulitate, non perſeverant. Ibid. p. 175. *Quemadmodum Chriſtus expiavit quidem peccata, hac autem expiatione non omnes fruuntur, ſed hi ſoli, qui credunt in Chriſtum, & ſunt membra Chriſti per fidem: ita deſtruxit etiam infernum, quo beneficio omnes quidem homines frui poſſent, ſi vellent; ſed quia plurimis libet Chriſtum contemnere, ac ne requirere quidem, ſoli hi evadunt infernum, qui Chriſtum vera fide amplectuntur.* Hic patet B. Brentium non alia docuiſſe, quam hodie contra Reformatos docemus. Ceterum quod *electionis* voce alio ſenſu uſus eſt, quam deinde nonnulli *formalem* electionem *finali* oppoſitam appellarunt; id quod *Huberi* errori occaſionem dediſſe videtur, neminem turbabit. Placet adhuc monere de Brentio: in præfat. Tomo VII.

 ope-

operum à Brentio juniore an. 1587. præmissa hæc verba legi: *Ut starem promissis, ac testificarer publice Brentium in suis scriptis, nec Papismum, nec Calvinianismum, nec aliud horribile dogma ne una literula approbasse.* Quæ vero adhuc congessi illustria Theologorum aliquot loca, hoc saltem docebunt Vitum meum, Jac. Andreæ non esse *primum*, qui nostram fidem, in quantum à Reformatis dissentimus, docuit; sed cum Jacob. Andreæ videam ab ipso Vito inter fidei nostræ confessores referri, parcam operæ, qua ex ipso aliqua in hanc sententiam laudaturus fueram.

§. 237. Recte Vitus perhibet, hunc Jacob. Andreæ cum orthodoxis sensisse: *Deum omnes serio ad se pro infinita sua bonitate vocare, at cur donum fidei non omnibus à Deo detur ad abscondita voluntatis divinæ referendum.* Sed nos quidem hæc hodieque omnes probamus. Cur Deus alium citius, alium tardius gratia sua deserat: Paullo uberiorem mensuram gratiæ, quam Sauli Israelitarum regi, Tyriis non tantum gratiæ, quantum Choraziniis, qua tamen hi abusi sunt, illi non fuissent abusuri, concesserit; hæc & similia, ad arcana Dei referenda esse scimus Vite! & fatemur. Ipsum Andreæ deinde alia sensisse non minor est calumina, quam doctissimum Moshemium distinctionem inter arcanam & revelatam voluntatem Dei, eo sensu, quo Lutherus usus est, pro impia habere. Non contradicit sibi, qui uno

loco

loco perhibet, explorari a nobis non posse, quæ ratio Deum moveat, ut, cum quidem serio peccatores omnes vocet, alteri majorem det gratiæ mensuram, minorem alteri, unde accendatur in altero fides, in altero non accendatur; alio vero loco docet, culpam in homine esse, qui veritatis amorem non receperit, qui non voluerit credere. Hæc amicissime inter se conspirant, desertionis enim causa minime est arcanum Dei consilium, sed contemtus verbi & gratiæ; verum cum ista *desertio ocius, serius, fiat?* id vero ad abscondita Dei consilia referendum est. Hæc si te negas capere posse Vite! nescio quid tibi faciam. Nobis quidem clarum non sibi contradixisse b. *Jacobum Andreæ, virum plane egregium.* Quæ p. 486. de rebus nemini minus, quam Vito, compertis, ex alio, nescio quo, autore, scripta sunt, glacie magis frigent. Manifestæ autem contradictionis admonendus noster est, qui p. 473 docuerat, posse ita intelligi autores F. C. ut & *reprobationis decretum absolutum* crediderint; porro p. 474 ideo tantum, *ut sit quamobrem suam facilitatem laudent*, largitur F. C. *reprobationis decretum voluisse conditionatum*: idem ille Vitus sui immemor p. 486. ait: *Quo certius esse videtur etiam eos à reprobatione absoluta jam tum abhorruisse, quibus absoluta adhuc electio probatur.* Non potest alios, quam F. C. autores intelligere, quos adeo Vito nostro judice, simul probabile videtur reprobatio-

nem absolutam docuisse, & certum est, ab ea abhorruisse. Cum hic mentio injecta sit p. 473. apologiæ Viti, non possum quin bonum virum igonrantiæ rerum in sua nostraque ecclesia gestarum admoneam. Scripsit ibi Vitus: *Qua re etiam factum, ut neque nos Formula in his articulis damnarit, neque qui ex nostris Formulam oppugnarunt, articulos de prædestinatione & libero arbitrio attigerint.* Non legisti mi Vite! *Rudolphum Hospinianum*, cujus *Concordia discors Tiguri* 1607. *edita* Formulæ nostræ opposita est. Is attigit sane & acerrime attigit articulum de prædestinatione. Itaque non pigebit legisse ipsius verba: fol. 106. *De Prædestinatione. In tractatu de prædestinatione confundunt vocabulum præscientiæ Dei, qua scilicet Deus scit novitque omnia, cum nomine providentiæ, qua recte justeque decernit de omnibus. Sic etiam eandem providentiam Dei, qua cuncta administrat, confundunt cum ipsius prædestinatione, quæ propriè pertinet tum ad salutem electorum, per Dei misericordiam, tum ad reliquorum condemnationem ex justo ipsius judicio. Non agnoscunt Deum (etsi malum seu peccatum ex sola peccantis malitia oriatur, ob quam justas pœnas luat) nihilominus juste decernere, quæcunque & diabolus & homo male agunt: neque propterea mali autorem ullo pacto existere; Nec distinguunt inter æternum Dei consilium, quod semper justum est tam respectu electorum quam reproborum, ejusque executionem, quæ a causis secundis pendet. Vocationem, quæ fit per Evangelii prædicationem ita generalem constituunt,*

ſtituunt, ut ad ſingulos quoque homines pertinere eam exiſtiment, cum potius indefinita cenſenda dicendaque ſit, hoc eſt, pertinere ad quodvis genus hominum duntaxat, non ad ſingula individua; quæ ipſorum doctrina manifeſte pugnat, cum iis, quæ ipſimet ſcripſerunt, & docuerunt, hoc ipſo libro, in tractatione de peccato originis & libero arbitrio. Licet autem fateantur electionem non ad omnes pertinere, ſuſpenſum tamen lectorem retinent de Dei conſilio circa reprobationem, de qua ne verbo quidem meminerunt. In ſumma: toto hoc capite multa ab illis dicuntur præter modum ab Augſtana confeſſione præſcriptum; multa à ſe ipſis admiſcent: & à Lutheri doctrina de prædeſtinatione longiſſime recedunt. Denique locis ſacrarum literarum ſæpiſſime abutuntur & in alienum ſenſum detorquent: Errores omnino paucos: (fortaſſe non paucos) *accumulant, à nullis adhuc proditos, ut merito dici poſſit hanc tractationem minime omnium eſſe Theologicam, & cum ſana doctrina convenientem, cujus ipſos autores pudere neceſſe fuerit, ſi coram legitimo cœtu rationem ſcriptorum ſuorum edere, ſicut in eccleſia fieri conſvevit, tenerentur, ut minime profecto mirum ſit eos examen iſtud refugiſſe.* Hæc, loco quem dixi, Hoſpinianus *ex cenſura quorundam Theologorum Germanorum in librum Concordiæ* recitat. Non ingratum erit Vito & rationem noſſe, cur in doctrina de Prædeſtinatione Formulæ Concordiæ autores Reformatorum errores, duriſſime quidem proſcribendos, ſed parcendum nomini duxerint, nempe potiſſimarum rationum una

 eſt,

est, quod tum plurimi, Germani maxime, ad nos verbis certe, proxime in hac causa accedebant, quos nisi de Cœna Domini & persona Christi &c. gravis mansisset contentio, recipi posse in fidei societatem desperandum non erat. Recitabo locum ex libro 1589. edito. Bekenntniß der Anhaldischen Theologen von den fürnehmsten Haupt-Artickeln der Christlichen Lehre, samt Bedencken über die Præfation des Concordi-Buchs &c. p. 75. incipit ipsorum confessio von der ewigen Gnaden-Wahl der Vorsehung GOttes. Unde sequentia excerpimus: Jedoch wann wir von der Vorsehung oder Erwehlung der Kirchen zum ewigen Leben und ewiger Seeligkeit gedencken, oder auch davon reden, so sehen wir schlecht auf den Rath und Beschluß GOttes, der von Wiederbringung und Erlösung des armen gefallenen menschlichen Geschlechts gemacht, und in der Predigt des heiligen Evangelii offenbahret worden ist, und suchen keine andere Ursache so wohl unserer Rechtfertigung vor GOtt als unserer Erwehlung, urtheilen und richten von der Erwählung nicht aus Vernunfft, noch aus dem Gesetz, sondern allein aus dem Evangelio, achten es auch dafür, daß die Anzahl aller Menschen die da selig werden, so viel uns betrifft, anders nit, denn vom Ende, als nemlich vom Glauben an Christum, das ist aus wahrhaffter und ernster Bekehrung zu dem Mittler soll geachtet und gezehlet werden. Denn wir sind gewiß und genugsam versichert, so viel man gleich hiervon mag disputiren, daß doch nothwendig

wendig die geängstigte Gewissen, wenn Sie in rechten Nöthen und Kampffe stecken, damit sie weder in Heidnische Sicherheit und Heucheley, noch in erschreckliche Verzweiffelung mögen gebracht und gestürtzt werden, zu diesem Stück als einer festen und unüberwindlichen Burg endlich Zuflucht haben müssen, daß nemlich von GOttes Willen allein aus dem hellen geoffenbarten Worte zu richten sey, darinn gelehret wird, daß beyderley Predigt der Busse und Bekehrung und der Gnaden, an alle Menschen stehe, und sie allesamt angehe, und angehöre, und daß in GOtt weder Ansehung der Person, noch wiederwärtiger Wille zu finden, und endlich daß diß GOttes ewiger und ernster Befehl sey, der nicht kan noch mag geändert werden, daß wir Menschen den Sohn hören und der Verheissung Glauben geben sollen. p. 77. Also ist nun die Ursach der Erwehlung oder Vorsehung zum ewigen Leben nicht in uns, sondern in GOtt, nemlich in seinem gnädigen Wohlgefallen, der uns in seinem klaren Worte offenbahret ist, und der H. Augustinus misericordissimam Dei voluntatem, den Willen GOttes, welcher voller unergründlicher Liebe und hertzlicher Barmhertzigkeit ist, nennet, zu suchen: Wie dagegen die Ursach der Verdammniß, ohne Zweiffel, ist die Sünde in den Menschen, welche entweder die Predigt des heiligen Evangelii weder hören noch annehmen, oder ehe Sie von dieser Welt abscheiden, den Glauben verlieren und von sich stossen. Ibid. Und ob wohl der Glaub allein GOttes Gabe und des heiligen Geistes Werk

ist,

ist, so ist doch die Predigt des H. Evangelii ein ordentlich Mittel von GOtt, als ein Werckzeug zu Erlangung des Glaubens verordnet, wie solches folgende Sprüche der H Schrifft bezeugen. Wer es nun höret vom Vater, und lernets, der kommt zu mir. Item. So kommt der Glaube aus der Predigt, und das predigen durch das Wort GOttes. Denn durch dasselbige zeucht GOtt den Menschen, und die solches glauben, nimmt er gewiß an, um des Mittlers willen aus lauter Gnaden, wie er dagegen wiederum die muthwilligen Verächter desselbigen und die in Unbußfertigkeit sterben, ohne allen Zweiffel um keiner andern Ursache willen, als eben wegen Verachtung dieses Mittlers zur ewigen Straff verstößt und verdammt. &c. dicta scripturæ laudantur. p. 79. daß nemlich GOtt auf diese einige und einerley Art und Weise, die Menschen nach dem Falle, ohne Ansehen der Person, zu Gnaden annehmen wolle, allein um des Mittlers willen und durch ihn, wenn sie denselbigen mit wahrem Glauben ergreiffen. Ibid. Also schleusst sie auch, so viel zwar den väterlichen und gnädigen Willen GOttes anlanget, gantz und gar keinen Menschen aus, dieweil der Mittler zugleich mit des gantzen menschlichen Geschlechts gemeiner Natur, auch unser aller gemeines Heil und Seligkeit uns dasselbige zu erwerben, auf sich genommen hat, und nicht kommen ist nur etliche allein, sondern das gantze menschliche Geschlecht, welches verdorben war, selig zu machen. Daher es auch kommt, daß er die Verheissung der Gnaden, die an alle und jede

Menschen

Menschen stehet, auch so gar offt und viel im Worte klärlich wiederholet, über das auch nicht allein mit einem theuren Eide, sondern auch durch das Sacrament der H. Tauffe, zu der alle Heiden geladen und gefordert werden, als mit einem allgemeinen Insiegel, zu versiegeln und zu confirmiren sich gedemüthiget und uns würdig gemacht hat. Ja es hungert und durstet ihn so sehr nach aller Menschen Heil und Seligkeit, daß er zur Bekehrung oder Busse zu thun, nicht nur etliche, sondern alle, alle Menschen, von der Zeit an, da er ihm eine Kirche zu sammlen angefangen, biß ans Ende der Welt, durch einen ernsten Befehl verpflichtet, &c. recitantur postea dicta scripturæ pulcherrima p. 81. Der heilige Augustinus im Buch von der Vorsehung und Gnade, im funffzehenden Capitel Tom. VII. So viel die Natur anlanget, waren Nebucadnezar und Pharao beyde Menschen. Was die Würdigkeit des Standes angehet, waren sie beyde Könige. Was die Sache betrifft, hielten sie beyde GOttes Volck gefangen. Was die Straffe belanget, wurden sie durch GOttes Ruthe beyde gnädiglich erinnert. Was hat denn nun, möcht einer fragen, beyder Ende so gar ungleich gemacht? anders nichts, denn daß der eine, als er GOttes Hand über sich fühlete, in Betrachtung und Erinnerung seiner eigenen und grossen Sünden, zu GOTT hertzlich geseufftzet hat, der andere aber freywillig wider GOttes Willen, welcher voller unergründlicher Liebe und Barmhertzigkeit ist, gekämpffet und gestritten, demselbigen wiederspenstig

ſtig worden, und ſich halsſtarrig wiederſetzet hat. Ita mi Vite! Reformatæ eccleſiæ certe ad eam inclinantes Theologi Anhaldini tum ſcripſerunt bene omnino & commode. Quorum & ſententia in articulo de ſacra cœna ſic ſatis commode expoſita eſt. Utinam tu ſaltem horum ſequereris exemplum! Vides autem merito nomini Reformatorum parcitum esſe, cum in iis eſſent, qui præclare de prædeſtinatione ſentirent ſcriberentve. Quod vero ad Supralapſarios tuos Infralapſariosque nihil attinet, quin nec ad hypotheticos, qui quod una largiuntur manu, altera retrahunt.

§. 238. Quo certiora ſunt, quæ adhuc, paucis licet exemplis demonſtravi, Lutherum cum ceteris Lutheranis ea omnia docuiſſe, quæ nos docemus hodie, eo minus neceſſe eſt, morari in refutandis iis, quæ Vitus noſter, cum ex Helmſtadienſibus vetuſtioribus, tum aliis hodie viventibus Theologis, jure an injuria? diſputare nolo, in ſententiam ſuam tractis, p. 487. ſequ. diſputat, nunquam enim harum rerum periti ab imperitisſimo earundem rerum Vito ſibi perſuaderi patientur, aliam eſſe hodie, & Semipelagianam quidem, Lutheranorum fidem, quam quæ olim fuit, & quicunque audent probare, æque ac Vito accidiſſe palam eſt, hallucinantur miſere. Quæ ut abunde pateant, Davidis Chytræi, cujus aliqua ſupra exhibui, illuſtri loco utar: Is in *enarratione in Geneſin*

Wite-

Witeberg. 1557 *edita, p.* 106. *sequ. ita disserit: Diaboli & homines sua voluntate libere, sine ulla necessitate, & sine ulla coactione averterunt se à Deo, & peccatum, mortem, ac omnis generis calamitates in mundum invexerunt, ut dicitur* 1. *Joh. III. ab initio diabolus peccat, i. e. primus autor peccati est diabolus. Joh.* 8. *Hic homicida erat ab initio, i. e. primus occidit hominem. Rom. V. per unum hominem peccatum intravit in mundum & per peccatum mors. Cum enim Deus ita condidisset homines, & tanta virium excellentia instruxisset, ut ipsi obtemperare potuissent, si voluissent, & verbum ejus tradidisset, in quo voluntatem suam patefecerat, homines ultro & sua sponte à Deo defecerunt, dum non acquiescunt in verbo tradito, sed diaboli mendacia amplectuntur. Multa inextricabilia possunt contra hanc veram sententiam ab hominibus ingeniosis colligi, ac tres sunt materiæ, de quibus præcipue disputatur.* 1) *de prævisione seu præscientia Dei.* 2) *de permissione, cur Deus permittit hominem labi, cum posset impedire lapsum.* 3) *de sustentatione, cur Deus sustentet naturam peccantem, videtur occasionem peccandi præbere, ut inquit Cotta apud Ciceronem; si rationem Dii hominibus dederunt, utique malitiam etiam dederunt. Primo autem de determinatione, hoc simplicissime tenendum est, res ita prævideri à Deo, ut fiunt, non ideo fieri, quia prævisa sunt, ut eclipses non fiunt propter Astronomi prædictionem, sed ideo prædicuntur, quia futuræ sunt. Sic Deus prævidet lapsum primorum parentum, nec necesse est primos parentes peccare propter divinam prævisionem. Sed ita prævidentur actiones primo-*

rum

rum parentum, quales sunt. Quod autem prævisio seu determinatio divina non sit Stoicum immutabile decretum, nec imponat necessitatem peccandi, inde manifestum est, quia omnibus comminationibus pœnarum adjuncta est conditio pœnitentiæ Jer. XXXVIII. item in historia Jonæ Deus decretum de evertenda Ninive retractat. Vid. distinct. 38. *primi sententiar. De permissione hoc simplicissime teneamus. Quemadmodum hi, qui in summo periculo navigationis sapientem gubernatorem petulanter excutiunt, juste ab eo deseruntur & pereunt, sic primi parentes contumaciter repudiantes mandatum Dei & diaboli mendacia amplectentes, justissimo ordine à Deo deserti & relicti sunt. Hac simplici responsione, quæ haud dubie vera est, contenti simus, nec plus sapiamus, quam par est; sed nos ipsos accusemus, quod nostra petulantia Deum offendimus, ut Daniel exclamat: Tibi Domine justitia, nobis autem confusio faciei. Et David: Tibi tantum sum peccator, & malum coram te feci, ut tu justificeris &c. Quodsi quis hac simplici responsione non est contentus, is sciat, DEUM non posse cogi, ut nobis reddat rationem omnium, quæ facit aut permittit. De sustentatione sciamus, Deum non sustentare naturam peccantem propter peccatum, sed propter immensam misericordiam, qua non vult prorsus interire suum opus, & de hominibus amplius dici potest, Deum sustentare & conservare genus humanum, ut inde sibi ecclesiam æternam colligat, & ut impiis spatium ad agendam pœnitentiam concedatur, sicut pater aliquandiu fovet filium contumacem, non quod scelere delectetur, sed ut filius hac mora emendetur. Hic explicatio usitati argu-*

menti

menti consideretur à Philippo tradita: secundæ caussæ non possunt agere sine prima, scilicet sustentante seu conservante posteriores, quas conservat tales, quales sunt conditæ, ignem, ut agat naturaliter, voluntatem, ut agat libere. Et tamen liberrime concurrit prima caussa, agit, quantum vult, & quatenus vult, & aliter concurrit in regendis motibus cælestibus, aliter in sustentanda Eva, cujus voluntas habet suam quandam & propriam actionem. Hæc est vera explicatio: Etsi autem homines contentiosi miros labyrinthos in his materiis struere possunt, tamen omnibus opponamus hanc cælestem vocem; Non Deus volens iniquitatem tu es &c. Hæc Chytræus in libro 1557. edito præfatus est an. 1556. ineunte. Unde patet, non tum demum, quando tu credis Vite! sed longe ante, eandem, quæ hodiernorum Lutheranorum est, doctrinam, nostrorum Theologorum fuisse.

§. 239. Pag. 490. Vitus perplexissime loquitur: Verba sunt describenda integra: *Verum enimvero, cum nos,* Reformati, *sancte profiteamur, eadem nobis de his articulis videri,* de gratia, libero arbitrio, prædestinatione, *quæ Lutheranis, & patribus & libris symbolicis videantur, hoc ancipite syllogismo Lutheranos premimus: Aut impii pertinacisque schismatis rei sunt hodierni Lutherani; aut Lutherani patres librique symbolici, quibus intercedente juramento fidem suam adstrinxerunt, hæretici sunt. Aut nos & hodierni Lutherani in fidei fundamento non dissentimus. Aut Lutherani à patrum & librorum suorum symbolicorum fide*

turpissime defecerunt; Aut λέγε tantum παιδείας diversitate nos à Lutheranis hodiernis dissentimus: aut Lutherani patres & libri symbolici ab hodiernis Lutheranis in iis dissentiunt, quæ ad fidei fundamentum pertinent. Aut itaque nos in fidei suæ fratribus habeant; aut non negent se perjuros esse veræ Lutheranæ fidei proditores. Quid tu Vite! sancte professurus es tibi idem de his articulis videri, quod libris symbolicis, quos tu ita insulsos, stolidos, infelices appellas, ut nihil insulsius, stolidius, infelicius unquam prodierit? Tu sancte professurus es, tibi idem de his articulis videri, quod Lutheranis patribus, quorum tu fere nullos vel vidisti vel legisti, ut præcedentes §. §. te convincere possunt. Pudeat tam desultoriæ levitatis! Ceterum syllogismum tuum, qui nihil minus quam syllogismus est, in quo alterum ex altero elici oportet, & mirabilem & *insolubilem* esse lubens fateor. Nam qui solvas, ubi nodus nullus est? Facile vides, nos omnia, quæ posuisti, negare; te nullum eorum vel umbra rationis demonstrare posse, & *premere* tamen ancipite syllogismo Lutheranos voluisti! Nos Te, nisi rectiora, quod precamur, docens, in fidei fratribus censere nolumus; Formulæ Conc. ac ceterorum librorum symbolicorum fidem constanter tuemur; per illos ipsos non licet dissensum inter vos & Lutheranos non habere fundamentalem. Schismatis, si quid est, non illi rei sunt, qui veritatem tuentur, sed qui deserunt.

§. 240.

§. 240. Porro Vitus p.490- 492. pacis conditiones, æquissimas, ut ipsi videntur, proponit, iisque, antequam expectet responsum, acerbissimis conviciis colophonem imponit, fortasse hoc modo nos intrare compulsurus. Conditiones autem ita confusè positæ sunt, ut facile videas nostrum rerum Theologicarum non nimis peritum esse, 1) enim postulat à nobis dudum concessa, e. g. *ut cum Formula negemus in nobis quidquam esse, quamobrem aut fidem aut salutem consequamur.* Negamus mi Vite! credimus in omnibus esse quod fidei & saluti repugnet, itaque præveniri omnes primis, iisque hactenus irresistibilibus motibus, & accipere facultatem non resistendi, sed admittendi Spiritus S. subsequentem, at resistibilem gratiam, cum itaque aliqui facultate illa non resistendi acceptà hactenus utantur, ut non quidem conferant ad opus conversionis aliquid, quod Spiritui S. plane proprium manet; sed, ut ne impediant, ceteri vero non utantur & impediant, non est sane in illis aliquid, quamobrem fidem consequantur, sed in his est, quamobrem non consequantur. Porro jubet nos Vitus fateri, *Spiritum Sanctum nobis in fide testimonium perhibere, quod electi & filii DEI simus.* Et hæc fatemur: 2) aliqua postulat lubrica & pluribus sensibus obnoxia, e. g. vult probari *illam arcanæ & revelatæ divinæ voluntatis* distinctionem, quam aliter à nostris, aliter

à Supralapsariis accipi constat. Porro sic ait: *Deinde postulo, ut ea omnia admittant, quæ cum his conjunctissima esse ne negare quidem solent.* Quænam sunt illa Vite? Vereor, ne hoc modo lites ex litibus serantur. 3) denique manifestè iniqua quam plurima postulat, e. g. *doceant*, inquit, *homini nondum regenito mediorum usum nihil prodesse.* Quid hoc rei, Vite? annon sunt in hunc usum media illa data? Itane migrabimus *articulum V. Aug. Conf. Ut hanc fidem consequamur, institutum est ministerium docendi Evangelii & porrigendi sacramenta, nam per verbum & sacramenta tanquam per instrumenta donatur Spiritus Sanctus, qui fidem efficit, ubi & quando visum est DEO, in iis, NB. qui audiunt Evangelium.* Per hunc auditum verbi Spiritus S. vires confert, ut porro audiri idem verbum cum fructu possit, & lumen subinde crescat, donec regeneratio absolvatur, nam tuam hypothesin falsissimam de regeneratione *in momento* facta, nunquam admittemus. 4) *Levitatem* animi arguunt pollicitationes Viti p. 491. *& nos ea omnia probabimus, quæ de gratia & vocatione universali atque ipsa etiam reprobatione docuit Formula.* Qui potes Vite! putas doceri in Form. Conc. absolutam electionem, jam si concedis Formulam docuisse reprobationem conditionatam, & tueris, quæ p. 486. scripsisti: *absolutam reprobationem nemo sanæ mentis negare potest, nisi etiam neget absolutam electionem*, necessario dices Formulam aut *electionem absolutam*,

h. e.

h. e. doctrinæ tuæ partem primariam negasse, aut *non esse sanæ mentis*. Probare autem aliquem, qui vel capitalem veritatem neget, vel sanæ mentis non sit, minimè poteris Vite! quin tibi contradicas miserè.

§. 241. Excerpsit Vitus, ut pag. 493. nobis narrat, quamplurima veterum loca, quibus doceret Semi-Pelagianos iisdem, quibus Lutherani, & calumniis uti & argumentis, sed spatio exclusus ea excerpta domi continuit, quod bonum factum ajo esse. Sed postquam constitutum certumque est, nos esse Semi-Pelagianos, diluendas sibi sumit ratiocinationes nostras, quibus frustra nos id agere putat, ut ne videamur Semi-Pelagiani. Argumenta nostra tria credit esse. 1) Semi-Pelagianos docere, posse homines *inchoare bonum suis viribus*, Lutheranos hoc negare. 2) illos *negare necessitatem gratiæ prævenientis*; hos *affirmare*. 3) illos *fidei initium libero arbitrio tribuere*; hos *non tribuere*. Nos miseros! Nam quidquid dicamus, effugere nos posse, inclementissime Vitus negat. In genere enim opponit, etsi fuerint Semi-Pelagiani aliqui, qui talia, quæ tribus his capitibus continentur, docuerint, *fuisse tamen & alios Semi-Pelagianos, qui his orthodoxius senserint*, h. e. *qui negarint posse hominem suis viribus, quod coram DEO bonum sit, inchoare, qui gratiam prævenientem veri nominis in omnibus admiserint, qui etiam fidei initium ex divina inspiratione derivaverint*. Hæc Vitus noster

ſter p. 495. atque in his orthodoxioribus Semi-Pelagianis nos cenſendos nullus dubitat. Unicum, ſi addideris, Vite! nempe inchoatum divina gratia bonum non poſſe hominis propriis, ſed à Spiritu S. collatis viribus promoveri, perficique, ita nullæ partes ſint hominis humanarumque virium, non diſplicere hos ajo, quos Tu Semi-Pelagianos nuncupas.

§. 242. Quis vero unquam veterum, eos, qui ita ſentiunt, Semi-Pelagianos vocavit? *Proſper*, inquis, *Aquitanicus in celebri illa ad Auguſtinum de Semi-Pelagianis epiſtola.* Quid alterutri noſtrum acciderit Vite! neſcio, quod raro poſſint ſententiæ noſtræ congruere. Legi relegique epiſtolam Proſperi, & alia omnia inveni, quam tu te inveniſſe, ſiquidem integram, quod addubito, legiſti, inveniſſe, narras. Utor editione operum Proſperi Lovanienſi 1566. atque hinc f. 319. b. Locum non mutilum, quod à Te factum, ſed integrum recitabo: *Quidam vero hominum in tantum à Pelagianis ſemitis non declinant, ut, cum ad confitendam eam Chriſti gratiam, quæ omnia præveniat merita humana, cogantur, ne, ſi meritis redditur, fruſtra gratia nominetur, ad conditionem hanc velint uniuscujusque hominis pertinere, in qua cum nihil prius merentem, quia nec exiſtentem liberi arbitrii & rationalis gratia creatoris inſtituat, ut per diſcretionem boni & mali, & ad cognitionem DEI & ad obedientiam mandatorum ejus, poſſit ſuam dirigere voluntatem, atque ad hanc gratiam, qua in Chriſto*

rena-

renaſcimur, pervenire, per naturalem ſcil. facultatem, petendo, quærendo, pulſando, ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono naturæ bene uſus, ut ad iſtam ſalvantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit pervenire. Tu ſubjicis Vite! ex illuſtri hoc Proſperi loco colligere licet, in veris Semi-Pelagianis etiam cenſendos illos, qui *gratiam prævenientem veri nominis* in omnibus admiſerint. Pace tua dixerim plane contraria vult Proſper, nam ait hos Semi-Pelagianos, quando jubeatur veri nominis prævenientem gratiam confiteri, Chriſti nempe gratiam, quæ præveniat omnia merita: aliam atque adeo falſi nominis prævenientem gratiam comminiſci, quæ in conceſſione liberi arbitrii & rationalis naturæ ſine præcedenti merito homini datæ conſiſtat. Porro de ſuis Semi-Pelagianis conqueſtus Proſper fol. 320. b. ſic ait: *Unde, quia in iſtis Pelagianæ pravitatis reliquiis, non mediocris virulentiæ fibra nutritur, ſi principium ſalutis male in homine collocatur, ſi divinæ voluntati impie voluntas humana præfertur, ut ideo quis adjuvetur, quia voluit, non ideo, quia adjuvatur, velit; ſi originaliter malus receptionem boni non à Summo bono, ſed à ſe ipſo incohare male creditur: Si aliunde DEUS placetur, niſi ex eo, quod ipſe donaverit: tribuæ nobis hac in cauſſa papa beatiſſime! pater optime! quantum donante Domino potes, diligentiam pietatis tuæ obſecro, ut, quæ in iſtis quæſtionibus obſcuriora, & ad percipiendum difficiliora ſunt,*

 quam

quam lucidissimis expositionibus digneris aperire. Quid clarius, quam Prosperum Semi-Pelagianos sive *reliquias Pelagianæ pravitatis* illos dicere, qui inchoationem boni humanis viribus tribuerint. Itaque in *generali sua oppositione* pessime stetit Vitus.

§. 242. Pag. 496. 497. Augustini & Cassiani locis hoc quidem obtinet Vitus, commodius aliquando locutos esse Semi-Pelagianos alios, quam ii, quos Prosper nobis narrat, sed *aliquid* tamen illi omnes, quantumvis minutum naturalibus viribus tribuere, at cum nos ad conversionem juvandam *plane nihil*, ad impediendum, multum, viribus hominis tribuamus, quid ad nos Cassianus ceterique pertinent? Si vero omnes illi Pelagiani sunt, qui universalem gratiam docent, ac resistibilem, quod commune cum Cassiano habemus, non esse nos eos, sed errare, qui ita senserint, negabimus. Docuit autem omnino Cassianus, quæ nos nequaquam admittimus, e. g. quod Vitus recitavit p. 498. *Manet in homine semper liberum arbitrium, quod gratiam DEI possit vel negligere vel amare.* Tota disputatio de Cassiano collatore Prosperi infructuosa videtur, neque nostra quidquam interest, itaque eam lubens prætereo, ubi observavero, Vitum demonstrare non posse, quod p. 499. dixit, largiri Prosperum contra collatorem cap. 2. (mihi est 3. pag. 118. a.) *Cassianum non intellexisse nisi gratiam veri nominis, non*

non Pelagianam; fatetur quidem Caſſiani theſin eſſe Catholiciſſimam, qua dixit: *non ſolum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex DEO eſſe principium, qui nobis & initia ſanctæ voluntatis inſpirat.* Sed, cum dubium ſit, utrum Caſſianus veri nominis gratiam ſeu ſpiritualem intellexerit, an naturalem, qua accepimus bene & ſancte cogitandi facultatem? Hoc ſaltem conſtat, Proſperum de *veri nominis gratia* nihil habere. Sed hæc transeant.

§. 243. Sit ita Semi-Pelagianos eſſe, qui quidem bonæ voluntatis principia ex DEI inſpiratione eſſe docuerint, qui gratiam prævenientem ſtatuerint & fidei initium ad DEI gratiam retulerint, quod vis pag. 502. nam *nec cooperari* hominem in negotio converſionis nos cum Form. Conc. docemus. Quid vero agis Vite? demonſtraturus eras Lutheranos eſſe Caſſiani ſimiles; hoc ex libro aliquo hodiernorum Lutheranorum oportuiſſet fieri. Tu vero p. 503. *Vel*, inquis, *Caſſianus illum tantum bonæ voluntatis motum intellexit, quem ad converſionem noſtram etiam Lutherani ipſi requirere ſolent, niſi nobiscum abſolutam particularemque gratiam tueri velint*: Dicturus eras: *requirere debent*, nam hoc verbum poſtulat ſequens oratio: *niſi particularem gratiam tueri velint.* Sed, cum intelligeres, non ea afferenda eſſe hoc loco, quæ ex tua opinione Lutherani docere *deberent*, ſed quæ reapſe *docerent*, mutaſti ſtilum & poſuiſti: *ſolent*, ſed hoc

 nullo

nullo exemplo probas. Nos *nullum bonum motum* in ipso opere conversionis hominis viribus tribuimus, sed propterea gratiam particularem statuendam esse non videmus.

§. 244. Obscure disputat Vitus noster pag. 505. contra *Semi-Pelagianorum adversarios*. Quos tu homines nobis narras Vite! Si nos ita appellas, gratias agimus, nam, qui adversarii Semi-Pelagianorum sunt, eos tandem à Semi-Pelagianismo fateberis immunes esse. Si tuos; cur refutas? Eadem pag. dicit: *Ea ipsa loca, quibus utuntur, evidentissimè ostendunt Cassianum nobiscum sentire.* Gratulor tibi, si Cassianum Semi-Pelagianum tecum sentire agnoscis. Forte hoc vis; Semi-Pelagianorum adversarios esse Lutheranos, re quidem socios, sed, cum nolint haberi tales, quales sunt, Semi-Pelagianis vetustioribus, atrociora, quam docuerunt tribuere, ut dissimiles habeantur; si hæc tua est opinio, sane clarius loqui decuisset. Porro p. 505. *gratiæ prævenientis* alium sensum Augustini, alium Lutheranorum dicis, & Augustinum ais de ea præveniente gratia loqui, *quæ absoluta ab omni liberi arbitrii conditione sit, quæ prædeterminet, quæ irresistibilis sit, quæ ignaros, invitos, contumaciter & malitiose resistentes convertat*, nempe eam narras, qua totum opus conversionis absolvitur, quam, vereor, ut Augustinus docuerit, sed nunc quidem omitto de Augustino disceptare; Quid nos per prævenientem gratiam

tiam intelligamus, docere te Buddeus poterit, *Theol. dogmat. p. 976.* Quam vero Cassiano tribuis significationem gratiæ prævenientis, pag. 505. & miraris ab aliis non observatam, eam ex illis locis, quæ pag. 506. recitas, nemo collegerit, quamquam tibi oppido clara videntur. Sed hæc obiter.

§. 245. Sunt aliqua minus bene à Vito nostro p. 508. dicta, sed cum nostra haud multum intersint, festinare liceat. Tota vero ejus disputatio evertitur ipsiusmet verbis, eadem pag. in fine: *Denique Semi-Pelagiani, quando etiam pessime locuti sunt, ex Lutherana fide & cum Lutheranis locuti videntur. Quodsi itaque Cassianus propterea hæreticus est, quod libero arbitrio scintillam quandam bonæ voluntatis ante regenerationem tribuit, quod fidei quoddam initium libero arbitrio adscripsit, quod de institutis Monachorum Egypti L. 12. c. 14. docuit: præsto est DEUS occasione sibi tantummodo à nobis bonæ voluntatis oblata ad hæc omnia conferenda: Cum Museo celeberrimoque Buddeo, hodierni Lutherani hæretici quoque sunt.* Omnia pereunt Vite! ubi pudor periit. Fateris tandem Cassianum cum Semi-Pelagianis suis tribuere libero arbitrio scintillam bonæ voluntatis, item fidei quoddam initium, &c. quæ cum ita sint, quid attinuit multis demonstrare conari, talia non docuisse istos Semi-Pelagianos? nam etsi non ubique docuerunt, docuerunt tamen. Quod cum extra dubium sit, nolui è Vincentio Lerinensi

rinensi aliisque Semi-Pelagianis multa recitare, quæ legisse lectorem non juvat. Fidem superat Vite! te denuo audere Museum Buddeumque in consortium Semi-Pelagianorum rapere. *Supra*, inquis, *vidimus*. Immo vidimus §. 219. audaciæ, cujus vix unquam similem invenire licet, specimen, qua summos viros *expressissimis verbis* ea dixisse calumniatus es, quorum nec vola nec vestigium extat. Neque pudet te ad ea quasi bene gesta lectorem remittere. Crede mihi Vite! hanc maculam apud honestos viros, vereor, ut eluere possis. Quid vero supra vidisti? *Supra*, inquis, *vidimus etiam hos viros adfirmare, hominem ante conversionis initium ex naturalibus hominis viribus habere posse cogitationes bonas & sanctas in suo genere, quæ occasio sint ad conversionem.* Bene; hoc affirmant; sed quid ad Te? Tu demonstraturus eras, Buddeum ac Museum cum Cassiano, libero arbitrio initium fidei tribuere, & recitas locum, ubi ajunt, quicquid in homine civiliter boni sanctique naturalibus viribus inest, esse *ante conversionem*, nec ad eam vel fidei initium pertinere. Quid porro vidisti supra? *Vidimus*, inquis, *etiam hos viros naturalem rerum divinarum cognitionem & ASSENSUM HUMANUM, quod ipsum Semi-Pelagianum fidei initium est, ad actus hominis naturales referre.* Bene; ergo vidisti Vite! Buddeum & Museum contradicere Semi-Pelagianis, & cum illi ex humano assensu perperam initium

tium fidei faciant, hos, ut ab illis merito sint sejunctissimi, assensum illum humanum ad actiones mere naturales extra conversionis sphæram referre. Quid tandem vidisti supra? *Vidimus*, inquis, *dicere, istos actus, licet in se spectati mere naturales sint, haud tamen raro occasionem Spiritui Sancto præbere, ut motus pios in hominum animis excitet, immo eos tandem convertat.* Recte vidisti, sed & hic optimi viri Museus & Buddeus palam contradicunt Semi-Pelagianis, cum pios motus non ab homine, sed à Spiritu S. excitari dicunt, quibus vero occasionibus uti velit Spiritus S. nostrum non est definire, uti autem aliquibus nemo negare potest, nisi qui raptus enthusiasticos expectat; itaque nuper bene scripsit Lud. Ge. Treviranus, Theol. Bremens. Clariss. in dedicat. libri, 1730. editi, Wahrheit in JEsus: Sie, die Obrigkeiten, können zur Ausrichtung des wahren Wesens der Geburt und Wachsthum JEsu in den Seelen der Menschen nichts thun, sondern das muß alles durch die übernatürliche Krafft des allmächtigen GOttes geschehen. Allein Sie können als Freunde JEsu Christi viel von aussen beytragen. &c. Et in præfat. Denn wann man haben will, daß jemand etwas finden soll, muß man es ihm auf den Weg legen, den er zu gehen pfleget.

§. 246. *Quæ cum ita sint, neminem futurum arbitror, qui me calumniarum damnet, quod Lutheranos veri nominis Semi-Pelagianos esse adfirmaverim.* Ita rebus præclare scil. gestis Vitus pag. 509. disse-

disserit. Ita est mi Vite! non damnamus te calumniarum, tametsi enim calumniandi animum habuisti, vires tamen adeo defecere, ut Theologorum, qui palam Semi-Pelagianis contra eunt, verba, quasi Semi-Pelagiana laudaveris. Itaque quam nescio quo autore supra retulisti fabulam, de Mylio, qui Brentii verba pro Calviniani hominis habuerit, in te non fabula sed historia est.

§. 247. Exemplis demonstrare Semi-Pelagianismum Lutheranorum cum non potuerit Vitus, alia ratione instituit, p. 510. fine. *Quoniam*, inquit, *Lutherani neque Pelagiani sunt, neque Augustini irresistibilem ex absoluta prædestinatione gratiam probant, ne possunt quidem non esse Semi-Pelagiani; aut si novo nomine delectentur, Semi-Augustiniani, Semi-Orthodoxi.* Quartum dissentientium genus Vito nostro judice, *ne fingi quidem potest.* Non opus est fingi Vite! nam extat quartum genus. Pelagianos omnia saltem plurima arbitrio, Augustinum nihil, Semi-Pelagianos aliquid tribuisse constat. Hic fingi non potest quartum genus; itaque Lutherani cum Augustino libero arbitrio *nihil* rotundis verbis tribuunt. At tu Augustinum præterea, jure an injuria? hic non disputo, ais credidisse gratiam irresistibilem, decretum absolutum. Hoc modo quatuor prodibunt sententiæ: Pelagianorum, qui vel omnia vel plurima arbittio tribunt, adeoque prædestinationem ex prævisione operum

docere

docere coguntur; Augustini, qui nihil arbitrio tribuisse & prædestinationem plane absolutam docuisse fertur; Semi-Pelagianorum, qui aliquid saltem hominis viribus deberi ajunt, adeoque prædestinantem Deum illud etiam quantumvis modiculum respexisse; Lutheranorum*, qui nihil arbitrio hominis, omnia gratiæ, sed restibili, tribuunt, docentque adeo Deum prædestinantem non ad merita hominum vel minima, cum nulla sint, sed ad Christum vera fide à Deo danda, apprehendendum, respexisse, reprobantem vero ad Christum eundem hominis malitia repudiatum.

§. 248. Est ex usu lectorum meorum, inter transeundum aliquid observasse. p. 511. Vitus noster ait: *Nostrorum alii Supralapsarii alii Infralapsarii alii hypothetici sunt, quos in caussæ cardine à nobis non dissentire ipsi Lutherani tuentur.* Sam. Strimesius im Kurtzen Entwurff der Einigkeit p. 113. ita scripsit, daß der Unterscheid der Lehre von der prædestination, zwischen den Lutheranern und Reformirten hiesigen Universalisten nicht fundamental sey, bekennen die Lutherschen selbst. Sed de particularistis quos vocant. p. 115. Diesem nach ligt mir nun noch bloß und allein ob, zu erweisen, daß auch nicht der Reformirten Particularisten Lehre von der prædestination dem Grund des Glaubens zuwider sey, und folgends auch nicht weder von der Lutherschen noch von der Reformirten Universalisten Lehre in diesem articul fundamentaliter

taliter unterschieden. Und weil dieses jedennoch von fast allen Lutherschen letzterer Zeit denen Reformirten Particularisten vorgeworffen wird. &c. Uterque horum virorum pacis vult conciliator esse, quamquam in eo ingens discrimen est, quod Strimesius, hoc saltem libello, modeste, & ut bonum virum decet, agit, Vitus tantum conviciorum, tantum etiam calumniarum, quantum est muscarum, cum caretur maxime. In eo vero nescio, qui possint in concordiam redigi: Quod Vitus Lutheranos ait tueri, Reformatorum *hypotheticos*, qui Strimesio, ni fallor, *Universalistæ* sunt, cum ceteris in cardine caussæ præclare consentire, unde sequitur, si Supralapsarios credant in capitali errore esse, in eodem ut ajant esse Universalistas. Strimesius contra à Lutheranis iisdem fundamentalis erroris argui contendit *Particularistas*, absolvi *Universalistas*. Fallitur Strimesius, mea quidem sententia, qui quod de paucis, qui ceteris syncretistæ audiunt, accepit, nempe *Universalistas* quos eosdem pono esse *Hypotheticos*, erroris capitalis absolvi, Lutheranis universe & generatim tribuit. Quod si vero intelligat bonos viros qui ita universalem gratiam doceant, cujus omnes possint etiam participes fieri, hos, quamquam putent Christum magis pro electis, quam ceteris hominibus, mortuum esse, in fundamento errare ego nolim dicere. vid. *Christian. Nisanium, Mataeolog. Labadiana. p.* 290.

§. 249.

§. 249. Duas ſectas Semipelagianorum, nam plures dari poſſe negat, commentus Vitus, ſagacitate mirifica, utramque in Lutheranis invenit. Qvamvis locus verboſus ſit, tamen ut oculis ſuis credere lector posſit, deſcribam integrum. Ita Vitus p. 511. 512. *Neque tamen ipſa Semi-Pelagianæ fidei ratio, niſi duas Semi-Pelagianorum claſſes ferre videtur. Alii enim naturalibus lib. Arbitr. viribus quasdam, non abſolute ſed in ſuo tantum genere bonas ſanctasque ante gratiam actiones, & quandam rerum divinarum cognitionem, aſſenſumque humanum i. e. fidei quoddam principium tribuunt, quibus homo ſe ad gratiam præparet, Spirituique Sancto occaſionem præbeat, ut pias quasdam cogitationes homini ſuis viribus ſe præparanti, inſpiret, & tandem, niſi homo malitioſe reſiſtat, regeneret: Alii vero quo longius à Pelagianis diſcedere videantur, ejusmodi in ſuo genere bonos ſanctosque actus naturales animalesque ante gratiam negant, neque eos naturalibus arbitrii viribus, ſed gratiæ cuidam ſupernaturali prævenientique adſcribunt, neque libero arbitrio relinquunt, niſi facultatem, prævenientem regenerantemque gratiam aut admittendi, aut repudiandi. Qui ea quæ hactenus dicta à me ſunt, accuratius perpenderit, mecum intelliget, hodiernam Lutheranorum eccleſiam in duas has Semi-Pelagianas ſectas diſtinctam diviſamque eſſe.* Tu vero Vite! in ingenio tuo poteris centum ſectas confingere, apud nos quidem harum rerum nihil eſt. Prior ſecta nulla. Nam quis Lutheranorum unquam

 dixit:

dixit: e. g. *assensum humanum esse fidei principium*, it. *hominem posse se ad gratiam præparare?* Vel si habes, qui dixerint, quid cunctaris, produc in medium! Museum quidem & Buddeum solicitasti, sed erubescere te jam credo, nec facturum denuo. Verum nec altera secta extat. Nam quis nostrum *civilem justitiam* Spiritui S. tribuit? & quis libero arbitrio *facultatem admittendi regenerantem* gratiam adscribit, si quidem ista *admissio*, vera actio, qua quis in rem, quæ admittitur, tendit, nec tantummodo actionis contrariæ omissio intelligatur, & si liberum arbitrium, h. e. homo nondum instructus aliquibus per tractionem Spiritus S. viribus, admittere posse dicatur.

§. 250. Cetera, quæ disputari possent, inter hos, quos commentus est Vitus Semi-Pelagianos, ad voces pertinere credit. e. g. *Utrum, quod unanimi consensu, præter gratiam, ad regenerationem requirunt, improprie quoddam meritum, & utrum, qui hoc præstare possit homo, mortuus, an lethaliter ægrotans dici possit?* Ita noster p. 512. Mihi vero neque hæc lis de verbis esse videtur, nec quisquam est, qui Lutheranus sit, & *meritum*, quocunque significatu, aut vitam spiritualem homini non renato tribuat. pag. 513. Semi-Pelagianorum proprium quarti modi, in quo omnes conveniant, esse ait: *statuere gratiam veri nominis, sed quæ à libero arbitrio, aut admitti possit aut repudiari.*

pudiari. Nos, mi Vite! nullas liberi arbitrii vires ſpirituales ante converſionem credimus, igitur nec *admittendi veres*, quas quidem vires liberi arbitrii homo incipit in converſione recipere.

§. 251. Eſt tamen quod bono animo ſimus. Nam licet effugiendi nullum ſpatium per Vitum noſtrum conceditur, quin ſimus Semipelagiani, non tamen damnamur à Vito; ſed in fidei ſociis fratribusque & eccleſiæ catholicæ membris habemur, ut ſanctè aſſeverat, p. 514. idque ſe facere ait exemplo vetuſtæ eccleſiæ, quæ Semipelagianos non cenſuerit hæreticos. Sed graviter nos admonet pertinaciæ Schismaticæ, nam niſi hæreticos nos probaverimus, negare nos non amplius poſſe eſſe Schismaticos. Hoc cum agit Vitus, gravitatem præ ſe fert apoſtolicam, ita ut Chriſti verbis *Matth.* X. 13. utatur. Huic admonitioni mi Vite! locum darem, niſi te, tot conviciorum, tot paralogiſmorum, tam deſultoriæ levitatis, malæ fidei, ac errorum omnis generis innumerorum reum convictumque, quid dicas faciasve, neſcire ſcirem. Quod ſupereſt, ut veritatis amorem ſanctumque deſiderium unitatis in ſpiritu in nobis omnibus accendat augeatque Spiritus Dei cum omnibus, qui nomen Chriſti invocant, toto pectore contendo, precor, flagito.

§. 252. Paucis ſententiam dicendam eſſe video de excerptis ex Joh. Pandochei, mihi

 non

non viſo libello. Multum ſibi commodi Vitus meus inde pollicetur. Sed, qui audit ex ipſo Vito p. 520. hunc Pandocheum maxime infeſtum fuiſſe Calviniſtarum doctrinæ, alterutrum credet neceſſe eſſe, ut aut ea loca Lutheranorum collegerit, quæ Reformatos, à quorum partibus collector alieniſſimus erat, parum juvent: aut hominem imprudentiſſimum fuiſſe, ſi juvet ipſe quos damnatos vult. Neutrum horum mi Vite! multum te ſperare de hac opella jubet. Si prius verum eſt, quod vereor ne nimis verum ſit, ſapientiam tuam deſiderabunt lectores, qua rectius vidiſſes, quid cauſſam tuam juvet, quid minus? Quod ſi imprudens ipſe Pandocheus fuit, quis præſtabit hominis fidem? quis nos certos faciet non eſſe verba autorum temere ſuis locis avulſa? Videamus paucis, neque enim omnia exagitare, vel ad ſingula loca reſpondere animum induxi.

§. 253. Quæ Pandocheus apud Vitum, p. 520. 521. queritur de deſertoribus Lutheranæ doctrinæ, non carent fundamento, nam Synergiſticas & Adiaphoriſticas aliasque contentiones eccleſiam noſtram miſere afflixiſſe, utinam non eſſet fatendum. Quales vero usque ad annum 1600. fuerint adverſarii Pandochei, fateor me ignorare, niſi quod vidi manuſcriptas literas Senatus Nordhuſani ad Frid. Wilhelm. Adminiſtrat. Sax. in quibus Pandochei paſtoris ſui partes adverſus

Georg.

Georg. Mylii tum Jenensis Theologi censuram acerrime defendunt, neque tamen dissimulant Tubingenses Theologos à Senatu Nordhusano consultos Pandocheum Calvinismi in duobus argumentis de Prædestinatione & Baptismo, accusasse, absolvisse autem eundem mente prius bene explicata Theologos Helmstadienses. Sed ob hunc ipsum libellum, quo nititur Vitus, Hunnii & Mylii censuris petitum esse. Neque innocentem fuisse Pandocheum hoc docet, quod in eadem epistola Senatus à pandocheo edoctus scribit: Das Pelagianisch Gedicht *de fide prævisa.* Scripta est epistola 24. Mart. 1598. Ita sane male accusatus est bonus Pandocheus Calvinianismi, quod moneret frequenter ad sacra publica veniendum, *quia nesciamus, qua hora Deus per Spiritum S. corda nostra illuminaturus sit.* Nam sapienter & vere monuit. p. 504. Vitus noster, cap. 2. Pandochei, testimonia tradi docet, quæ ostendant, Aug. Conf. autores art. V. doctrinam de prædestinatione absoluta & gratia particulari, *traditur os fuisse.* Mihi illi interpretes placent, qui quid quisque autor *tradiderit*, non quid *traditurus fuerit*, exponunt. Ceterum bene est, quod Vitus *traditur os* tantum fuisse ait confessores istam doctrinam, ergo non *tradiderunt*; ergo contradicit sibi Vitus, qui ex hoc articulo V. supra demonstrare voluit prædestinationem absolutam, in quo, ut jam videmus,

 doctri-

doctrina illa non *extat*, ſed, niſi ſcil. aliud & contrarium viſum eſſet confeſſoribus, *extitura* fuerat.

§. 254. Loca p. 525. nihil juvant Vitum. Non ſufficit verba laudare, quibus & Reformati uti poſſint, ſed ea, quibus *ſoli* Reformati, non item Lutherani, ſtante ſua hypotheſi, uti queant. Sed Brentii locus in Act. XIII. evertit *reprobationem abſolutam*. Nam ſi Deus, quæ Brentii verba ſunt, *reddidit Eſau, quod debuit, hoc eſt iram, & perpetuam damnationem*, reprobatio non eſt abſoluta, ſed ex præviſa hominis malitia. Verum hæc Vitus non cernit. p. 526. Lutheri locus, in quo fatetur, non placere Deo homines excœcari, quod mortem peccatoris nolit, ſed indurationem, ſcilicet contemtorum, fieri tamen juſte poſſe, quia nemini quidquam debeat, contrarius eſt Vito, ſed imprudenter laudatur. In altero loco Lutheri nihil nobis obſunt verba: Nun offenbahrets GOtt alleine ſeinen von Ewigkeit auserwehlten Heiligen, denen ers will kund gethan haben. Nam his ſolis (ſæpe enim credentes omnes ipſique πρόσκαιροι *electi* vocantur, ut è Brentii Catecheſi p. 324. 325. patet, vocantur, ceu ſupra vidimus) patefit Evangelii virtus, ſed ceteris patefacere noluiſſe Deum, non dixit Lutherus. Heerbrandi locus negat Deum eſſe *perſonarum reſpectorem* & elegiſſe ſola ſua voluntate motum, nullis hominum meritis, *ad fidem reſpexiſſe*, non negat.

§. 255.

§. 255. Pag. 527. sunt duo loca Lutheri Kirchen-Postill feria Matthiæ, operæ pretium erit hic demonstrare, qualia argumenta adhibeat Vitus, ea quidem lege, ut in ceteris, ubi eadem dicenda essent, taceam. Dixit Lutherus: Die Weisen und Verständigen wissens nicht, aber die Unmündigen und Albern wissens. Woher wissens jene nicht? du hasts ihnen verborgen. Woher wissens aber diese? du hasts ihnen offenbahret. Quid si addidisses præcedentia? Die andern aber sind zu klug, wollen von GOtt nichts lernen, ja sie unterstehen sich wohl GOttes Lehre zu meistern &c. Hic dixit Lutherus rationem, cur absconditum maneat impiis Evangelium? item sequentia: Nemlich daß er das Evangelium von dem Reich GOttes geprediget hat, in vielen Städten des Jüdischen Landes, als zu Chorazin, Bethsaida, und in seiner Stadt Capernaum; Sie aber habens nicht angenommen für ihrer grossen Weißheit. Cur non placuit Vite! ex eodem pulcherrimo sermone Lutheri hunc locum excerpere? Daß wir aber nicht sagen, wenn wir solches hören, das gehet uns nicht an, es ist zu andern gesagt, wie die Juden den Propheten thäten, die es alles auf die Heiden deuteten, so gebens die vorigen Worte klar, zu welchen oder von welchen diese Wort von Christo geredet werden. Denn zuvor saget er von denen die das Evangelium verachten, und nicht wolten annehmen, die sich doch des solten am allermeisten angenommen haben, die auch dafür wolten geacht

 werden,

werden, als wären sie die alleine, welche mit GOttes Wort umgiengen, und zu GOttes Volck gehöreten. Von denen sagt er: Wem soll ich dieses Geschlecht vergleichen? — als wollt der HErr sagen: Wir haben euch das Evangelium geprediget. Johannes hat mit einem Ernst und Schärff, ich aber freundlich und sanffte, aber ihr verachts und wollts nicht annehmen. Ihr werdet sehen, es wird euch nicht wohl hinaus gehen. Cur non hæc placuerunt ejusdem sermonis: Möcht nun einer sprechen: Gehet es nun also zu, so muß ich indeß grosse Gefahr stehen in meinem Gewissen, ehe ich höre und wisse, daß mich das Evangelium auch angehöre, ich bin ein Sünder, und vielleicht gehet das Evangelium mich nicht an, ich bin seiner unwürdig; darum spricht nun Christus solche blöde, erschrokne, betrübte Gewissen zu trösten; kommt her zu mir alle, die ihr mühselig und beladen seyd. Paullo post: Er will auch niemand ausgeschlossen haben, denn er saget alle, welchs gar ein trefflich mächtiger Trostspruch ist in der Anfechtung, es sey für eine Anfechtung wie sie wolle, derhalben, welcher nun seine Sünde fühlet, und sein Unvermögen das Gesetz GOttes zu erfüllen, erkennet, der mag hie herzu treten, der komme tröstlich und kek, ihm wird geholffen werden. Ich will euch erquicken, spricht er, als die da mit schwerer Erbeit und Mühe unterdrükt und beladen sind. Siehe allein darauf, daß du dieser freundlichen Lokung und Zusage glaubest. Hoccine mi Vite! est *gratiam particularem & irresistibilem* docere. A lectore

meo

meo jam veniam peto ea omnia loca, quæ è Luthero laudata sunt, plane prætereundi, nam dicere, *Lutherum esse Supralapsarium*, est *profiteri ignorantiam suam*.

§. 256. Regii loca aliquot recitata sunt p. 530. sequ. In quibus Vitus noster mire se jactat, cum plane nihil pro ipso faciant. In nota subjecta monet, præclare his confirmari, quæ supra de Regio dixisset. Nos vero bonum nostrum Vitum supra §. 23. sequ. meliora docuimus, & Regium docuisse gratiam universalem &c. evicimus, maxime §. 27. De Alberi & Brentii locis p. 531. nihil magnopere habeo dicere. Non sufficit Reformatos ita loqui posse, quamquam nec possunt Reformati Alberi verbis commode uti: Wir sollen uns genügen lassen, mit dem Wort, darinnen er uns seinen gnädigen Willen und Gütigkeit geoffenbahret hat. Nam quem jubet esse contentum? *omnes*. Ergo Deus *omnibus* clementem voluntatem patefecit. De Brentio satis dictum. Quæ p. 532. laudantur testimonia, hominem ob peccata præcedentia relinqui, palam repugnant prædestinationi absolutæ, sed nescio qui fiat, ut Vito tamen arrideant. p. 533. Brentius suadet, & omnibus suadet: Das sollen wir thun, das uns Paulus hie lehret, nemlich daß wir auf dem angezeigten Weg der Barmhertzigkeit GOttes durch Christum wandeln. Ergo est omnibus parata via misericordiæ divinæ. Et Vitus tamen his testimoniis superbit.

§. 257. Pag. 534. Brentii verba laudat: Welche GOtt zu seiner Herrlichkeit verordnet, die lässet er nicht für und für in dem gottlosen Leben samt den ruchlosen Leuten bleiben, hernach aber urplötzlich in einem Augenblick aus dieser Welt in das Himmelreich verzücken und einsetzen, sondern er lässet ihnen seinen Willen offenbahren, und sie durch die Offenbahrung des Evangelii zum Glauben beruffen. Darnach begabet er sie auch durch die Predigt des Evangelii mit dem Heil. Geist, daß sie dem Evangelio glauben. rc. Quid probaturus eras Vite! fortasse hypothesin tuam *de fide in instanti genita*? testimonia p. 535--537. allata probo omnia, sed quid juvent Supralapsarios, cum ignarissimis ignoro. Hoc unum notandum p. 537. in Sim. Paulli verbis: *non eligit, non vocat*, mollius explicanda mens viri est, de vocationis gratia ampliore, quæ non omnibus obtingit, quod nisi fiat, incommodius locutus est, sed ultima verba postulant illam interpretationem, ubi dicit: *Donec sceleribus & incredulitate sua æternum exitium sibi attrahant.* Qui potest *incredulitate* exitium sibi attrahere, qui ne vocatus quidem est, nec habet in quod credere debet.

§. 258. Corneri testimonia p. 539. laudata quidvis potius, quam cujus gratia huc relata sunt, probant. Ead. pag. & 540. Heshusii sunt complura, sed quid ad te Vite? e. g. ita Tilem. Heshusius: *Cardo disputationis in controversia de prædestinatione est: Num DEUS omnium homi-*

hominum corda pari efficacia moveat & trahat per Spiritum S. &c. Itaque non quærit Heshusius: an DEUS aliquos plane non trahat, sed serio omnium salutem quæri ponit, verum an & cur gratiæ gradus inæquales sint? quærit. Item in verbis: *Pharaoni oblatum fuit externum verbum & miracula, sed negata interna gratia Spiritus Sancti.* Noli putare fanaticum fuisse Heshusium, qui verbum externum Spiritus Sancti gratia vacuum putarit. Itaque intelligit per *internam gratiam* ampliorem gratiæ mensuram.

§. 259. Ejusdem Heshusii cum plura occurrunt, operæ pretium duxi, quædam ex hujus viri libello excerpere, qui prodiit Francof. 1578. hoc titulo: *Examen Theolog. complectens præcipua capita doctrinæ Christianæ, quibus interrogati sunt Pastores eccles. in Franconia & Thuringia an.* 1569. Præfatus est ad Joh. Wilhelm. Ducem Saxon. a. d. 3. Nov. 1570. quo die se annum ætatis 44. ingressum ait: Multis in præfatione Jacobum Andreæ perstringit, eumque accusat *conciliasse lucem & tenebras, videlicet veram sententiam Lutheri, de servo & mortuo arbitrio, cum blasphemo errore Victorini* (Strigelii) *de Synergia humanæ voluntatis*, & utitur maxima acerbitate verborum. Quicquid vero hujus sit, etsi per ἀμετρίαν ἀνθολκῆς. cum Synergistis, & merito quidem resisteret, durius locutus est, quod accidisse B. Luthero in libro de S. A. observavimus, æque tamen in eo

Lu-

Luthero similis, quod gratiam universalem Christi luculenter docuit, atque in ipsa re orthodoxus fuit. Itaque Heshusius pag. 116. de Christo sic scripsit: *Ille solus ingreditur Sancta Sanctorum*, i. e. arcanum consilium æterni patris, introspicit omnium hominum gemitus, sustinet totius generis humani peccata &c. Paullo post p. 117. *Solus Christus, ut æternus DEUS, est efficax per verbum & sacramenta, in cordibus hominum.* Quæ verba ideo laudo, ut pateat, quod §. præced. dixi, non fuisse Heshusium fanaticum. p. 124. *Se ipsum obtulit DEO hostiam vivam & sanctam in ara crucis, proprio suo sanguine expians totius mundi peccata.* Pag. 125. *Mediatoris est enim omnipotentis DEI arcanum consilium & clementem voluntatem de liberatione generis humani per filium exponere, misericordiam DEI gratis offerentis remissionem peccatorum & reconciliationem cum homine annuntiare* &c. pag. 126. Tertium est *offerre victimam constitutam à DEO ad expianda totius generis humani peccata, atque ita est Christus simul & summus sacerdos & hostia, qua pro peccatis totius mundi DEO satisfit, placatur ira.* &c. Porro eundem Heshusium gratiam credidisse *resistibilem*, docebo verbis ejus pag. 61. 62. *Objectio Synergistarum: Ejusdem est velle, cujus est nolle. Christus inquit: Quoties volui vos congregare, sicut congregat gallina pullos suos & vos noluistis.* Matth. XXIII. *Ergo nostrum est velle & assentiri verbo: Resp. simpliciter neganda est major. Non est enim ejusdem facultatis*

re-

repugnare DEO, & sequi DEUM. Hoc enim est rectæ voluntatis, illud perversæ. Mendacio delectatur Satan & homicida est. Hinc non sequitur in ejus potestate situm esse, ut veritatem loquatur aut vitam tribuat. Nolle salutem omnino est nostrum, velle autem salutem non est nostrum, sed DEI, qui nos convertit, & ex nolentibus facit volentes, & ex repugnantibus credentes. Hæc qui rectè percepit, durioribus phrasibus non offendetur. Moverunt Vitum nostrum maxime hæc Heshusii verba: *Negari non potest, non omnium mentes tangi, nec omnibus dari fidem. Nec dici à quoquam potest, offerri quidem gratiam singulis, sed ab aliis repelli, ab aliis accipi.* Quæ quidem verba commodissimum sensum habent, cum Synergistis opponuntur: Non tanguntur omnium mentes, cum primis gratiæ gradibus rejectis, non largitur ulteriores. Porro conjunctim non rectè dicitur: gratiam ab aliquibus repelli, ab aliis accipi, nam *illud* quidem verum est, at *hoc*, nempe *gratiam ab homine accipi*, ut Synergistæ locuti sunt, ponere videtur vires ipsius hominis, & Synergistæ reapse posuerunt ejusmodi vires. Itaque longe sapientius tacuisset hic Vitus, qui in nota pag. 542. subjecta: *Nostri*, inquit, *ne possunt quidem clarioribus verbis gratiam irresistibilem tradere. Facilis itaque conciliandæ pacis ratio est. Negant Lutherani se aliam à patribus suis fidem tueri. Ad pacem igitur nihil requiritur amplius, quam ut hæc patrum suorum testimonia tam probent,*

quam

quam nos probamus. Quæ quæso æquior conditio pacis vel fingi potest, quam ut ea probent, quæ illis visa sint, quibus ὁμόφρονας *jactictant? Aut negent itaque nos in fidei & salutis fundamento errare; aut Lutherum & universam ecclesiam Lutheranam veri nominis in pessimis hæreticis censeant.* Utinam mi Vite primo nosses, quod adhuc sane factum non est, patrum Lutheranorum & ipsius Megalandri veram sententiam, quam tamen loco aliquot §. 235. alibique recitata te docere poterunt, deinde serio probares. Ad Heshusium, quod attinet, non est ille quidem nobis usque quaque probatus, sed vereor ut, quæ hoc ipso §. ex eo attuli, tibi nimis placeant. Doctrinam Heshusii posita acerbitate stili & durioribus aliquot phrasibus resectis, probo, Tu vero abjecisti pristinam fidem, si cum Heshusio sentis. *Lutherum & universam ecclesiam Lutheranam veri nominis* noli nobis narrare Vite! qui te ejus doctrinæ librorumque vehementer imperitum prodidisti.

§. 260. Ad *præfationem Lutheri in Epist. ad Rom.* accedit cum Pandocheo Vitus p. 545. De re nihil dicam, nam Lutherum tibi Vite! jam intactum velim. Sed quid Loescherum virum oculatissimum vellicas in nota p. 545. subjecta? *Nescio ego profecto oculorumne an mentis vitio contigerit, quod doctis. Loescherus in Hist. mot. L. IV. c. 10. pro* Verſehung *prædestinatione, hic aut legerit, aut legisse videri voluerit,* Vorſehung, *præ-*

prævisionem. Lœscheri verba sunt, *l. c. p.* 225. Sonsten beruffet sich *Massonius in Anatome I. p.* 285. auf die Vorrede der Epistel an die Römer, daß alles aus der Vorsehung GOttes fliessel, wer glauben solle oder nicht. Allein ein anders ist die Vorsehung prævisio und das daraus fliessende *decretum ordinatum & respectivum*, ein anders ist das *absolutum decretum.* Vides non distinguere, summum Virum, Lœscherum inter Vorsehung und Versehung sed inter Vorsehung sive Versehung, quocunque modo scribas, & absolutum decretum. (nam quod prædestinatio latine est mox Vorsehung germanicé dici ut e. g. supra §. 237. in verbis Anhaldinorum aliquoties vidimus, mox Versehung, constat.) Ceterum non est in Lœschero vitium vel mentis vel oculorum, sed in Te optime Vitel præcipitantiæ solenne Vitium. Laudavit Lœscherus *Anatomen Massonii* tui, unde te sumere oportuit arma adversus Lutheranos. Ibi oculi tui docere te poterunt *quinquies* eadem columna, non typographico errore, sed studio, extare: Vorsehung. Altera columna, quod obiter moneo, discere potuisses, non concedi à Lutheranis, Lutherum librum suum de S. A. revocasse, quod tu nimis improvidee à multis factum esse dixisti.

§. 261. Lutheri loca p. 546 - - 548. laudata, quæ nec opus habent vindice, prætereo. Corvini autem locum Vito apponendum, nescio qua imprudentia arripuerit. Wiewohl die

mündliche

mündliche Berussung zu vielen geschiehet, so fehlet sie dennoch, nicht daß der Fehl am Worte der Berussung sey, sondern daß wir innerlich durch den Geist nicht gezogen, die äusserliche Vocation und mündliche Predigt verschmähen und verachten. Bene; quod si ergo defectus sive vitium in verbo non est, cum quo Spiritus s. gratiam conjunctam novimus, sequitur serio & efficacia sufficiente vocari hominem, sed cum ordinariæ verbi gratiæ resistatur, extraordinaria autem vehementius intus movens à Deo promissa non sit, nec detur, non sit conversio. Bugenhagii, Amsdorffii, Brentii loca me vindice facile carent. Optimi viri nihil minus fuere quam Supralapsarii. Quam improvide vero hic trahitur á Vito Heerbrandus in Comp. Theol. p. 552. *Promissiones universales non sunt absolutè, sed, ut ita dicam, limitatè accipiendæ, & referendæ ad ordinem, à Deo institutum, nempe ad omnes pœnitentes & vere credentes in Christum.* Quis dubitat, cum omnibus promissa sit salus, accepturos solos credentes? Ceterum si de *fide temporaria* Heerbrandus, cujus dissertatio de prædestinatione ad manus non est, minus bene sensit, meam non facio illam opinionem.

§. 262. Quæ p. 553. è Chemnitio laudantur, nemo Lutheranis opposuerit, nisi qui Viti similis est, e. g. verba: Es ist gewiß, daß kein Auserwählter im Unglauben endlich bleibet und verharret. Nam quis hoc ignoret nedum neget?

get? Enchiridii autem Chemnitiani mentionem cum fecit Vitus, nec recurrit ipsi in memoriam, ab incomparabili hoc viro gratiam universalem & resistibilem hoc ipso libello egregiè doceri, necesse est fateatur sibi libellum non esse lectum. Ita clare provideque in decreto prædestinationis fundamenti loco universale Christi meritum ponit & præscientiam Dei, qua videt, quinam recepturi gratiam sibi oblatam, qui aspernaturi sint. Legere lectorem meum ipsum velim, e. g. p. 211. seqq. edit. Lips. 1601.

§.263. Pag.554. nihil est, quod causam Viti juvet, nec p.555. Nam, quod Heshusius ad opera in prædestinatione respici negat, in confesso est apud Lutheranos omnes. Idem recte negat *fidem esse caussam electionis*, nam qui hoc negat, potest tamen concedere prædestinationem *intuitu fidei* esse factam. Chemnitium denuo solicitat Vitus, pag. 556. eique paginæ notam subjecit, monens F. Concordiæ sensum ex Enchiridio hauriri posse. Bene; ergo lege Enchirid. p. 212. hæc verba Chemnitii. *Qui itaque juxta scripturam de proposito, prædestinatione & electione Dei ad vitam æternam pie & circumspectè cogitare & loqui voluerit, necesse est ut hæc, quæ jam recensebimus, capita, utpote singula sub articulo prædestinationis comprehensa simul mente & cogitatione complectatur. Ita enim mysterium ardui hujus articuli quam simplicissime intelligi & rectissime explicari poterit. Deus itaque*

prævidens lapsum primorum parentum & secutura inde mala, in arcano suo consilio ex gratuita misericordia & dilectione erga genus humanum decrevit & constituit, 1) quod & quomodo per incarnationem obedientiam & passionem & resurrectionem filii mediatoris genus humanum redimere sibique reconciliare velit, 2) quod gratiam illam suam, meritum & beneficia Christi per ministerium verbi & sacramentorum humano generi offere velit. &c. Lege mi Vite! locum integrum, deinde ut par est, erubesſce! Sæpius enim rubere decet eum, qui Chemnitium in Supralapsariis, vel quibuscunque Reformatis censere ausus est. p. 557. 558. pulcherrima loca laudantur Heerbrandi, Corvini, Brentii, quæ quid Vitum juvent lectoris sit dijudicare. De pag. 559. 560. idem sentio.

§. 264. p. 562. Absonam notam subtexuit Vitus! *Ergo qui ex Lutheri discipulis cum doctissimo Cypriano Lutheri palinodiam jactant, genuinis Lutheranis testibus, mendaces calumniatores sunt & virulenti sycophantæ.* Librum de S. A. non recantavit Lutherus, nec recantasse dixit Cyprianus, aliorum errorum librorumque palinodian cecinisse Lutherum & ipsum petiisse, ut *cum misericordia* legerentur, constat. Conviciis ergo tuis utinam potuisses abstinere! p. 565. eadem recoquit Vitus: *Papæ, quam nequam homo foret doctissimus Cyprianus, si iis standum esset, quæ de ejus similibus ipsi illius patres censuerunt!* Neque vides in quem tandem

reci-

recidat conviciorum imber? Cyprianum petis, qui,quæ tu ſcripſiſſe narras, non ſcripſit. Quæ de Eraſmi ſententia in notis pag. 566. 567. ſubjectis repetit Vitus, ſupra, quantum ſatis eſt, diſcuſſa ſunt. Usque ad pag. 581. congeſta ſunt multa Theologorum optime dicta, quibus facile ſubſcribimus, nam in diſpenſatione gratiæ, quæ res ad *ſapientiam* divinam, quam ſæpius obſervavi imperſcrutabilem eſſe, pertinet, multa, immo omnia nos fugiunt. Ad p. 582. notandum: Brentium aliosque *electos* & *prædeſtinatos* eos omnes vocare, qui vere credunt, neque tamen negare fieri poſſe ut excidant gratia, ut adeo diſtinctio inter electionem *formalem* & *finalem* apud hos Theologos non ſit negligenda.

§. 265. Niſi multis ſpeciminibus docuiſſet Vitus, quam parum providè agere ſoleat, mirarer, qui factum ſit, ut *Sim. Pauli* pulcherrimum locum p. 583. Lutheranis opponat, in quo egregie *promiſſionem & vocationem univerſalem* prædicat. Pag. 584. Vitus denuo ſibi perſuadet b. Mart. Chemnitium in Enchiridio totum eſſe Supralapſarium. *Egregie*, inquit, *Chemnitius*, *ſe totum noſtrum eſſe profitetur*. Neſcio ex quo vitro oculi Viti noſtri ſint. In portum denique ſe recipit clariſſimus meus adverſarius, pag. 584. ſeqq. In quo toto ſermone, ne verbum quidem eſt, quod non ſit falſiſſimum, niſi quod Theo-

logos longè plurimos cap. IX. epist. ad Rom. aliter, quam à me supra factum est, explicari lubens fateor. Sed ad ea, quæ hic dixit Vitus sigillatim refutanda minime necesse est descendere, ne actum agamus. Uno verbo: Vitus in antiquis nostris Theologis, quos quidem ipse inspexit paucissimos, videt, quæ ipsis in mentem non venere, in hodiernis non videt, quæ ad ravim inculcarunt. Exempla index huic opellæ subjiciendus docebit. Quæ pag. 598. è clarissimo Theologo Tubingensi laudantur: *Neminem negare posse Lutheranos patres absolutam prædestinationem gratiamque particularem probasse, nisi qui eos vel non legerit, vel famæ suæ male consulat, honestique viri personam non tueatur*; ita interpretanda puto, cum ipsius hujus Theologi libellus ad manus non sit, ut de primis annis Lutheri ac Melanchthonis, & sic quidem intelligatur, non constitisse sibi tum egregios viros, & gratiam interdum particularem, mox & universalem docuisse. Isto quidem tempore, quo liber de S. A. scriptus est, Lutherus & magis etiam Melanchthon universalem gratiam palam docuit. Quodsi alia sit mens Theologi Tubingensis, mihi certissimum est in ea re virum falli.

§. 266. Vide mihi lector! spiritus Viti nostri, angeli pacis. Pag. 598. *Quæ cum ita sint, quæ quæso vos Schismatici Lutherani agunt intemperia?*

riæ? &c. Patrem cœleſtem veneror, ut ignoſcat tibi tuique Vite! ſimilibus, nam ignoratis, quid faciatis. Apologia Viti noſtri fugit indignata ſub umbras his verbis: *Ita inepta & contradictoria eſt hodiernorum Lutheranorum fides, ea parte qua & à nobis & à Semi-Pelagianis diſſentire videri volunt, ut ego neminem ſapere arbitrer, quin centies malit, aut nobis aut Semi-Pelagianis accedere, quam Lutheranis.* Quid nos ad hæc? Illud, quod Auguſtinus ad Macrobium Donatiſtam: *Et orbi Chriſtiano,* Lutherano, *per hæc teſtimonia alienum crimen objicitur; unitatis diviſio à ſeparatione funeſta defenditur; à præciſo ramo, tanquam immundus ramus, qui in veræ matris radice manſerit, accuſatur?*

RESPONSIONIS

ad Apologiam pro Synod. Dordrac.

V. C. STEPH. VITI

FINIS.

I. N. D. N. J. C.

Ad

Viri Clariss.

STEPHANI VITI

Vindicias Apolog. Synod. Dordracenæ

STRICTVRÆ.

§. 267.

Ad præfationem nihil monendum duxi, nisi eam rationem, cur Reverendissimus Moshemius adversario suo adhuc non responderit, quam Vitus hariolatur, parum esse verisimilem. Putat suam *Apologiam gravioris momenti rationibus niti, quam quarum refutatione tueri possit, nominis, quam suo merito consecutus est celebritatem.* Ita nobis suffeni sumus, ita cuique fœtus ingenii sui, quantumvis deformis, mirifice tamen placet! Vero videtur similior ratio, quod admodum dissimilibus utantur ingeniis doctissimus Moshemius & Clariss. Vitus; Itaque cum hic in præfatione, quam nunc in manibus habemus, classicum canat, seque acrem in armis ostentet: *constituit* enim *non tantum cum eruditissimis, modestissimisque, sed ineptissimis etiam, atque virulentissimis, si qui existerent, adversariis, prœlium committere*, quæ prologi galeati verba sunt:

ſunt: plusquam probabile eſt, reverend. Moshemium melius collocari horas poſſe credere, quam ut adverſario tali, qualem ſibi videt obtigiſſe, ſe committat, in pugna, facili illa quidem, ſed nullos paritura triumphos. Vix ego me Vite! adduci paſſus ſum ab integerrimo & celeberrimo Viro, ut postquam perlectus mihi liber tuus eſſet, ad reſpondendum animum appellerem, non quod laborem fugerem, qui hic mediocris eſt, quod periculo terrerer, quod nullum eſt, quod convicia tua vererer, nam neque his moveor; ſed quod Te mi Vite! præfiſcini dixerim, cœpiſſem contemnere, & virum vehementer improvidum, qui præter paralogiſmos palpabiles, convicia & fraudes, nihil plane ſcripſiſſet, indignum reſponſione arbitrarer. Pervicerunt rationes ut ſcriberem; ſed quod Te nolim ignorare, *ſemel*, neque, quocunque modo à Te fuero exceptus, ignobilem operam reſumere animus eſt. In his vero ſtricturis ita verſabor, ut, quos nactus eſt adverſarios Vitus, tuendos defendendosque minime mihi credam datos, qui ſi volent, & quando volent, reſpondebunt, neque ego eorum quemquam, cum quibus hic maxime Vito res eſt, vel oculis meis vidi, vel ſcripta eorum legi. Sed, quæ putabo digna notatu, omiſſis ceteris, notabo.

§. 268. Itaque nec inuſitata Viti confidentia, quæ cornua tollit minacia, moveor,

nec facilitate, quam in pugnaci viro non quæsiſſes; ſed aliæ ſunt rationes, quæ fecere, ut aliquid dicerem. Utriusque tamen verba præcipua lectori meo recitabo. Igitur Vitus: *Quicquid eruditorum Lutheranorum eſt, eos publice hic ſacris ſolennibusque verbis iterum iterumque amiciſſime provoco, ut in arenam mecum deſcendant, ſuasque, ſi quid poſſint, in defendenda aut incerta fide, aut illaudabili ſua pertinacia vires experiantur.* Idem Vitus: *Tantæ me felicitatis futurum confirmo, ut ſi mihi ſui candoris fidem fecerint, & affirmare poſſint, ſe in me refutando ſolide verſatos ipſos ſibi videri, ſacra me quæ adhuc ſequutus ſum, mutaturum publice profitear.* Utrumque doctiſſime Vite! ſcriptum à Te eſt admodum incaute. Cur tu laceſſere hic omnes Lutheranos audes, ubi ad explicationem ſcripturæ & lectionem antiquorum Theologorum res fere tota abit. Tu vero Te, mi Vite! ita imparatum ab his armis, quibus hic opus eſt, demonſtraſti, ut imparatiorem non temere quemquam invenerim. Uno, non amplius, loco aliquot biblica loca congeſſiſti, ſed nihil te poſſe è §. meo 46. doceri poteris. Antiquos autem noſtratium libros adeo non lectos, non viſos tibi eſſe claret, ut negare nequeas. Itaque inermem hominem ita ferocire non decuit. Porro iſta tua *facilitas, levitas* aliis merito videbitur haud facile excuſanda. Quid? ſi vel religioſiſſimo ſacramento, homo non levis, ſed erronea conſcien-

ſcientia ductus, dejeraverit, ſe credere me falli, num ideo jus fasque erit abjicere veritatem agnitam? Noſti Lactantium acriter refutaſſe, quin riſiſſe homines, qui dari pedibus noſtris obverſos homines dicerent; bona fide egiſſe virum, dubio caret, credidit ſane à ſua parte ſtare veritatem. Num tu volueris, ſi talis tibi obtingat adverſarius, veritatem pueris hodie notam ejurare? Huc accedit illaudata tua facilitas, illis quos criminaris, abſurdiſſima docere, v. c. Semipelagianis dextram ſocietatis fraternitatisque porrigendi, quæ à gravitate theologica dici non poteſt, quam vehementer abludant, tametſi fuco modeſtiæ oblinantur.

§. 269. Tota plagula A. nihil offendo quod mereatur reſponſionem. Calumnias ſuas, convicia, ſtilique aſperitatem ita excuſat, ut mox odiſſe ſe hoc ſcribendi genus perhibeat, mox merito & ſalutariter adhibitum, mox non ſerio ſe egiſſe videri velit. Mihi hæc diſputandi ratio noxia & indigniſſima ſemper viſa eſt. Odiſſe ſe illud Vitus fruſtra nobis perſvadere conatur; perſvaſiſſet, ſi in *Vindiciis* modeſtius egiſſet, quod adeo non fecit, ut longe acerbius adverſarios ſuos exceperit. *Serio* non eſſe calumniatum, lubentiſſime crederem, niſi aliqua nimis clara indicia ſerii animi extarent. Ceterum ſibi non conſtare Clar. Vi-

tum, oculi nos nostri docent, & Vindiciarum pagina 19. confirmat, ubi *Lutheranorum fidem fœtam consequentiarum monstris*, porro *consequentias ex Lutherana fide revera blasphemas ait. p.* 20. contendit *& ratione & natura & ferrea consequentiarum necessitate doceri, conjunctissima esse cum Luthera fide monstra illa, de quibus dixerat.*

§. 270. Pag 35. Vitus habet quod præterire nolo: *Ingenue ubique fassus ego sum, quæ doctissimus Moshemius eruditissime & facundissime nostræ fidei objecit, iis nihil me, quod quidem aliquam speciem habuerit, opponere posse, quam quod divinæ virtutes ad humanas exquirendæ non sint. &c.* Posuit supra §. 40. seqq. harum divinarum virtutum easdem esse ideas communes è scriptura sacra haustas, quas & de nostris virtutibus habemus, nisi quod illæ in Deo perfectissimæ existant, in hominibus imperfectissimæ. Ceterum ad *Sapientiam* quod attinet, h. e. facultatem obtinendi commoda ratione, quæ velis, ea in hoc solo communem cum nostra ideam admittit, quod tendamus ad finem aliquem, sed non, ut nos hac illave methodo incedere necesse est, si cupitis potiri velimus, ita Deum certa aliqua ratione uti necesse esse dicendum. Itaque divinæ sapientiæ nego eam ideam habendam esse, quam de humana debemus. Nihilominus autem, positis licet communibus justitiæ, misericordiæ, veracitatis humanæ divinæque ideis, commode nos objectionibus respon-

respondere posse, res docet, at hærere Supralapsarios, patet. p. 36. narrat Vitus *de doctissimis Lutheranis, qui præclare tandem intellexerint, se recte refutare Bælium non posse, nisi negassent Dei virtutes humanarum pondere perpendendas.* Velim tibi Vite! in memoriam revoces verba tua Apolog. p. 177. à me §. 124. notata: *Lepidum hoc est ἕυρημα & felicissimum disputandi compendium, si ex divinis perfectionibus argumentanti adversario respondere non possis, negare, te aut comprehendere aut effari divinas perfectiones posse. Hac ratione nullus de Deo error unquam refutari posset.* Hæc si vera sunt, vicit Bælius; Nam si refutari non potest nisi negentur virtutes divinæ cum humanis communem ideam habere (sic enim intelligo verba: *humanarum pondere perpendas*, quia contra Lutheranos disputas, qui virtutes divinas infinitè perfectiores esse humanis norunt) lepidum autem ἕυρημα est, si quis se neget comprehendere posse virtutes divinas, nihil reliquum est quam ut victi cedamus. Quod quidem vereor ne fiat, nisi meliores dentur Theologi, quam qui talia scripsere. Nos quidem Bælii argumentatiunculis plane non movemur. Ceterum, quamquam vellem paullo accuratius à doctissimo *Anti-Bælianarum dissertationum* auctore rem tractatam fuisse non ea tamen celeberrimi viri mens est, ideas communes virtutum, ubi de Deo disputatur, deserendas esse, sed videtur hoc, etsi non satis provide locutus

tus

tus eſt, de ſola ſapientia, & de hac quidem meritò, concedere.

§. 271. Negat. p. 37. Vitus *doctiſſimum Moshemium refutare potuiſſe, niſi iisdem calumniis fidem Lutheranam expoſitam eſſe doceret, h. e. niſi iniquius de Lutheranis diceret, quam ſentiret.* Ergo fateris objectionibus tuæ fidei à Moshemio factis ſatis fieri non potuiſſe, ſed ſolamen circumſpicis in miſeriæ tuæ ſociis, itaque nos eodem condemnare crimine ſatagis. Sed, cum te premi objectionibus fatearis, credisne nos pariter premi? Non credis, nam objectiones vocas *calumnias*, quæ non forent, ſi ſolidæ eſſent. Quid vero malæ cauſæ proſit bonam quoque conviciis & calumniis, ſed facile abſtergendis, petitam eſſe, tam perſpicax non ſum, ut videre valeam: itaque credis nos premi illis difficultatibus, ut ſane ubiqne præ te fers. Credis adeo & non credis unum idemque eodem tempore; dicisque calumnias, & non dicis calumnias, uno eodemque halitu.

§. 272. Pag. 39. Vitus ſanctiſſimam noſtram de S. cœna doctrinam illaudabili conatu ridiculam facere audet ficta hiſtoria, qua filius teſtamento ſibi legatum *Joſephum Imperatorem*, non de imagine gemmis ornata, ſed de ipſo Imperatore, *in eum & ſub imagine*, explicare auſus ſit. O bone! quid obtinebis ejusmodi fictionibus? Is pater, qui teſtamento legarat, Cæſarem ipſum non habuit

in

in poteſtate ſua. Quid vero? Si ponamus *Leopoldum Cæſarem* Aug. memoriæ, teſtamento *Amaliæ Hannoveranæ principi*, filium ſuum Joſephum legaſſe; Tunc eam contentam juſſiſſes eſſe imagine Joſephi, quantumvis exornata gemmis? In cœna dominica ſponſus cœleſtis cum ſponſa ſua eccleſia agit, huic non aliquid, quod dare non poſſet, ſed, quod pro omnipotentia ſua omnino poſſet, largiri ſe ait, quatuor ſanctiſſimis viris ac θεοπνεύςοις, Matthæo, Marco, Luca, Paulo teſtibus; dicit expreſſiſſimis verbis: corpus ſuum ſeſe dare. Vos bonorum interpretum vos creditis officio functos, cum ſponſam contentam dicitis eſſe ſponſi ſui imagine, nihil præterea promiſſum. Eſſent ſane piæ animæ contentæ, ſi viva illa imagine Chriſti quam fides ex verbo DEI quotidie ipſis exhibet, ſola paſcerentur, dum hic vivendum eſt; at cum ipſum *corpus ſuum* comeſtione orali quidem, ſed tamen ſpirituali, nobiſcum jugendum voluerit Chriſtus, faceſſant, qui hoc nos bono privare auſint. Hic vero te Vite clariſſime! monitum velim, in ejusmodi fictionibus, cum ad rei cardinem parum conferant, cautè ac ſobriè procedendum eſſe. Ubi enim hoc agitur, ut alterius ſententia ejusmodi ſimilibus ridicula fiat, res nec impietate caret & fructu deſtruitur. Sunt & apud nos adoleſcentes, qui utut Lutherani ſint, non tamen ita infelici

inge-

ingenio utuntur, quin in excogitandis fi-ctionibus ridiculis cum quocunque Reformato facile decertent, ſed his ego autor eſſe nolim, ut faciant. Quæ cum ita ſint, Vite! dele tua illa verba p. 39. *quod alter ſit ſanæ mentis, alter vero & ſenſibus & ratione captus.* Modeſtius, ut decet, locutus es pag. 40. ſed gravitatem theologicam non ſapiunt illa verba, quibus controverſiam noſtram de S. cœna, immo errorem, qui hic committatur, *aut nullius, aut nemini, ſi rei ſummam ſpectaveris, momenti eſſe*, contendis. Paulus ſua aſſeveratione 1 *Cor. XI.* 23. à Domino poſt aſcenſionem in cœlos ſe doctrinam de cœna domini accepiſſe, alia mihi perſvaſit. Si nihil aliud voluiſſet Chriſtus graviſſima ſua totiesque ſcripta cœnæ inſtitutione, quam illam fruitionem beneficiorum ſuorum, quæ per fidem fit, & præſtantiſſima eſt, non opus fuiſſet ea omnia facere, quæ fecit. Ergo amplius aliquid inſtituit. Sed, quid ſit *illud? resne*, an *imago rei*, tibi levis videtur nulliusque momenti controverſia; mihi o bone! eſt longe graviſſima. Audio vocem paſtoris mei nec ſusque deque habeo, quid illa voce ſibi velit? Heu quam vereor, ne, qui ita loquuntur, ut te loquentem video, incautè in *Latitudinariorum* & *Naturaliſtarum* laqueos incidant, qui nos primis de DEO veritatibus contentos eſſe jubent, ceteras quæſtiones difficiliores de *Trinitate &c. aut nullius,*

aut

aut minimi, si rei summam spectaveris, momenti esse caussati. Hanc vero à nobis pestem DEUS averruncet!

§. 273. P. 42. expendenda sunt verba Viti: *Ceterum nostra de rationis autoritate controversia, in eo uno cardine versatur: Utrum Lutherani, quando à nobis multiplicium contradictionum convincuntur, recte nos, cum alia ratione non possint, ratione captos esse jubeant?* Index opellæ meæ, voce: *Viti contradictiones*, monstrabit, quot admiserit vir doctus in opere suo contradictiones. Ceterum hic non est cardo controversiæ. Contradictiones, si possint evinci, non sunt admittendæ. Nostram vero fidem vel unica laborare contradictione, si potes Vite! demonstra, quamquam te hujus rei non esse idoneum arbitrum §. 209. ostendi. Occurrunt sane multa in fide evangelica, quæ cum non capiat homo, rationi nimis sunt sublimia, ut, qua ratione extricare se è difficultatibus omnibus possit, non videat, quo res modo fiat, ignoret, quo tendat haud intelligat; sed non videt falsam esse, hoc tantum videt, judicium suum in re altiore nullum esse. Itaque cum *rationem captivandam* dicimus, non docemus quidquam contra prima & evidentia principia rationis admittendum, sed non indulgendum corruptæ menti, quæ insita hominibus præcipitantia de rebus sibi facultatem judicandi sumit, de quibus, si rationis principia sequatur, non suum esse arbitrari,

bitrari, videre potuisset, cujus præcipitantiæ illico eadem pag. 42. Vitus exemplum præbet. Buddeum redarguit, qui cum non intelligat facultates Christo homini per unionem personalem datas, non indulget rationi suæ de re haud perspecta sententiam ferre, hoc vero largitus est contradictionem fore, si de quovis alio humano corpore dicatur simul pluribus locis esse, at non esse contradictionem, si de corpore Christi. Ut hæc recte Buddeus, ita Vitus minus bene respondit, *quæ alicubi contradictoria sunt, ea nullibi contradictoria esse non possunt.* Impeditius hic locutus est Vitus, voluit autem dicere: Quæ alicubi contradictoria sunt, non possunt non ubique contradictoria esse. Verum hoc falsum esse, ni præjudicatæ opiniones obsisterent, ipse Vitus intelligeret. Positis, quæ accidere vulgo videmus, corpus humanum extinctum carere motu sanguinis & spirituum, nec incipere putrefieri, contradictionem implicat, at in Christi corpore, cum necesse non sit, ibi ea ponere, quæ in nostris corporibus accidere videmus, non implicat contradictionem. Quod excipis Vite! de circulo, qui, cum hic non sit quadratus, nec usquam alibi esse possit quadratus, minime huc pertinet. Nobis de *rebus* sermo est, non de *rerum modis.* Rerum modi, qui hic contradictionem implicant, implicabunt ubique. **Itaque si alboris eadem sit idea,**

quod

quod album eſt apud homines, non poteſt non album eſſe apud DEUM. Sed hoc minus bene diceretur: Corpus quod has qualitates, hos modos habet, non poteſt idem manere, cum alios modos habuerit. Ita circularis figura hoc eſt modus rei nec hic nec alibi quadrata poteſt intelligi, eſſet enim & non eſſet quadrata, in qua re conſiſtit contradictio. Sed corpus illud triangulare, quin poſſit alibi eſſe quadratum, nihil obſtat. Connitere mi Vite! *libera illa mente tua*, qua nos carere ais, an poſſis veram contradictionem evincere in ſanctiſſima hac theſi: *Corpus Chriſti pluribus locis præſens* ſimul. Certus ſum te non poſſe, niſi ponas, *corpus non admittere facultatem omnipræſentiæ ſibi communicari.* Sed hoc ipſo dicis ponisque quod non intelligis, at modeſti non eſt, ut alterum contradictionis arguamus, ponere, quæ ipſi non intelligimus. Quodſi vero fruſtra conatus nihil te efficere tandem perſpexeris, da Deo gloriam, compeſce luxuriantis ingenii proterviam, noli evolare altius, quam miſeris nobis mortalibus conceſſum eſt. Denique abjice abſonam illam opinionem, neminem ratione uti poſſe, niſi qui Supralapſarius ſit.

§. 274. De ſacra cœna dixi ad Præfat. Apologiæ Viti, itaque quæ hic p. 44. ſequ. habentur prætereo. Pag. 45. Vitus ait *ſe non ignorare Brentium, ut univerſalis illius ubiquitatis prodi-*

gium, à quo merito sapientiores Lutherani abhorreant, tueretur, negavisse Lutheranos suam præsentiam realem sustinere posse, si solis Christi verbis niterentur. At ego mi Vite! ignoravi Brentium talia docuisse, itaque ut me doceas, & fidem tuam, quæ hic sublesta est, liberes, monstra locum, quo Brentius negarit è solis Christi verbis præsentiam corporis Christi realem probari posse. (*) De *ubiquitate,* quod vocabulum à nobis non est excogitatum, cum nos malimus omnipræsentiam dicere, satius fuisset Vite! scommata tua domi continere. Quos tu mihi narres sapientiores Lutheranos, qui ab ista abhorreant, nescio, quid Helmstadii olim actum sit, haud ignoro. Pudeat te absurdissimorum verborum: *Unde ille,* Brentius, *potissimum Lutheranam de hoc articulo fidem ex illa universali horribilique derivavit ubiquitate, qua Christi corpus etiam in laqueo, quo furi fauces elidantur, & in canthare cerevisiæ realiter præsens esse profane aliquandiu ipse*

(*) Extat Joh. Brentii libellus de personali unione & cœna Domini Tubing. 1561. editus. Ibi fol. 21. a. hæc leguntur: *Nam cum ex personali unione duarum naturarum in Christo, & ex verbo Christi constet corpus & sanguinem ejus vere ac substantialiter in cœna adesse* &c. Nempe ex altero τὸ *posse*, ex altero τὸ *velle* probari vult. Nam idem f. 1. b. ait: *Nos quidem ab initio contenti eramus simplici verborum Christi interpretatione & voluntatis ac omnipotentiæ agnitione. Sed quid faciamus? Adversarii nos pertraxerunt in has disputationes, & hactenus nos in iis detinent* &c.

ipse Lutherus adfirmavit. Utinam tacuisses! Quid tu Vite! de Brentio, cujus nihil legisti, certe attente non legisti, nobis occinis? Is in catechesi an. 1551. edita p. 632. sequ. tantum abest, ut nostram sanctissimam sententiam de reali corporis Christi præsentia in sacra cœna *potissimum* ex omnipræsentia hominis Christi probaverit, ut plane ex illa non probaverit, potius lectores ad verba institutionis remiserit, ne facta quidem istius omnipræsentiæ universalis mentione. Inter alia sic loquitur p. 641. *Sed Catechumenus jubetur etiam ipsa verba, quibus Evangelistæ & Paulus institutionem cœnæ descripserunt, ediscere, ut literas Testamenti Christi semper secum in animo inclusas circumferat, ex quibus certo cognoscat, hanc cœnam non esse humanum inventum, sed cœleste & divinum institutum, ac ex ipsis sacræ Scripturæ verbis de vero & legitimo usu hujus cœnæ crudiatur.* Deinde verba institutionis clare & pulchre exponit. Prima observatio p. 642. *est de tempore, quo suscepturus erat crucem & mortem, ut humanum genus cum patre suo reconciliaret &c.* sed nec quisquam est nostratium, qui è doctrina de omnipræsentia Christi hominis, verissima licet & certa, argumentum petat pro demonstranda sacramentali & ab illa diversa præsentia carnis Christi in sacra cœna. (*) Porro,

(*) Sic Saxonici in der Haupt-Vertheid. des Augapffels c. 49. p. 500. edit. 1673. Wir gestehen selbst, wann zu erweisen ist, daß der HErr mit seinem Leib im Abendmal

cur tibi Vite! horribile videtur corpus Christi ubique & in cerevisia, præsens ratione nobis ineffabili esse? Num & divinitatem præsentem esse horribile erit? Nos Scripturæ credimus, quæ Christum hominem ad dextram Dei consedisse, dextram Dei autem ubique esse docet. Cur imitaris aliorum lepidum morem, ut potissimum eas res nomines, quibus à nobis aliqua impuritas tribui solet? Nihil ita turpe est, ut Deus ibi præsens inquinetur. Omitto, quod Lutherum dicis *profane* idem affirmasse, hoc enim imperitiæ tuæ facile condono. Sed quid sibi vult, quod ais *aliquandiu* affirmasse hæc Lutherum? Itane mutavit doctrinam de cœna dominica Lutherus? & quod *aliquandiu* adfirmasset, deinde negavit? Pudeat te talia dixisse in eo scripto, quo ad duellum Lutheranos eruditos provocas, vir earum rerum, de quibus acturus eras, minime gnarus. Dissensum vestratium in confingendis tropis, quibus pervertantur verba Institutionis, frustra negas

Sacramentlicher Weise gegenwärtig seyn wolle, daß solches nicht kan aus dem Articul von der Person Christi, sondern allein, allein, allein aus den Worten der Einsetzung müsse genommen werden. Paullo post: Wolte GOtt die Wiedersacher blieben bey den blossen Worten der Einsetzung, und disputirten nicht, ob der HErr das thun könne, was er sich zu thun erbiete, so dörffte man das posse oder können nicht erst aus dem Artickel von der Person und dem Sitzen JEsu Christi zur Rechten GOttes ausführen 2c.

gas Vite! p. 46. Ceterum quando istum dissensum *non maximi esse momenti* vis, me habes facilem, nam realem præsentiam corporis Christi, qua fit, ut cum pane ore accipiatur, quæ nostra est sententia, negatis omnes, & qui videntur præsentiam realem concedere, tandem negant, si accurate sententiam dicere jubentur. Tuum in confessione candorem laudo. Ceterum, quod p. 48. nos in doctrina de S. cœna *digladiari* demonstraturus, dixisti, imperitiæ tuæ condonandum optime Vite! Nam ut prætercam, quæ de putatitio dissensu circa vocem *τ8το* disputas, qua certissime id, quod cum pane porrigitur, designatur, quod eadem plane mente multi *panem* ob unionem sacramentalem cum corpore Christi appellant; utinam tacuisses de *acerba contentione*, quam his verbis describis: *De ea acerba Lutheranorum contentione loquor, qua illorum alii universalem hanc, quam hoc loco descripsi, corporis Christi per totum hunc mundum extensi ubiquitatem tuentur, alii vero realem præsentiam ultra Sacramenti usum extendendam esse negant.* Quæ tu nobis Vite! prælia comminisceris? Quis unquam fuit, qui eo modo, quo corpus & sanguinem Christi in S. cœna præsentia credimus, in toto mundo præsentia esse doceret, vel somniaret potius? Quem fando unquam audivisti, qui corpus Christi per totum hunc mundum *extensum* diceret? Quis denique dissensus de reali præsentia corporis

Christi in cœna? Aliquam fuisse de omnipræsentia carnis Christi, sed secluso negotio cœnæ, & novimus & expirasse speramus. Tu vero mi Vite! domum abi & erubesce! aut si clamandum & gnaviter pergendum putas, non prius repone galeam fronti, quam quis Lutheranorum quid dixerit? tuis inspexeris oculis. Ceterum totam controversiam de S. cœna non recoquo.

§. 275. Quod vero de *Synecdoche* Rhetorica an Grammatica? occipitur carmen p. 55. quo tot pagellæ commaculatæ sunt, ad me nihil pertinere credo, postquam ad præfat. Apolog. §. 8. sententiam dixi, hic ne verbum quidem additurus. P. 60. fine hoc elogium invenio: *Uti putrescentia ulcera vermibus, ita Lutherana fides contradictionibus scatet burritque.* Lege, si placet, *Prov. XXV*, 8. Epistolam tuam p. 62. cœptam vehementer ab argumenti, quod tractatur, & viri Theologi gravitate abludere, scito. P. 74. fine, sic Vitus: *Facilis vero hujus litis erit compositio: Synecdochen modo tropum veri nominis cum Luthero largiantur!* Immo vero mi Vite! negavit cum Luthero Brentius esse veri nominis tropum, qualem Carolostadiani perhibebant, ut §. 9. ad præfat. ostensum est de Brentio. *Metaphoram* vero *tuam metonymicam* absit ut recipiamus!

§. 276. Ignorat, quid ipse dicat Vitus p. 79. *Neque etiam jam paci locus negaretur, si nobis hæc una pacis conditio proponeretur, ut, quemadmodum*

amba-

ambabus manibus doctrinam, quam de prædestinatione, gratia & libero arbitrio libri Lutheranorum symbolici tradunt, probamus, ita hanc Brentii sententiam nostram fateremur. Lege meum §. 9. ad præfat. ut intelligas quantum jam tum Brentius à tua sententia de S. cœna discrepaverit. Libros symbolicos vero totos Supralapsariismo adversari, quid opus repetere? P. 82. verba extant, quæ præcipiti affectui boni viri debentur: *Sive enim τὸ τοῦτο ad panem sive ad Christi corpus referas, mente te captum esse oportet, si literalem sensum sequaris.* Lege, si placet, reliqua lector! Non est mente captus, qui, cum aliquis sibi marsupium auro turgidum porrigit, additis verbis: hoc est aurum Hungaricum, credit haud imaginem auri, sed ipsum aurum sibi dari, sive tu illud, *hoc* ad *marsupium*, sive ad ipsum *aurum* referas. Nam ad rem parum interest. Itaque nec is mente captus est, qui Christo ajenti, corpus suum esse, etsi non ut ille aurum videt & palpat, corpus Christi sensibus usurpet, tamen credit. p. 84. & 86. vapulat Vito Meisnerus, muri leo mortuus; sed pergo, nam caussa nostra hic non agitur. P. 87. ita Vitus: *Ceterum uti facile in his exhibitivis enunciationibus, si verbi gr. poculo porrecto dixeris, hoc vinum est, Synecdochen sed rhetoricam admittimus, ita eidem Synecdochæ in verbis sacræ cœnæ locus esse nequit, quia in cum & sub pane corpus Christi non esse solet, quemadmodum contra poculis sæpissime vinum conti-*

veri intelligimus. Verum, ô bone! fuit ſane res nova, quam inſtituit Chriſtus pridie paſſionis ſuæ, nec, quod ſolebat alias ſub pane hoc modo eſſe, porrexit, itaque, cum alias porrecto poculo vini pleno neceſſe non ſit addere: hoc eſt vinum, ſenſibus, quid accipiatur docentibus, hic Chriſtus provide, ne neſciant, quod alias neſcivisſent diſcipuli, verbis teſtatur eſſe corpus ſuum.

§. 277. Pag. 88. in hanc ſententiam loquitur: *Ut adeo nihil obſcurius, nihil confuſius à quoquam unquam dictum ſit, ſi Chriſti verborum eum ſenſum conſtituas, quem Lutherani ſomniant, quia literalis ſenſus falſiſſimus eſt, tropicus vero, quem Lutherani tuentur, obſcuriſſimus, cum nulli in mentem venire poſſit, niſi illi, qui aliunde jam norit, panem Chriſti corpus continere.* Tuæ cauſſæ, quod ſubinde ſoles, Vite! vehementer obes, cum negas & merito quidem, tropicum ſenſum intelligi potuiſſe à diſcipulis, itaque non poteris tueri *metaphoricam tuam metonymiam*, nam niſi aliunde norunt panem ſignificare corpus, quod nunquam edocti ſunt, mannæ enim Chriſtus Joh. VI. corpus ſuum comparaverat, ſed pani domeſtico, quod quidem ſciamus nunquam, intelligere non potuerunt, verbis Chriſti: hoc eſt corpus meum, ſibi ſymbolum non accepti corporis tantum dari. Sapienter ergo patres noſtri & nos cum illis negamus, ullam in his verbis eſſe vel metaphoram vel metonymiam ſive tropum

pum veri nominis. Synecdochen illam quam Lutherus aliique admittunt, verum tropum esse pernegamus, ut jam §. 8. ad præfat. monitum ostensumque est. Lubet adscribere locum non inelegantem Matth. Flacii Illyrici, ex opere an. 1567. edito, hoc titulo: *Omnes libelli Matth. Flacii Illyrici, hactenus in Sacramentaria controversia editi.* p. 85. *Quare in verbis Testamenti Christi: Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, negamus ullam figuram esse, sed in hisce inde sumtis, quibus aliquomodo Christi sententiam exprimere conamur; panis est corpus, aut vinum est sanguis, aliqui quiddam quasi synecdochicum esse arbitrantur, alii malunt dicere, esse inusitatam & sacramentalem prædicationem. Ideo cogimur aut conamur eam explicare, istis jam olim in ecclesia usitatis circumlocutionibus: In, cum & sub pane est & sumitur corpus Christi.* Eadem p. 88. Vitus repetit figmentum de Lutheranis, nescio quibus, qui ex verbis Christi corporis Christi præsentiam demonstrari posse negarint, quos puto nunquam vitalem auram carpsisse.

§. 278. De lingua vel Syriaca, vel Syro-Chaldæa, qua Christus usus sit, meam non facio gravem vestram & Theologis indignam litem. p. 94. Ceterum, quod hic p. 95. sequ. Vitus disputat, & verum esse & me semper ita sensisse profiteor. Quæ de tropis in S. cœna vel admittendis vel negandis p. 104. seq. tractantur, non repeto, sat esse ratus, quæ ad *præfat. Apolog.* monui. Convicia autem in

 san-

ſanctiſſimam noſtram fidem pag. 106. conjecta, nemo bonus inter ipſos Reformatos ſine indignatione leget. Quid hoc rei? Vitus, qui ſe pacis ſtudioſum prædicat pag. 107. ita exclamat: *Vide quæſo, quantus in eccleſia Lutherana FUROR verſetur!* Hominis ne hæc vox eſt? Pag. 108. *Ecquam*, inquit, *vero mihi, Lutherani! operæ meæ mercedem tribuetis, ſi vobis oſtendero, diſcipulos ne potuiſſe quidem veſtro ſenſu Chriſti verba accipere, noſtro vero non potuiſſe non accipere?* Demonſtra mi Vite! atque meliorem expecta, ubi potueris demonſtrare, gratiam, illa, quam ominaris. Quæris 1) *an in S. cœna nullum locum concedamus ſpirituali comeſtioni, quæ fit per fidem?* Reſpondemus, in dignis ſemper comeſtionem ſpiritualem cum ſacramentali conjunctam eſſe. Porro quæris: *an fidei objectum non ſit ſolus Chriſtus juſtitia & vita noſtra?* Reſpondemus ſolum Chriſtum eſſe. Quæris tertio loco: *Hæc ſpiritualis manducatio cognitane erat diſcipulis.* Hic occupas Vite! nimis feſtinanter reſponſionem noſtram, atque nos ais tueri fuiſſe cognitam. Verum diſtinctè reſpondendum. Aliud eſt *res* ejusmodi manducationis ſpiritualis, aliud eſt nomen. Itaque ut nominis *Jehovah* imperitus aliquandiu populus Iſraeliticus cum Patriarchis fuit (quamquam hic de vero ſenſu *Exod. VI.* 3. non diſputo) DEUM tamen ſemper agnovit. Ita diſcipuli potuerunt præclare ſcire Chriſto confidendum, ac in eo ſpem ſalutis omnem collo-

collocandam, ut tamen iſtam fidem comeſtionem carnis Chriſti ſpiritualem appellari ignorarent. Atque hoc ipſum factum eſſe incunctanter affirmo. Nam ſi *fidem* appellari *manducationem corporis Chriſti* ſciverunt diſcipuli, vel ex uſitato tropo ejusque ſignificatione, vel è loco *Joh. VI.* ſermone ſcil. Chriſti ibi recitato, hauſerunt. Tertium, unde hauſerint, nobis ſaltem, nullum conſtat. Demonſtrabo è neutro cognoviſſe diſcipulos, nam tropus ejusmodi, ut *confidere alicui, ſpem in aliquo collocare*, dicatur *carnem alterius edere*, ita inuſitatus eſt, ut nemo unquam uſquam ullum locum autoris veteris novique invenerit, ubi extet. Reſtat, ut diſcipuli ex *Joh. VI.* didicerint. Sed non didicerunt. Ordo diſcipulorum duplex iſto loco occurrit. Unus eorum, qui adeo non intellexerunt, ut abſurdiſſima putarunt Chriſti verba de manducando corpore ſuo, adeoque relinquerent magiſtrum. *v.* 60. & 66. In quibus non hoc reprehendit Chriſtus, quod non intelligerent hæc verba, ſed quod præcipiti judicio, ob id ipſum, quod non intelligerent, abſurda putarent. *v.* 61. & dixit ſecutura alia, quæ ipſi non intelligerent, neque minus tamen eſſent longè veriſſima. *v.* 62. cauſſam cur abſurda ea arbitrarentur eſſe, quod potentiæ magiſtri ſui diffiderent. *v.* 64. Poſterior ordo eſt aliquorum diſcipulorum. *v.* 67. Qui non quidem ajunt ſe intel-

intellexisse vim phraseos de manducando corpore Christi, sed maneat tamen apud magistrum, fatentur ejus verba esse *vitæ æternæ verba*, si minus hic intellexerint, intellecturos se in altera vita. Certum esse hunc non alium esse Messiam, itaque, quæ dixisset, certissime præstitum iri, licet, quid qualeve sit futurum, adhuc ignorent. Retinuerunt itaque verba corde memori, ut B. Virgo Deipara, de verbis pariter tum non intellectis, fecisse legitur *Luc. II.* 50. 51.

§. 279. His ita præmissis, non equidem præmio aliquo, sed vestra Reformati doctores clarissimi! ac tua maxime Vite doctissime! attentione dignam ingrediar demonstrationem: Aut voluit Christus, jam, cum cœnam institueret, à discipulis intelligi, aut non voluit. Prius dicendum est, nam vult institutum hoc suum servari, servari autem non posset, nisi quid rei esset, intelligeretur, cum olim *Joh. VI.* nihil aliud voluerit, quam verba sua accipi memori mente, ac dum fiat, quod nondum intellectum esset, expectari. Porro si voluit Christus intelligi, si & Evangelistæ, quibus, vel Spiritui S. potius, debemus, quæ de S. cœna scimus, à nobis voluerunt intelligi: aut tropus in nulla gente linguaque usitatus, alicubi explicandus fuerat, quod nuspiam factum; aut voluerunt verba, uti sonant accipi, nisi quod notissimus & usitatissimus tropus, quo calix pro

eo,

eo, quod continet, accipitur, excipiendus ſit. Porro, ſi Chriſtus voluit à diſcipulis intelligi, non aliquod ſymbolum carnis & ſanguinis ſui, ſed ipſum corpus; dicant, ſi poſſunt, quibus verbis, quæ clariora eſſe poſſent, utendum Chriſto fuerit. Si non poſſunt, ut certiſſime non poſſunt, in his acquieſcant. Nihil ſupereſt, niſi ut moneam diſputationem Cl. Viti p. 110. mirabilem eſſe; e. g. qui nexus in his verbis: *Ergo Lutherani negare noſtrum tropicum ſenſum ne poſſunt quidem, niſi tueri velint nullam eſſe in ſacra cœna ἀνάμνησιν nullam καταγγελίαν.* Nos vero ſimul & Chriſti mortem prædicamus, & corpore Chriſti paſcimur ad ſalutem. Et qui non poſſit utrumque ſimul fieri, rationem nullam video. Tropum quem comminiſcuntur Reformati, jam antea diſcipulis perſpicuum & familiarem fuiſſe, fruſtra ponit Vitus pag. 111. ut è præcedenti §. liquet.

§. 280. Age videamus ſpecimen demonſtrationum, qualibus Vitus pugnat, *p.* 111. *fin, & p.* 112. *Lutheranam ſententiam tanta obſcuritate laborare, ut nihil poſſit eſſe obſcurius, facillimum demonſtratu eſt.* Interpellare liceat pauliſper: Sententiam noſtram *obſcuriſſimam* dicis. Quæro utrum hoc velis: non facile intelligi, quid Lutherani doceant, ſive illud falſum ſive verum ſit? Hoc modo eſſet obſcura ipſorum ſententia: An hoc: Capi non poſſe, quod Lutherani claris verbis docent, qui poſſit verum

eſſe?

esse? Illud noli dicere, nam clarius nunquam ulla sententia proposita est, quam hæc: *Accipimus & manducamus ipsum corpus Christi, quod in cruce pependit.* Itaque immerito dicis sententiam Lutheranorum obscuram, cum palam dicant quid sentiant. Ergo reliquum est, ut dicas hoc obscurum esse, qui possit id, quod satis clare Lutherani docent, esse verum? huc tua putatitia demonstratio tendere videtur. Sed si nihil amplius vis, nos habes consentientes, nam cum ignarissimis ignoro, qui fieri possit, qui corpus Christi accipiam edendum; & in sola omnipotentis Christi promissione, qui præstare, quod pollicetur potest, conquiesco. Sed amplius aliquid vis; Itaque perge: *Cum enim illa manifestissimis laboret contradictionibus, non modo obscurissima sed revera etiam impossibilis est.* De *obscuritate* rectius tacuisses, nam, qui mihi contradictoria narrat, e. g. *triangulum quadratum esse*, non *obscure* loquitur, satis enim patet, quid voces cum separatæ tum connexæ significent, sed *falso.* Ergo, cum necesse sit fateri nostram sententiam esse *minime obscuram*, quomodo probabis esse *impossibilem* seu *falsam*? Sic pergis: *Unum enim idemque corpus humanum totum à diversis, diversis & temporibus & locis, ore manducari qui posse dixerit, illum revera ratione captum esse oportet & sensu.* Demonstrationem expectaram mi Vne! non convicium. Itaque, cum non sit, cui respondeam, hoc sufficiet monuisse,

nuiſſe, rationem, ſi nolit altius aſcendere, quam ipſi conceſſum eſt, neutrum dicere, nec, *poſſe* illam manducationem fieri pluribus locis ſimul, nec *non poſſe*, ſed cohibere judicium; ut de re nimis ſublimi. DEO autem ajenti credendum eſt. Contradictionem fruſtra crepat, qui non poteſt eo aliquem adigere, ut & eſſe rem & non eſſe eodem modo, loco, tempore, fatendum ſit. Connitere, ſed ita, ut ne nimis indulgeas menti juſto magis præcipiti, ceu ſupra jam hortatus ſum, videbis bonis rationibus contradictionem evinci nullam poſſe. Ne ſine cauſſa te denuo *præcipitantiæ* arguiſſe videar, moneo p. 112. inter alia, quæ te judice, cum *vero corpore* conſiſtere nequeunt, poni: *Quod penetrare reliqua corpora poſſit*. Facile credo non imperitum te eſſe rerum naturalium, ſed multa dari corpora, quibus cetera penetrentur, tibi non puto in mentem veniſſe feſtinanti. Addidiſti quidem vocem *humanum* hoc modo: *Corpus verum & humanum*; ut adeo cum de *quovis corpore vero*, tum ſpeciatim de *humano* negaris penetrandi facultatem. De *humano* corpore præter Chriſti hodie nullum in his terris fateor haberi, quod ea facultate gaudeat penetrandi corpora ſolida, nam aquam & aërem vera corpora ſed minus ſolida penetrari ab humano corpore, non opus eſt dicere. Ceterum de Chriſti corpore res eſt extra controverſiam poſita. *Joh. XX. 26.* Ἔρχεται ὁ Ἰησοῦς τῶν θυρῶν κεκλεισμέ-

σμένον, καὶ ἔςη εἰς τὸ μέσον. Ita corpus Christi invisibile esse & fuisse ubicunque nolit videri, ἐξαγώνιον est. Vitus vero & inter illa propria, quæ à corpore abesse nequeant, & *colorem* posuit. Concludo hoc argumentum seria affirmatione, me quoque de natura corporis, & sæpe, & quantum poteram contentis viribus cogitasse, & an possint contradictionis sanctissimæ religionis nostræ mysteria merito argui, meditatum, sed invenisse semper, non licere mihi progredi, neque in alterutram partem quid, quam definiri è principiis rationis posse. Quæ ipsa cogitatio eum fructum peperit, ut Spiritui S. in scripturis me docenti, lubens ipsius gratia commotus obsequar. De me vero, quod Tu de te prædicas, verissimum, non quod olim ita me docuerint parentes mei b. m. ceterique præceptores, Lutheranam fidem tueri, sed quod veram esse agnoscam. p. 115. 116. nihil est, quod non supra profligatum sit abunde. Frustra id agit Vitus, ut nos Semi-Pelagianismi faciat reos. p. 117. nescio quid dicam? Objectum tibi est: Herr Veit und seine Consorten machen GOTT zu einem grausamen Tyrannen, — daß GOTT mit den Menschen sein Spiel habe, wenn Er ihm seine Gnade ankündigen lässet. 2c. Quid tu? calumnias ais esse, & similes nobis objici posse. At nos repulimus Vite! retentis ideis justitiæ & bonitatis è scriptura haustis, tu si potes repellere, faveo repulsuro; Si nequis,

quis, nisi abjectis ideis bonitatis & justitiæ &c. è scriptura haustis, noli calumnias interpretari. Nam & me oportet, cum à calumniandi libidine longissime absim, repetere hujus hominis, quem refutare debuisses, verba: Welches allerdings erschrecklich, GOttslästerlich und abscheulich ist.

§. 281. Nostram fidem Dordraci rejectam esse ita evici, ut nihil addendum hoc loco sit. Itaque ad p. 119. sequ. nihil moneo. Doctissimum Cyqrianum, quid conviciis atrocibus lacessis p. 121? Quin potius refutas ejus præclarum opus von der Kirchlichen Vereinigung. De ingenii acumine, quod in Cypriano desideras, in te esse putas, utinam placuisset tacere! Pag. 125. 126. decuisset confiteri injuriam incomparabili Viro Cypriano factam, de qua §. 33. egi, quod adeo non facis, ut augeas quoque culpam, neque hic locum, quem velis, quo libro paginave lector quærere possit, laudas. Pag. 127. Doctissimi Cypriani argumenta omnia, quibus nempe, rebus sic stantibus, unionem ecclesiasticam fieri non posse probat, *puerilia plane*, dicis. Hem quam parum bene! Legistine totum librum: Kirchliche Vereinigung; & gravitatem, quam omnia spirant, non invenisti? Ceterum pios nostros confessores pericula adiisse gravissima, pro tuenda nostra, non Zwinglii vel Calvini, doctrina, immo & quod Palatinum Electorem, in caussa Sacramentaria cunctantem,

 deinde

deinde & ad Helvetiorum dogma ſe applicantem deſerere, ſpe bona mutatum iri Electoris animum, nollent; Ea omnia certiſſima ſunt.

§. 282. Pag. 130. Vitus noſter: *Omne Schiſma veri nominis impium eſt*, ergo & qui alunt ſchiſma, impii ſunt. Nos quidem ſchiſma veri nominis ibi quærimus, ubi cœtuum disjunctio, ceterum in ſumma fidei, conſenſio eſt, quamquam vix unquam tale extitit, quin ſaltem alterutra pars alteram gravium in doctrina errorum poſtulaverit. Ut de ſchiſmate Donatiſtarum, quod vocatur, vix eſt, quod dubites. In Reformatis nos errores capitales videmus; Reformati in nobis, ſi e. g. *Anhaldinis* credendum eſt, vident abominabilia & horrenda dogmata in F. C. propoſita. Itaque non eſt inter nos ſchiſma veri nominis. Sed fac eſſe; conſtat Proteſtantium eccleſiam & expurgationem fermenti apud nos cœptam eſſe; conſtat in doctrina ſacramentaria fidei noſtræ patres, de Melanchthone hic non loquor, idem ſemper ſenſiſſe, nam quamquam callidis verbis adducti ſunt, ut Veſtrates, conſentire ſecum aliquando crederent, certiſſimum tamen, Lutherum & ſuos conſtantiſſime idem quod nos tuemur, tuitos. Seceſſionem Caroloſtadius fecit; Zvinglius ſive ab hoc didicit, ſive, ſi id malis, ſine autore veſtram ſententiam docuit. Quis ergo ſeceſſionem fecit? Noſtrates certe non fecerunt.

Noli

Noli dicere, Vestrates tamen noluisse divelli à Saxonicis, sacrorumque communione excludi, exclusos voluisse redire, non admissos à Lutheranis. Nam admissi sane essent, abjecto dogmate suo, quod abjicere ipsos decuisset, si verum est, quod Vitus perhibet, dissensum vel nullius vel minimi momenti esse. An grave fuit à docenda doctrina quæ nullius momonti sit, abstinere? At Lutheranis, cum persvasi essent, dissensum de re gravissima esse, per conscientiam non licuit in fratribus censere, quos gravissime errare & errorem palam docere nossent. Denique si is, qui Schisma alit, impius est, quid Vito accidet, qui cum Schisma veri nominis esse credat, nostram tamen, h. e. fratrum suorum, doctrinam infinitis locis, ita *ineptam, absurdam, contradictionibus crassissimis scatere, & burrire ait, ut sapere nemo possit quin eam rejiciat.* Mihi vero capitaliter videntur errare illi, de quorum doctrina verum est, quod tu de nostra perhibes. Quid ergo? Qui doctrinam, suo judicio, vel nullius vel levissimi momenti dissensu, ab ea, quam profitetur, disjunctam acerbissimis conviciis ridendam propinat, is Schisma alit, adeoque impius est. Atqui Clarissimus Vitus, Lutheranam fidem talem esse, quæ dissensu levissimi vel nullius momenti à sua differat, non uno loco prædicat, conviciis autem millenis, etiam ubi persona calumniatoris posita est, proscindit & deri-

dendam omnibus proponit. Ergo, quod invitus colligo, Clar. Vitus Schiſma alit, & impius eſt. Quod quidem eo magis dolendum, quo majoris autoritatis Vitus inter ſuos eſt, ſi quidem recte è tot pollicitationibus, ſe facturum, ut ſui Theologi hoc illudve ſcripto publico confirment, conjicio. Nam talia promittere maximæ levitatis eſſet, ni pollere promiſſorem ſingulari autoritate conſter.

§. 283. Doctiſſimus Cyprianus loco à nobis §. 33. recitato dixerat: daß ich in keinem Frieden geheelen kan, der ſo wohl jenes, Chriſti beſchworne Lehre aus gantzen Ländern jagen, als ꝛc. würde. His p. 331. Vitus noſter notam addidit: *Hæc cum diceret doctiſſimus Cyprianus vel febricitaſſe vel ſomniaſſe videtur, cum enim mutua iſta pax foret, non ad pellendam ſedibus ſuis aut Lutheranam aut noſtram fidem pertineret, ſed magis magiſque confirmandam & ſtabiliendam. Neque adeo eſt, quamobrem magis Lutherani ſuæ quam nos noſtræ fidei ab hac pace metuamus. Niſi forte male ſibi conſcii intelligant Lutherani, eo magis eſſe, quamobrem errorum ſuorum tenebris à diſſipatione metuant, quo propius ex hoc amico fœdere ad noſtræ fidei lucem acceſſerint. Ut adeo hoc primum doctiſſimi Cypriani argumentum tam puerile & ſtolidum ſit, quam alterum impium eſt & Chriſtiano homine indignum.* Non vindicandum hic mihi Cyprianum ſumo, virum tanto ſuperiorem meis laudibus quam tuis calumniis, qui ſi ſomniavit, cum hæc ſcriberet, mille aliis, qui ſe *libera mente* uti

per-

perhibent, ſapientior vel ſomnians videtur. Sed hoc quæro: Legiſtine aliquando verba Apoſtoli 2. Cor. VI. 14. Τίς δὲ κοινωνία φωτὶ πρὸς σκότος; Si tua fides *lux* eſt, ſi Lutherana *errorum tenebræ*, quod utrumque claris atque expreſſimis verbis perhibes, quæ levitas eſt velle, ut *amico fœdere* lux tua ad noſtras tenebras accedat. Lux cum tenebris non jungitur ſed eas expellit, & ſi ſunt, ut ais, tenebræ in Lutherana fide, quid tu pacem ſvades ad *eam magis magisque confirmandam & ſtabiliendam.* Hæc cum tu ſcriberes Vite! vigilare tibi viſus es & recte valere? Ceterum eodem gra viſſimo loco apoſtoli, 2. Cor. VI. 14. cauſam vides, cur nos, quos ἀληθεύοντας ἐν ἀγάπῃ eſſe oportet, pacem, qualis adhuc propoſita eſt, cum B Spenero, ſapientiſſimo Viro improbemus, non quod cauſæ noſtræ veritati diffidamus, quæ tam certa eſt, ut cum provocatione Viti mei inermis plane & ab omnibus, quæ ad Theologicum certamen pertinent, imparati, imitari nolim: nihil minus tamen verear, quam ſi mihi fidem meam è ſcriptura ſ. tuendi neceſſitas imponatur.

§. 284. Apologiæ ſuæ p. 52. Vitus memoriæ ſuæ, ut jam fatetur, confiſus, non è Cypriani libro dixerat, *doctiſſimum Cyprianum tueri, vel eo nomine pacem nobis cum* (Reformatis) *iniri non poſſe, ſi maximè ſcil. in fidei fundamento non erramus: quia alias eccleſiæ Lutheranæ*

 patres

patres in rixatoribus habendi essent. Falsi admonitus convictusquè quid agit Vitus? Erubuitne? agnovit erratum? precatus est veniam? Nihil horum; Audiamus mirabilis ingenii hominem Vitum! p. 132. *Alio teste mihi ad doctissimi Cypriani argumentum impietatis postulandum opus non est, si ab ipso doctis. Cypriano dicesseris. Primo enim primi capitis paragrapho non negat, impios futuros Lutheranos si existimarent nos in fidei fundamento non errare, neque tamen pacem nobiscum componerent. Tantum itaque abest, ut me mendacii convicerit nugator*, Autor Ephemeridis Jenensis; *ut potius inepta hac sua refutatione docuerit, nihil ipso esse posse mendacius, me veracius.* Cur ita acerbé inveheris in Cyprianum? An quia scripsit? *Si maxime scil. in fide fundamento non erraremus* &c. At vides & fateris non scripsisse, sed contendis mentem tamen eam viri fuisse; Unde vero colligis istam perversam mentem? Nihil video unde saltem aliqua specie colligere posis, nihil plané profers, sed laudas ejusdem Cypriani verba tuæ de viri mente suspicioni è diamétro contraria: *Impios fore Lutheranos, si existimarent in fidei fundamento non errare Reformatos, neque tamen pacem cum illis componerent.* Hoccine est *libera mente* uti? Non venit in mentem Cypriano, quantum è verbis ejus colligi potest, *gravissimam* nedum *unicam* pacis hujus recusandæ caussam esse, ne majores nostri videantur rixatores. Sed quam is habuerit gravissimam,

mam, & si foret etiam, cum non sit, sola, sufficeret, age in lectoris mei gratiam describam. Cyprian. Unterricht von Kirchl. Vereinigung p. 10. Wann wir schon keine andere Gründe unserer Abneigung von dieser Brüderschafft anzeigen könten als nur allein, die Lehre der Reformirten Theologen von der im Werck der Seeligkeit, auf die wenigsten Menschen sich erstreckenden Gnade GOttes und Gnugthuung Christi; So würden wir dennoch bey allen, die in ihrem Hertzen mit der Christlichen Religion kein Gespötte treiben, und die Sache hinlänglich ermässigen, überflüssig entschuldiget seyn, und von der Zancksucht durchgängig loß gesprochen werden.

§. 285. p. 133. De argumentis, pro dissvadenda pace, qualis offerebatur, externis & à damno externo, quod metuendum esset, petitis, quæ Cyprianus ea gravitate, quæ tantum Theologum decet, *cap. XV.* exposuit, Vitus levissimam dixit sententiam; sed cum verear ut hunc hominem sanem, ceteris autem lectoribus pellucere Viti levitatem certus sim, pergendum est. Rides eas pacis conditiones Vite! p. 135. quas solas nobis inire licet, itaque non decebat nobis tuas, quas inire fas non est, obtrudere. Fac erronea conscientia à nobis vestram doctrinam *erroris fundamentalis argui*, dum manet ista *erronea*, si ita vis, nobis enim certissima est, *conscientia*, non licet pro levibus erroribus, nedum veritatibus agnoscere, quos capita-

les errores credimus. *Impotentis* nos *dominationis studii* postulas, merito postulares si nos unquam ausi essemus, vos, protestatos licet vobis, jus fasque non esse, ad consensum & pacem adigere; Verum cum alia omnia acciderint, vestrique homines importunis pacis consiliis, quam his conditionibus iniri Deus non siverit, nobis magis etiam molesti fuerint, quam omnibus eristicis scriptis: Judicet, qui partium studiosis non est, utra pars dominationis impotentis cupida censeseri debeat.

§. 286. p. 126. seqq. Vitus repetit se *præclarè* eadem argumenta, quibus à nostris Reformati urgentur, in nos convertisse. Mihi satis erit, ubi dixero, Vitum id præstitisse *pessime*. Lectoris erit legere & judicare. Imitari Vitum, repetendis, quæ dicta sunt, nolo. Sic denuo digreditur noster p. 140. ss. sed, qua solet infelicitate, in librum Lutheri, de S. A. cui abunde satis factum credo. Tamen ne videar non legisse, ad ea, quæ p. 141. habet tria verba dicam. Optime b. Lutherus dixerat. *Si possem ulla ratione comprehendere, quomodo is Deus sit misericors & justus, qui tantam iram & iniqnitatem ostendit*, non esset opus fide. Vitus noster hic exclamat: *Vobiscumne igitur an nobiscum Lutherum sentire arbitramini?* Cum utrisque ô bone! Nam neque Lutherani neque Reformati negant multa accidere subinde piis, quæ ab ipsis ut infirma & imbecilli ratione

tione omnes utimur, cum misericordia & justitia divina difficulter conciliari posse fatemur, vid. *Ps. LXXIII.* Sed inde non sequitur nullas esse ideas justitiæ & misericordiæ divinæ certas, vel tribuere nos posse Deo actiones & consilia, quæ non videntur notiones istas de virtutibus divinis tollere, sed certissime tollunt. Uno verbo, sunt multa, quæ nos non possumus cum ideis bonitatis & justitiæ conciliare, at nec videmus non posse conciliari, in his fides locum habet; sunt alia quæ v. g. à Supralapsariis Deo affinguntur consilia & facta, quæ non modo non possumus cum ideis justitiæ & bonitatis divinæ in concordiam redigere, sed & liquidò videmus adversa fronte pugnare, & tolli istas sanctissimas notiones.

§. 287. Pag. 143. Vitus denuo pacis conditiones habet: *Sanctissima quædam lex rogetur, ne quis Supralapsariorum unquam durius Luthero aut sentiat aut loquatur; sin secus fecerit, gravissimam violatæ fidei pœnam dependat.* Mihi videtur Vite! nihil magis intempestivum, quam hoc consilium. Quodsi inter reges duos de finibus oborta lis fuerit, præclara scil. pacis erit conditio: *ne quis unquam ulterius procedat, quam quo jus fasque est;* nisi antea curate limitibus communi consensu positis, quo cuique ire jus fasque sit, definiatur. De sensu Lutheri non est composita lis, nam ut nos eum docuisse gratiam universalem, resistibilem,

amissibilem, non conjicimus, sed scimus: Ita tu pedibus manibusque contendis docuisse particularem, irresistibilem, inamissibilem.

§. 288. Pag. 145. 146. sequ. recoquit errorem: *Erasmum non plus arbitrio humano tribuisse, quam Lutherani tribuant.* Tædet respondere, nihil facias homini centies refutato, centies reclamanti. Nec de conviciis in B. Seb. Schmidium p. 148. sequ. denuo conjectis dicere animus est. p. 150. expressissimo verbo *mendacium* Cypriano Vitus exprobrat, ut qui recantasse Lutherum librum de S. A. scripserit. Heu pudor! non dixit Cyprianus unquam usquam, quod ego sciam, saltem illo loco, quem Vitus indignissime exagitat, certissimum est non dixisse, & *mendacii* postulatur vir, qui sua omnia idoneis testibus probavit. Quin tu refutas ea quæ scripsit Cyprianus? hic Rhodus, hic saltandum; cur criminanda sumis quæ non scripsit? Ceterum vide supra §. 130. ubi & recantatos abjectosque aliquos de prædestinatione errores, & non recantatum libri de S. A. dogma à Luthero demonstravi. Nunc video in his vindiciis p. 158. jam monitum esse Vitum à Jenensi suo adversario, non affirmasse loco vexato Cyprianum, à Luthero revocatum esse librum de S. A. sed adhæsisse Luthero ab initio duras ex Augustinianorum schola haustas doctrinas. Quid vero ad hæc Vitus? attende mi lector! sic ait: *Ast alii Lutherani magni nominis*

minis dixere, cum quibus sentire doctissimum Cyprianum recte dixi, cum eadem, quæ illi, tueatur. Itane nihil pudet! Cyprianum misere exagitas, *mentiri* dicis; Cur? dixitne mendacium? Non ipse quidem, sed alii Lutherani, cum quibus ipsi ceteroquin in religione convenit. O facinus indignum! Sed heus tu, mi Vite! Quinam illi Lutherani magni nominis sunt, qui ajunt recantasse Lutherum librum suum, de S. A. illos, ubi inveneris, exagita, ut lubet, non intercedam, nam tecum sentio, præter eos, qui ad Semi-Pelagianorum castra justo propius accessere, hoc perhibuisse neminem. Fortasse Witebergenses in Ant-apologia? Vide, si placet, supra §. 132. sed ea lege, ut ceu par est, erubescas.

§. 289. Video eadem pag. 158. mirabilem responsionem ad monitum Jenensis Ephemeridum auctoris, cum quo mea, quæ §. 130. dixi, re congruunt, nisi quod ego monstravi, ubi Lutherus ante librum de S. A. minus bene scripserit docueritve. Sic Vitus, (nam locum, ne simili responsione se mihi satisfacturum opinetur) describam integrum) *Quam vero inepta hæc sit exceptio, facile est* demonstrare. Primo enim adhæsisse Luthero duras doctrinas largiuntur; Quænam vero illa dura sunt? (noli quærere, lege §. meum 130.) *ea scil. quæ impia & blasphema in nobis jactant Lutherani* (sunt sane illa, sed ita à b. Luthero istis initiis tradita, ut sibi non constaret,

ſtaret, & gratiam univerſalem ſubinde ſimul doceret, quod alibi monui) *Ergo cum largiantur Luthero Reformatori hæc viſa eſſe, ex iis merito quæro, utrum regenitus jam tum fuerit Lutherus, utrum illi Spiritus S. an ipſe ſibi auctor atque princeps ad Reformationis opus ſuſcipiendum perficiendumque exſtiterit.* (Talia à Pontificiis nobis ſæpe objecta eſſe novi, ab homine Reformato autem idem factum, quod ego quidem ſciam recorderve, nunquam eſt. Prima opuſcula B. Lutheri, quorum aliquam copiam primis annis editam in Bibliothecula mea ſervo & amo, quamquam & Tomis inſerta ſunt, ſpirant pietatem viri egregiam, quam non fuiſſe infucatam, tentationes, quas ſuſtinuit vicitque per DEI gratiam, & integritas ſanctitasque morum facile fidem faciunt, piiſſimam animam dudum fuiſſe regenitam, antequam heroicum opus Reformationis aggrederetur, quod quidem, quo evaſurum eſſet, ipſe animo non præceperat. Spiritum S. igitur autorem admirabilis negotii fuiſſe, quis Noſtratium dubitabit?) *Si negent quæſtionem, Pontificiis largiuntur, non divino ſed humano conſilio ſuſcepta eſſe, quæ Lutherus perfecerit; neque adeo quæſtionem hanc negare poſſunt, niſi ſummopere offendant pios ſuorum animos, iisque temere timorem injiciant, ne forte tota Lutherana fides non tam Dei quam hominum auctoritati tribuendum ſit? Sin adfirment quæſtionem: Cur igitur adeo blaſphemam & execrandam hanc noſtram fidem, quam eandem*

dem esse cum prioris (f. priori) *Lutheri fide largiuntur, calumniantur, ut negent Spiritui Sancto in iis esse locum posse, qui ita blaspheme in fidei & salutis fundamento errent.* Nemo nostrum est, qui dicat neminem salvari posse, qui cum ejusmodi erroribus in se licet gravissimis conflictetur, periculosissimum eorum esse statum confitemur, qui moniti sæpius de erroris atrocitate pervicaciter perseverant, *damnare* quemquam non nostrum, sed DEI Judicis est. Vin scire quid Pontificiis respondeamus, qui sub initia reformationis agnitam supremam potestatem Pontificis à Luthero, neque adeo gravem esse oportere doctrinam ajunt, quæ aliquando ipsius Reformatoris fuerit, aut si tam atrox sit, non potuisse tum à Spiritu S. rectum fuisse Lutherum. Hoc respondemus; non omnes errores à Spiritu S. uno quasi impetu tolluntur, graves, ut ad cor non penetrent, primo clementer prohibet, tum subinde majori lumine animum collustrat, hoc in se factum esse & ipse b. Lutherus deinde agnovit, & nos observamus. Idem tibi Vite! responsum crede!

§. 290. *Inepte ridiculum est tueri, Lutherum à Pontificiis habuisse quod tanta contentione ipsi Pontificii abominantur.* Sic Vitus noster p. 160. demonstraturus falsum esse, quod celeberrimi viri dixere: Lutherus habe in den Augustiner-Clöstern die harte Lehre eingesogen. Sed Thomæ Aqui-

Aquinatis discipulos & Augustinianos, hodie etiam Mich. Baji & Cornel. Jansenii sectatores, quis temere negabit esse Pontificios? His alios Pontificios acriter adversari, verum quidem est, sed observandum, nunquam in papatu concordiam regnasse. Ridebunt fortasse alii, quod potuerit Vito *ridiculum* videri, adhæsisse Luthero errores istos prædestinatianismi ex usu Pontificiorum, nempe Thomistarum, nam rerum peritis hic nihil est dubii. Fischerum Roffensem episcopum & infinitos alios Lutheri ætate contraria illis, quæ Thomæ visa sunt, tuitos esse frustra Vitus ostendit, nam nemo dubitat. Obiter moneo Roffensis hujus non indoctum librum, quem ex edit. 1525. Col. Vitus laudat, ibidem anno præcedente etiam 1524. editum, ita ut paginarum ordo paullulum discrepet; antiquiore hac editione ego utor. Ex hoc libro notaveram pluscula, unde eum in eodem, quo Erasmus Semi-Pelagianorum luto hæsisse, ostenderem, sed cum viderem fructu carere, nec necessariam esse operam, abjeci consilium ea loca describendi.

§. 291. Pag. 172. Redit denuo ad Cyprianum nostrum Vitus, his verbis: *Ergo doctissimus Cyprianus adfirmare non potest recantatas à Luthero duras illas sententias esse, quin simul tueatur, Lutherum libellum de S. A. retractasse.* Immo vero posse, demonstravi §. 130. Pag. 174.

ca-

calumniatum esse Cyprianum exemplis conatur evincere Vitus infelicissime. Utinam liceret non suffragari hic venerando Cypriano. Sed, cum convicia à me sint alienissima, probo tamen omnia, doctrinam Supralapsariam *detestabilem* esse credo convictusque sum, ut soleo esse de rebus clarissimis. Itaque si dicere non licet, quæ sentio, *libertas religiosa pace quæsita* periit. Si licet, ut sane licet, doce me mitiora vocabula, quibus, id quod toto pectore *abominor*, rejicere possim, utar sane quam potero mitissimis, sed idem Cyprianus fecit. Pag. 176. 177. accensæ Vitus non fortiter imperat iræ; e. g. *ita execrabiles*, inquit, *hæ Cypriani calumniæ sunt, quas aut ipse impudentissime effundit, aut ab aliis profectas stolidissime probat laudatque, ut ne calumniæ quidem ipsi liceat gravioribus calumniis uti.* Calumniarum mi Vite! nulla specie argui potest doctissimus Cyprianus, nam calumniarum reus est, *qui falso fictoque crimine alterum infamare studet.* Esset reus Cyprianus, si unquam cuiquam Vestratium imputasset, quod is se sentire negat; si perhiberet dixisse scripsisseque vos, quod non dixissetis scripsissetisve; Quorum cum vir optimus nihil fecerit, tu potius Stephane Vite! incredibili confidentia, & in *Apologia* tua & in *Vindiciis* Cyprianum sentire ajas, quæ is se negat sentire, scripsisse ajas, quorum is literulam nullam scripsit: Res est indignissima Te calumnias Cypriano exprobrare; contra im-

mortali

mortali laude digna eſt modeſtia ſummi viri, qua nihil dixit contra, tacuit & cauſſam commendavit DEO. Ad me quod attinet, mentem tibi bonam precor Vite! ſed fortaſſe *conviciatus* eſt Cyprianus, cum graviter Veſtratium doctrinam *horribilem*, execrabilem, &c. item *venenum*, &c. appellat? Verum, tam non eſt conviciatus, quam non convicietur medicus, qui vulnus Regi inflictum, ſive id prudens ſive imprudens inflixerit, item venenum, ſive caſu ſive conſilio hauſtum, *horribile, atrox, peſtem* &c. vocaverit. Doce nos, mi Vite! vocabula, quibus rem, à qua toto pectore averſi ſumus, quam mitiſſime appellemus; iis utemur, cum de doctrina Supralapſariorum verba facienda erunt. Mirabilis eſt quæſtio ſæpius repetita p. 177. *an Lutheranis placiturum ſit, ſi ipſe,* Vitus, *talia de noſtra fide diceret,* e. g. *ſi in venenis peſſimis habendam perhiberet.* Quaſi pepercisſes aut nobis aut fidei noſtræ. Sed hæc quidem Vite! ſi *venenum* dixeris doctrinam noſtram, proteſtatus te ita credere: non foret *convicium*, ſed *falſum*. Noſtrumque eſt, quod & abunde fecimus, congruere, quæ docemus, cum verbo DEI, demonſtrare. Placet huc deſcribere Megalandri verba è libro 1527. edito: Daß die Worte, das iſt mein Leib, noch feſt ſtehen. lit. b. 2. Und will ſie gar freundlich gebehten haben, wollten nicht drum zürnen, daß ich ihre Lehre verdamme und dem Teuffel zuſchreibe, ich

ich kans nicht anders machen noch nennen, denn wie ichs im Hertzen glaube. Paullo post: Zudem weil wir gottlosen Unchristen und Ungedultigen, von solchen heiligen mässigen Lehrern müssen leiden, daß sie uns abgöttisch lästern, und heissen unsern GOtt den gebaken GOtt, den freßlichen und saufflichen Gott, den brödtern Gott, den weinern Gott, und uns die verleukte Christen und dergleichen, so durchaus giftige Teuffelische Schmach und Lästerung das über alle Maaß ist. Denn es möcht einer lieber voller Teuffel gescholten werden, denn daß er sollt einen gebaken Gott haben, und wir über solchem Leiden dennoch nicht müssen gedultig oder mässig gerühmet werden. Unsere Diener Christi werden damit nicht geschmäht, und unserm Volk wird damit kein Ergerniß gegeben. Es muß eitel Lob und Besserung, Lust und Freude heissen, wie sie uns lästern. Aber, wann man sie nur krumm ansiehet, oder ihnen nicht zufällt, O da ist Christus Ehre gehindert, die Diener Christi geschändet, die gantze Welt geärgert, da ist Leiden, da ist Gedult, da sind alle Märtyrer-Cronen auf einen Hauffen. Und wo sie nicht öffentlich gescholten werden, da martern sie etwan ein Wort ohngefehr geschrieben, und klauben eine Klage heraus über ihr Leiden, wie man eine Sache von einem Zaun bricht, wie denn Oecolampadius thut wieder den Pirkheimer zu Nürnberg, (lector pro Oecolampadio Vitum, pro Pirkheimero, Cyprianum vel Lœscherum cogitet) auf daß Sie ja ihre Gedult zu rühmen haben, daß man schier nicht mit ihnen reden darff, Sie

machen ein Heulen und Klagen daraus, ohne Zweiffel für grosser Gedult und Heiligkeit. Paullo post: Doch wir wollen gerne das Keericht und Schabab seyn, auf daß sie herrschen, allein daß uns frey bleibe, unsern Glauben zu bekennen, und was unsers Glaubens nicht ist, zu meiden und verdammen.

§. 292. Pag. 182. Vitus meus æstu immodico abreptus, eos omnes qui dixerint, cum Habercornio & Schmidio Lutherum de S. A. non fuisse Supralapsarium, aut *ineptissimos*, aut *stupidissimos*, quæ quidem duo vocabula mihi tantumdem valent, aut *impudentissimos* & *nebulones*, qua est modestia, prædicat. Mihi cum non sit volupe dura conditione Viti uti, pergendum esse video. Ceterum, quocunque me loco habeat Vitus, parum solicitus sum, ipsum in illis ego censeo, qui librum de S. A. non intelligunt. P. 184. opera sua abutitur Vitus, ad demonstrandum non cecinisse palinodiam libri de S. A. Lutherum. P. 187. autem commisit aliquid Vitus, cujus merito eum pudere oportet. Recitabo verba: *Quando itaque insulsus homo, cum autoribus* **der fortgesezten Sammlungen von alten und neuen Theologischen Sachen** *an.* 1726. *p.* 811. *negat, Lutheri libellum de S. A. ad eos in specie pertinere, de quibus citato loco Theander loquatur, turpem & supinam suam in his rebus ignorantiam ridicule prodit.* Ubi suam profiteri decuisset, accusat aliorum ignorantiam & vocat *insulsos.* Heu pudor! Res ita se habet. Vitus Apolog. p. 226. lau-

laudavit verba Lutheri ex ejus confessione fidei, confessioni majori de S. cœna subjuncta, & an. 1528. edita, quibus ad libellos suos, proximis annis 4. vel 5. editos, se recipit, lectoremque jubet plenius de sua fide ex illis cognoscere. Sed ubi extent hæc verba Vitus ipse tum certissime nescivit, allegavit enim, nescio cujus autoris fide, *Tom. III. Witeberg. p.* 558. & recitat verba Germanica, sed ibi neutiquam legenda. In Vindic. vero fatetur, postquam nempe errorem, quem tamen dissimulat, agnovit, extare verba laudata *Tom. II. Witeberg. p.* 247. *&* *Tomo III. Jenens. German. p.* 533. Itaque, cum nec invenerint vel adversarius Viti Jenensis, vel doctissimi autores der fortgesetzten Sammlung, locum à Viro laudatum, nec ibi, quo ipsos Vitus remiserat, invenire potuerint, quid mirum, quod putarint, esse aliqua verba Lutheri, quæ non multo ante beatam ἀνάλυσιν scripserit, ita extat kurtze Bekänntniß vom Sacrament an. 1544. tom. VIII. Jenens. Germ. quamquam satius fortasse fuisset, si autores der fortgesetzten Sammlung Vitum falsæ alligationis monuissent. Jam vero mi Vite! quid in ista confessione sua b. Lutherus in libris proxime editis ulterius explicatum ait? num phrases horridiores, *de necessitate rerum omnium, de præscientia non contingente*, & similes? altum silentium. Liberum arbitrium vero in spiritualibus fortiter & constanter rejicit, non minori zelo, quam

in libro de S. A. ante annos fere tres rejecerat. Eadem vero gravissima confessione tam luculenta sunt de gratia & redemtione Christi testimonia, quam de erroribus Reformatorum nulla. Recitabo loca duo ex ipsa prima & genuina editione, qua utor F. 3. fac. 1. Ich bekenne und weiß aus der Schrifft zu beweisen, daß alle Menschen von einem Menschen Adam kommen sind, und von demselben durch die Geburt mit sich bringen und erben den Fall, Schuld und Sünde, die derselbige Adam im Paradies durch des Teuffels Boßheit begangen hat, und also samt ihm allzumahl in Sünden gebohren leben und sterben, und des ewigen Todes schuldig seyn müssen, wo nicht JEsus Christus uns zu Hülff kommen wäre, und solche Schuld und Sünde als ein unschuldiges Lämmlin auf sich genommen hätte. NB. Solche, i. e. eandem culpam, quam multis verbis dixerat universalem, Christum sustinuisse dicit. Porro quid vocula uns voluit Lutherus? certissime eos omnes, è quorum numero se & lectorem non vult exclusos, h. e. omnes mortales. Lit. G. f. 1. Das sind die drey Person und ein GOtt, der sich uns allen selbs gantz und gar gegeben hat, mit allem das er ist und hat. Der Vater giebt sich uns mit Himmel und Erden, samt allen Creaturen, daß sie dienen und nütze seyn müssen, aber solche Gabe ist durch Adams Fall verfinstert und unnütze worden. Darum hat darnach sich selbs auch uns gegeben, alle sein Werk, Leiden, Weißheit und Gerechtigkeit geschenkt, und uns den

Vater

Vater versühnet, damit wir wieder lebendig und gerecht, auch den Vater mit seinen Gaben erkennen und haben möchten. Weil aber solche Gnade niemand nütze wäre, wo sie so heimlich verborgen bliebe, und zu uns nicht kommen könte, so kommt der H. Geist, und giebt sich auch uns gantz und gar, der lehret uns solche Wohlthat Christi uns erzeigt erkennen, hilfft sie empfahen (mirum ni videatur Vito Lutherus Semipelagianus) und behalten, nützlich brauchen und austheilen, mehren und fodern 2c. *Dari in suo genere sancta opera irregenitorum*, quam sententiam ignarissimus harum rerum Vitus in Museo & Buddeo acerrime Semipelagianismi damnavit, hic expressis verbis Lutherus docet: lit. F. p. ult. Es mögen auch Gottlose wohl viel heiliges Dings haben, sind aber drum nicht selig drinn. Sed & gratiam resistibilem non uno loco hujus confessionis docuit, quæ, ne nimis fusus sim, omitto.

§. 293. Vitus, p. 191. ut certum exploratumque ponit: *Qui vere alium amat, eum vel invitum reluctantemque reddit beatissimum. Ex quo consequitur Lutheranam fidem de præscientia divina divinæ bonitati tam iniquam esse &c.* Quis vero externorum ac Christianorum autorum, qui de amore scripserunt, talia docuit Vite! Itane amor non est verus, qui aliquando justis de caussis desinit? Non amavit dominus vineam, ut in parabola est Jes. V. quia vastavit sterilem? Contraria docet v. 3. ubi ipsos homines, ex sua, quam ratio ipsis suggerit, amoris

ris idea, judices appellat, an amplius aliquid à vero amore jure postulari queat? Porro ipse videris ignorare, quid Tibi velis? Invitum beatissimum facere, est non facere beatissimum, neque enim beatus est, qui aversatur nec amoliri potest, quæ accidunt, quod ipse de beatitudine Dei contra nos disputans frequenter dixisti, sed tum quidem infeliciter, quia Deus absoluta potestate posset quidem, sed non vult malum sibi displicens tollere; fortasse hoc vis; amorem verum postulare, ut, si possis, mutes, vel vi adhibita, mentem, ut ex invito volens fiat, deinde jam non invitum amplius sed volentem reddas beatissimum. Sed hoc ipso duabus rationibus contra rationem ipsam pugnas. 1) tuum putas arbitrari, quod summum sit beneficium? quibus modis majus beneficium homini tribuatur, permissa an negata libertate? Sed hoc judicium arbitriumve sapientiæ non nostræ sed divinæ est. 2) sine ratione omnia illa beneficia negas esse beneficia, quæ non sint summum beneficium. Jam Samaritanus in hominem semivivum non amplius dicendus erit beneficus, nisi, quod non legimus factum, postquam sanitati restitutus esset, etiam aluit. Neque amoris erit, egeno homini viaticum dedisse, unde ali possit, dum aliud accipiendi occasionem nactus sit; necesse erit scutatum quem habeo dare, quia dare possim; & si centum scutatos habeam,

necesse

necesse erit centum dare. Simile de parente, qui leges habet, huc non pertinere, jam dictum.

§. 294. Pag. 194. Consequentiam necessariam ait Vitus: *Si Deus præscivit te tua culpa miserrimum futurum, nisi perfectiorem condiderit, te non amat sed oderat — agnoscunt hanc consequentiam sapientiores Lutherani.* De falsissima consequentia jam non dicam, dixi abunde: Quinam vero sodes, *sapientiores*, quos prædicas, *Lutherani?* De Buddei verbis nihil dictis addo; præterea festinato jam opus. p. 202. Ita Vitus: *Quam me male versatum in Lutheranorum libris oportet!* Quando ita vis, ô bone! concedam. p. 205. *Cum enim illius*, censoris Jenensis *fuisset*, *conciliavisse hæc illustrissima loca Formulæ Conc. cum perjura Lutheranorum hodiernorum fide* &c. Quinam sunt illi perjuri Lutherani, qui Formulæ contraria doceant? Buddeum quidem & Cyprianum vindicavi, sed & formulam sibi præclare constare docui, nec jam repeto. p. 207. supra modum æstuat Vitus, ut plane, quid dicat, ignoret. En specimen! Demonstraturus Formulam & *Hunnianos*, ut nos appellat, sibi mutuo contradicere, hoc modo exclamat: *Intelligisne hic* (F. C. p. 804.) *solos electos, quorum scil. nomina scripta sint in libro vitæ, salvari? nescis vero ex Hunniana fide neminem reprobum non potuisse salvari.* Quasi vero hæc se mutuo tollerent? Actu salvantur soli electi, neque poteris quemquam illorum, quos mirabili & ignorantiæ tuæ debito vocabulo,

Hunnianos appellas, reperire, qui aliud dixerit, Sed tædet plura dicere. Tota p. 208. continuatur calor immodicus. p. 209. pacem conflatam ait, modo probemus F. C. verba, pag. 812. quasi quisquam nostratium non probet. Mihi hoc ingenium non placet, quod levissimis rationibus ad arma conclamet, & pacem ebuccinet. Major inesse gravitas pacis conciliatori debet. Ceterum de *mediorùm usu* supra, ut de tota re, satis expositum est.

§. 295. Pag. 212. *Tota autem Pseudo-Lutherana fides in hoc uno cardine versatur, quod velint hominem non ut lapidem & truncum se habere, in sui conversione, quia tantum possit præparando, media adhibendo, non resistendo, ut præ aliis regeneretur.* Belle; ergo, mi Vite! ubi inveneris, qui talia docent, eos tecum vocabimus *Pseudo-Lutheranos*, nos vero, qui negamus, hominem suis viribus aliquid posse, *se præparando* &c. fac tandem missos! Eadem pag. ex animi sententia loquitur Vitus meus, neque adeo *calumniatoris larva* esse vult, quod sæpe dixit, sed *calumniator.* Sic ait: *Quando vero tam acerbe cum tantis Theologis ago*, (Buddeum proxime exagitaverat) *id inde est, quia hostis hostibus esse licet, quos eosdem* (f. eodem) *armorum genere repellere omnes & divinæ* (fortasse 1. Cor. IV, 12.) *& humanæ leges permittunt*, (sed ubi titulus Vindiciarum tuarum manet; *ad pacis inter Protestantes commmendationem?*) *quo ipsi aggressores utuntur. Me nostrosque omnes alios sentient,*

si

si ita nos tractarint, quemadmodum à nobis tractari volunt. Pag 213. *doctissimum Cyprianum*, denuo, *in pessimis veri nominis calumniatoribus censendum*, ait. Ibid. *meum me gladium in Lutheranæ & fidei & calumniarum silicibus petulantium studiosorum instar masculè jactasse & exercuisse fateor.* Fatemur & nos, si voculam *masculè* demseris. Quis enim dicet *masculè* agere petulantes homines? cum quibus non Ego Vitum, sed ipse Vitus se comparat. Numquam enim hoc vocabulo, quod pro convicio habeo, ego quidem utar. Displicet, ut quod maxime, clarissimum Jenensium professorem, à quo nulla tibi unquam profecta injuria est, & qui hujus censuræ libri tui, quod dies docuit, nullam partem habebat, quamquam nec verus autor mihi cognitus est, majusculis literis p. 216. peti acerbissimè.

§. 296. Pag. 219. ponit Vitus confidenter, *nos in tali mundo* vivere, in quo DEUS non omnes redemtum iri præviderit. Sed hoc ponere per adversarium ejus non licebit. Pag. 220. ponit, *DEUM in operibus suis externis nullum alium finem proponere sibi posse, nisi se ipsum. De ultimo fine* facile concedet adversarius, sed *intermedii fines* sunt tamen *fines*. Cur non sit finis, puta intermedius, creationis, ut res creatæ voluptatem percipiant, non video. Pag. 220. pariter ponit, DEUM omnia possibilia in suis *combinationibus* prævidisse. Addo & ea prævidisse quæ nullam habent necessa-

riam combinationem. Nam talia dari & posse dari, monitum supra est. Pag. 221. fingit sibi Vitus decretum divinum, idque ait virtutibus divinis esse dignissimum. Quid? si adversarius dixerit esse indignissimum? Unde vero probas hoc, quod tibi placet, decretum esse DEO dignissimum? Hanc reddis rationem, *quia unum est & simplicissimum.* Sed, si illud unum est & simplicissimum, quo *paucos redemtos* DEUS complexus esse perhibetur, num minus *unum* & *simplex* est, si *omnes* complexum dicatur tanquam *redemtos*? Ego quidem non video. Porro dicis, tuum, quod fingis decretum esse *amplissimum*, ac omnia etiam minima in minimis circumstantiis complecti. Neque vero minus amplum erit, si dicatur omnes ut redemtos complexum. Denique tuum *liberrimum* dicis, sed est sane & nostrum.

§. 297. Ead. pag. 222. novæ Philosophiæ Leibnitianæ patrocinaturus noster: *Qui contrà*, inquit, *insulsam illam divinæ voluntatis indifferentiam statuunt, perfectissimam DEI sapientiam in cæcum quendam omnisque consilii expertem impetum ineptè convertunt, summamque rationem sine ratione hunc mundum reliquis infinitis possibilibus prætulisse, imprudentissime tuentur.* Generi humano videtur bellum indici, adeo pauci fuere, qui unquam hic cum Vito sensere, qui libertatis naturam in indifferentia vel non agendi, vel agendi, vel hoc agendi vel aliud,

non

non quæsiverint. Ita nata nobiscum ita adulta est libertatis notio, ut nemo liber omni ratione dicatur, quin possit alia ab iis, quæ facit, facere, si quando ipsi allubuerit. Ipse *Calvinus Instit. I.* 15. 8. *Potuit igitur Adam stare, si vellet, quando nonnisi propria voluntate cecidit, sed, quia in utramque partem flexibilis erat ejus voluntas, nec data erat ad perseverandum constantia, ideo tam facile prolapsus est. Libera tamen fuit electio boni & mali.* Itaque nulla mancipia *libertate* prædita apud humaniores gentes unquam habita sunt, non quod nemo in tot millenis esset, qui *sponte* serviret, sed, quodsi vellet non parere hero, suo animo obsequi non posset. Quo quisque magis pluribusve in negotiis vel externæ potestati vel internæ necessitati esset obnoxius, eo minus censebatur libertatis habere. Hinc & veteres æque ac hodierni Theologi libertatem homini, prout à parentibus suis nascitur, in spiritualibus, rectè negarunt, quem quidem spontè agere, hoc est suarum actionum esse autorem, neque à quoquam cogi, omnes norunt, ideo vero negarunt, quod nequeat pravis sibique connatis cupiditatibus in tantum obsistere, ut non peccet. Ut ante lapsum ita liber fuit homo, ut & posset peccare, si vellet, & non peccare, utrumvis etiam posset velle: Ita cum nonnisi alterum hodie possit, nempe peccare, quantumvis hoc spontè & cupidè faciat, libertate tamen voca-

tur

tur destitutus. Quoties de DEO vel incipimus cogitare, observatur nobis Ens liberrimum, eaque libertate, quam in nobis partim esse partim desiderari sentimus, perfectissimè præditum. Ita DEUS non habendus est, qui, cum consilium cepit creandi aliquid extra se, non potuerit idem consilium non capere, aliudve capere; qui, cum elegit populum Israëliticum, ita eligendi aliqua interna necessitate fuerit constrictus, ut fieri non potuerit, ut vel nullum, vel alium eodem modo eligeret. Gravissimè hanc notionem libertatis Buddeus Theol. dogmat. p. 236. exposuit vindicavitque, postquam p. 235. hanc libertatem *cumprimis in indifferentia ad opposita* consistere & *planiorem nullam ad Atheismum viam esse, quam si DEUS libertate*, quam descripsisset, *spolietur*, sapientissimè docuerat. Itaque convicio tuo Vite! qui mihi nec tantus es vel Philosophus vel Theologus, ut autoritate quemquam urgere possis, plane nihil agis, cum *insulsam* vocas hanc *indifferentiam*. Quomodo autem probabis hac indifferentia sapientiæ divinæ offici, atque, ut audacter perhibes, *eam in cæcum impetum ineptè converti*? Estne in philosophica tua penu vel umbra aliqua rationis, qua demonstrare possis, non esse sapientissime hunc e. g. Adamum conditum, hanc lunam conditam, ubi simul ponamus, potuisse conditorem velle, ut vel non condatur iste Adamus, ista luna, vel condatur

tur aliter? Sapientiam DEI intelligo summam virtutem esse dispiciendi, ut obtineat, quæ liberrimè vult, omnia. Ceterum, qua ratione quibusve modis fine suo ubique potiatur, homunculorum non est disceptare, quibus sapientiæ tenuis umbra obtigit ab illo sapientissimo Numine. Tantum vero est, ut Leibnitiana philosophia consulatur sapientiæ divinæ, ut certissimè destruatur, nam, cum nonnisi optimo mundo creando finem suum obtinere DEUS possit, porro præter unum nullus mundus optimus in ideis mundorum possibilium esse queat, quæ omnia ita Philosophi nostri ponunt; adeo ad uniformem agendi rationem adstricta est illa, quam tuituri videntur, Sapientia, ut necessitati longe sit quam Sapientiæ similior. Hæc vero est digna Deo Sapientia, qua & infinitis viis gloriam suam tueri norit, & eas quoque, quas homines angeliques minore Sapientia collustrati minime idoneas putassent, vias, idoneas facere; Ita, quæ de populo Israelitico Deus decreverat, Josephi in Egyptum descensu & quæ deinde secuta sunt, ita sapienter effecit, ut, postquam factum legimus, aliquantisper assequi, sed, si nondum factum esset, ne hariolari quidem possemus. At, si, cum hac via Deus sanctissime uti voluerit, non fuisse in Deo alias vias pariter à Dei sapientia eligibiles, eundem scopum obtinendi ajas, vehemen-

menter destruis cum libertate, cum potentatia, cum ceteris divinis virtutibus ipsam quoque Sapientiam.

§. 298. Audiamus Vitum nostrum porrò sermocinantem; *Summam rationem sine ratione hunc mundum reliquis infinitis possibilibus prætulisse, imprudentissime tuentur.* Ludunt hi Philosophi verbo *possibilis*. *Infinitos* ais *mundos* esse in ideis divinis *possibiles* omnes. In quantum possibiles? ut *cogitari* possint? an, ut existere etiam? Illa prior nihil est, ergo ita possibiles mundos prædicas, ut possint etiam *existere*. Quæro, fierine potest ut existat, quod nec vult Deus, nec potest per sapientiam suam velle? Negabis ut spero, nam qui fieri possit seu existere quod Deus plane nolit existere? oporteret alium esse Deum qui alterum illum nolentem cogat. Porro: Vultne Deus existere istos, quos mihi dixeras, mundos possibiles? Non vult inquis existere. Ceterum potestne velle per Sapientiam, ut existant? Non potest, inquis, nam Sapientia *optimum* eligit, porro cum duo æqualia dari non possint, *optimum* illud *unicum* est; ergo possibiles illi mundi exstistere non possunt. Adeoque utrumque dicendum est, & posse istos mundos existere, quia possibiles appellare placet, & non posse existere, quia eorum existentiam non potest velle Deus. Quam contradictionem, vehementer vereor, ut cum Vitus *meus*, tum quos ipse laudat

Philo-

Philosophorum principes expedire possint. Frustra diceres esse alios mundos *in se* possibiles, quia contradictio nulla sit eos existere, sufficit enim per aliam caussam nempe Sapientiam divinam existere non posse, adeoque nec eligibiles esse. Quis enim dicat Deum in eligendo aliquo mundo ex pluribus eos sibi proposuisse, qui eligi non possent. Melius faciunt Electores Imper German. quorum, qui ecclesiastici sunt, non jurant in formulam omnibus, si contingeret ipsos eligi præscriptam, quod eligibiles non sint. Pone Cæsarem esse eligendum ex eo collegio in quo eligibilis unicus sit, ea nihil minus quam electio est. *Insulsum* me hominem dicere, idem erit, quod se victos fateri, atque utinam si nolint fateri, agnoscant tamen desinantque per se afflictam ecclesiam perniciosa hac philosophia turbare! Denique unde probas Vite! consequi, ut qui Dei libertatatem in differentia ad utrumque oppositum ponit, ideo ajat Deum *sine ratione* hunc mundum creasse? Responderem lubentissime si argumentum mihi objectum viderem, quo miserabilis hæc consecutio, saltem videretur probari posse, at cum nullum sit, nec tollere illud respondendo possum. Ego sapientissimum numen nihil vel agere vel eligere vel permittere sine gravi ratione & scio, nam hoc & ratio docet, & credo scripturæ ajenti, sed tantum mihi non

sumo,

ſumo, ut, quæ ſint iſtæ, quibus Deus ducatur rationes, me perſpicere poſſe credam. Ceterum aliqua, quæ huc pertinent, jam expoſui §. 93. ut paucis omnia dicam, mihi ſic videtur: Ubi unum modo eſt, quod exiſtere poſſit, cetera ſolo verbo poſſibilia, re impoſſibilia, ibi nulla electio, ubi nulla electio, ibi nulla libertas; ubi nulla libertas, ibi nullus Deus. Nam huc tandem Philoſophiam illam tendere mihi compertum eſt. Philoſophos autem, cum ſe perſpicere hanc ſequelam conſtanter negent, aliqui etiam ſapientium divinam in creandis rebus & apposite ad fines ſuos aptandis præclaris libris oſtenderint, neutiquam hujus impietatis arguo. Tametſi enim mihi foris iſtas hypotheſes contuenti facile eſt conſecutiones noxias perſpicere, fieri tamen poteſt, ut illi viri cetera perſpicaces, in quibus iſtæ hypotheſes natæ ſunt, non perſpiciant ſummum periculum. De hominibus nihil dico, philoſophiam hanc deteſtor.

§. 299. Sed impietatis non accuſamur. Ita enim Vitus, p. 222. pergit: *Adde, quod, qui ita ſentiunt, non poſſint non ſanctiſſimum Deum impietatis blaſphemè accuſare, quod cum mundum, in quo nihil futurum fuiſſet mali imprudenter & impie ante poſuerit.* Nefarium bellum ſcripturæ indicit eorum opinio, qui *placere* Deo *malum* dicunt, quod ubique Deus ſanctiſſima aſſeveratione ſibi diſplicere dicit. At ſi philoſopho-

ſophorum placita audis, non poteſt non placere, quod eligitur, porro non poteſt non eligi quod ad mundum optimum conſtituendum pertinet. Iſte porro mundus optimus ita comparatus eſt, ut unice per Sapientiam divinam amandus eligendusque ſit. Ab his, qui talia docent, hem quam indignum eſt impietatis & blaſphemiæ poſtulari, qui libertati divinæ & omnipotentiæ limites poni iſta, quam putant, Sapientia nolunt. Non elegit Deus mundum in quo malum futurum eſſet, ſed elegit mundum in quo vellet bona omnia eſſe, vellet autem non abſoluta, ſed hypothetica, ſeria tamen voluntate, cui ſi obſecutæ res creatæ forent, quod profecto tam potuerunt quam debuerunt facere, & mundus is futurus fuiſſet, qualem Deus voluiſſet, & caruiſſet malo; itaque non ad conſtitutionem mundi optimi malum neceſſarium dicitur ab Apoſtolo, ſed per hominem ſatanæ fraude, h. e. per aliquot res creatas ratione præditas in mundum antea oppido bonum *introductum*, ut adeo non tam bonus amplius eſſet, & à Johanne *in malo cubare* diceretur. At *cur* placuerit Deo *condere*, nam de *electione* ſine ſcripturæ ſuffragio diſputatur, *mundum*, in quem poſſet malum invehi, ſapientiæ divinæ relinquimus, quam ego tam non ſum perſcrutatus, quam ab eadem alieni ſunt, contra quos diſputo.

§. 300. *Immutabile* dicit decretum Dei, quale sibi Vitus finxerat, p. 223. Recte; est & nostrum immutabile. Porro *afficacissimum*; ut sane & nostrum est. Quæ hic de fine, quo secundum nos Deus excidat, recoquuntur, satis sunt disscussa. Tum *Sapientissimum*, ut nil temerè Deo decernenti accidere possit p. 224. Est & nostrum tale Vite! quale tuum esse credis. Eadem pag. Vitus sic ait: *Qui contra eam ineunt divinorum decretorum rationem, ut Deum prius decrevisse dicant, quam quæ ex decreto hoc suo & post decretum futura essent, intellexerit, illi profectò abjectè de divina Sapientia sentiunt.* Ita est, mi Vite! itaque ubi eos homines inveneris, noli impune dimittere. Nos quidem illos non recipimus. p. 225. laudat suum, quod finxit, decretum divinum esse *independentissimum*. Sed & nostrum ω φιλτατε! Quod tu quidem negare conaris his verbis: *Qui vero Deum decrevisse quædam tuentur ex eorum occasione, quæ ab indifferente mentium creatarum arbitrio, non vero ex suo decreto futura intellexerit, independentissimum Deum inepto quodam circulo, & manifesta contradictione in decretis à rebus pendere nugantur, quas à Deo dependentissimas esse non negant.* Noli putare lector! Vitum convicisse nos hujus circuli, nam verbum non addit, ita enim perculsos prostratosque credit Lutheranos, ut fugam meditentur simulac se *ineptos* esse, & *nugari*, è Vito audiverint. Independentiam non tollit

occa-

occasio, ad quam independentissimus sua decreta refert.

§. 301. Pag. 226. Suum decretum *optimum* quoque perhibet Vitus. Qui sic Vite? *Quia, quos in possibili hoc ordine tanquam divini amoris objecta intuetur, eos ita amat, ut ne possint quidem non ex immutabili hoc decreto summam tandem beatitudinem consequi.* Nolo de his jam disputare, sed posuisti in decreto divino, plurimos non redemtos, in æternum abjectos. Estne horum quoque intuitu decretum istud *optimum?* Cur de his taces? At nostrum sane est usque quaque *bonum*, cum nihil à se conditum DEUS non voluerit felix esse. *Justissimum* est tuum, si tibi credimus, decretum; Quid ita? *Quia ex hoc decreto creaturis omnibus ea tribuit, quæ sibi suaque beatitudini sanctissimè debet.* Nemo unquam mortalium, quod sciamus, non credidit *justitiam* virtutem esse, *qua cum aliis agitur.* Vitus unus repertus est, qui credit *ad se ipsum referri.* Justitia, ut vulgo notum, *suum cuique tribuit.* At secundum Vitum nostrum, actio est, qua, quod quisque sibi debet, alteri tribuit. Non exagitabo Viti præcipitantiam, qui ne dixit quidem, quod voluit Nam, ut hic sunt posita verba, DEUS *tribueret*, id quod sibi debet, æternam voluptatem, gloriam, item omnia opera quæ fecit, quæ certe nemini præter se debet, *creaturis.* Sed hoc voluit mirabilis Theologus: Justum est DEI decretum, quia tantum tribuit creaturis, quan-

tum illis tribui ſua poſtulat ſumma beatitudo. Neque vero quidquam eſt, quod DEUS ſæpius in Scriptura Sacra nobis demonſtravit, quam juſtitiæ ſuæ ideam, qua pro rebus ab unoquoque geſtis judicat, *Rom. II.* 5. 6. & promiſſis ſumma ſtat fide, *Ebr. VI.* 10. quam ipſam, nec aliam habemus, juſtitiæ humanæ ideam. Ita vero, ut juſtitiam definit noſter, juſtiſſimus fuit Phocas imperator, qui tantum Mauritio tribuit, quantum ſuam beatitudinem poſtulare credidit, & juſtiſſimi mortalium ſunt homicidæ & prædones qui tribuerunt alteri, quantum putarunt ex uſu ſibi eſſe. Certe ſi quis hæc Vito oppoſuerit nihil idonei regerere poteſt. Alii ſic dixiſſent Vite! Juſtum eſt decretum, quia tantum tribuit creaturis quantum debet, at, cum nihil debeat, ſi nihil tribuerit, non erit injuſtus. Verum Supralapſariis hoc objicitur: Injuſtus ille etiam eſt, qui quibus pœnam non debet, & à quibus nulla in ipſum profecta injuria eſt, punit, & infelices vult, hoc poſtulat idea juſtitiæ ſupra expoſita, §. 41. Infralapſariis non hoc quidem objicitur, nam licuiſſe DEO relinquere homines lapſos, adeoque juſtitiæ eorum non refragari, partem eorum, quos potuiſſet omnes, deſerere non redemtos. Verum hoc eos urget: Promiſſiones gratiæ univerſalis, quas negare nequeunt, non eſſent ſeriæ; ſperare enim & credere juberent, quod minime ſperandum credendumque eſſet, ſi plurimi homines non forent redemti.

§. 302.

§. 302. Concludit hanc disputationem de Decreto, quod ex ingenio suo commentus Vitus est, iis verbis p. 226. quæ referens horresco: *Est etiam cum summa DEI beatitudine conjunctissimum. Quia ex hoc decreto nihil eorum non contingit, quæ ardentissime voluit, nihil vero eorum contingit, à quibus omni modo abhorreat.* Contigitne salus Hierosolymitanorum? non contigit. Nonne voluit DEUS eorum salutem ardentissime? non voluit, si tibi credimus; voluit autem, si *Lucæ c. XIX.* 41. credimus. Continguntne flagitia? Contingunt & contigerant. Abhorretne ab iis omni modo DEUS? non abhorret, si Viti judicio standum est. Abhorret, si Mosi fidem habere malis *Gen. VI.* 6. Noli fucare hæc pessimè à te dicta coloribus in vocibus: *ardentissime* & *omni modo*, latentibus. Nam etsi *absolute* non vult extorquere bonum, nec absoluta potestate impedire malum, nihilo secius, si scripturæ ut par est, reverentes sumus, illa hypothetica voluntas *ardentissima maxime seria, omni modo à peccato abhorrens* est. Ceterum beatitudinem DEI internam non turbari, quicquid foris fiat, quis nescit?

§. 303. Transsilimus, quæ de componenda dissensione inter suos monet Vitus, disceptantes utrum Christus electis, an electi Christo destinati sint? Sine horrore autem nemo facile leget verba p. 227. *Media vero* (ut summam voluptatem perciperet S. S. trinitas) *sunt homi-*

num creatio, permissio lapsus, Christi missio & redemtio. &c Si mali permissio medium est, quo fit, ut DEUS summam voluptatem percipiat, & quidem sapientissime electum medium hoc est optimum, quo melius dari non potest, erit illa permissio etiam necessaria; si necessaria permissio, necessaria etiam in creaturis peccandi voluntas, nam nisi hæc esset, nihil permitti posset; si necessaria peccandi voluntas in rebus à DEO creatis, quales sunt creatæ, unde illa? nisi à conditore, nam quod necessario inest, ipsæ sibi creaturæ conciliare non potuerunt. Nega, si potes hanc consecutionem, faveo enim illi qui neget, & vellem solide negari posse. Ceterum quæ p. 127. 128. de conciliandis variis hypothesibus disputantur, ad me nihil attinent. p. 229. hæc Vitus posuit in constitutione divina: *Huic autem opera*, redemtoris Christi & Spiritus S. sanctificatoris, *locus non erat, nisi in lapsis hominibus, labi autem non poterant, nisi labiles conderentur.* Si ita DEUS omnia constituit, si voluit hæc omnia nexu necessario contineri, non jam *labiles* creandi erant homines, sed, qui non possent non labi. Quodsi enim habuere potestatem *non labendi*, sequitur, si ista essent facultate usi, nullum fuisse locum optimis mediis voluptatem divinam consequendi. Dici non potest, quantum hæc omnia à scriptura & ratione abeant. Voluptas DEI fuisset perfectissima, si omnes creaturæ mansissent integræ, & fuit sane perfectissima,

ſima, nam teſte Moſe, intuitus eſt omnia, & ecce fuere valde bona. Sed cum lapſum, liberum ſanè, neque ulla parte neceſſarium, ut omnia, ab æterno prævideret futurum, decrevit & ea omnia, quæ ad reparandam generis humani ſalutem pertinent, uno quidem & ſimpliciſſimo, ſanctiſſimo, juſtiſſimo, ſapientiſſimo decreto omnia.

§. 304. Pag. 230. 231. Divini conſilii rationem, qualem mente concipiunt Lutherani, Vitus cavillatoriis verbis recitat, ut Lutheranos ſcil. ſuis deridendos poſſet propinare. Quanta hæc indignitas! Num premunt Lutherani ſententiam? Num non ubique potuit inveniri? Eſt noſtra ſententia de decreto divino Form. Concord. p. 802. 803. incipit his verbis: Sic enim D. Paullus hunc articulum in ſcriptis ſuis *tractavit & explicuit, idem fecit Chriſtus in parabola de nuptiis regiis: Quod videlicet DEUS in ſuo conſilio & propoſito decreverit hæc: 1. Ut humanum genus vere redimeretur* &c. De conſilio creandi Geneſin conſule, *Cap. I. 26. Faciamus hominem ad imaginem noſtram*, in meis bibliis (ſed nec in tuis) haud eſt: *Faciamus hominem labilem*, h. e. qui neceſſario labatur, ut § 303. oſtenſum eſt hujus vocis ſenſum eſſe apud Supralapſarios, nam meliorem ſenſum eſſe poſſe vocis *Labilis*, ſcio. Legat lector ipſum decretum, quale Lutheranos ſibi fingere Vitus riſibilibus verbis criminatur, nobis non eſt conſtitutum deſcribere. DEUM inducit ſe-

met alloquentem, velle se sine ratione agere, subito observantem, quæ antea eum fugissent, & similia. Postquam igitur genio suo in re sanctissima & gravissima indulsisset Vitus, p. 232. quasi re præclare gesta, subjicit: *Non puto Lutheranos in hac ex sua fide divinorum decretorum definitione, quod quidem ad caussæ cardinem pertineat, quidquam desideraturos.* Videris mi Vite! *caussæ cardinem in calumniis* ponere; quod si ita sit, nihil sane desideramus, nam calumniarum est affatim. At, si cardo rei in veritate, in eo quod sentiunt Lutherani, quod profitentur & docent, versatur, desideramus quam plurima. Vide lector! quid Colophonis loco huic disputationi imponat Vitus? *Ast moriar profecto ego, si sapiens esse possit, quem non ejusmodi DEI, absit blasphemia dicto! tanto magis puduerit, quo certius est, ne hominem quidem prudentem existimari, qui ita temere prius decernat, quam &c. omnia circumspexerit.* Vereor ut possit à tuo Vite! dicto blasphemia abesse! Ceterum certissime morieris, tum & de calumniis hoc ipso loco & alibi inverecunde factis, coram tribunali divino respondere non poteris, nisi maturé serio te admissi pœniteat. An tu leve esse putas innocentissimam nostram de DEI decreto doctrinam fictis ex ingenio tuo cavillationibus traducere, & quantum in te est, ab agnitione veritatis prohibere homines sanguine Christi redemtos? lege & cum horrore lege *Gal. VI. 7.* Quod superest, etiamsi mihi

mihi judicandi facultatem non sumo de gravissimis Theologis, qui de *Calvinianorum DEO* duris verbis locuti sunt, nolim tamen vel ipse ita loqui, vel cuiquam, ut ita loquatur, autor esse. Nam, quamquam è doctrina Reformatorum sequi, quæ DEO indignissima sunt, ejusque virtutes nobis cum è scriptura tum ex ratione cognitas planissime evertunt, & quidem consecutione certa, legitima, & ferrea, tam certus sum, quam soleo de rebus clarissimis esse. Quamquam maximi discriminis admonendi sunt Reformati placide, at graviter ac serio; tamen 1) parcendum est nomini DEI, quem eundem à Reformatis coli & à nostris, ea satis docent, quæ de eodem DEO bene atque ut vero DEO dignum est, ab ipsis quoque prædicantur. 2) Quæ nos DEO vero indignissima esse credimus & scimus, ea esse indigna eodem illo DEO nostro, Reformati omnes negant; & ut fas est sperare, quamplurimi bona fide negant, h. e. quia præjudiciorum multi recessus dantur, serio arbitrantur ea omnia, quæ nos indigna esse novimus, consistere cum illis posse, quæ de DEO sanctè prædicamus utrinque. 3) Quoniam convicia putant esse Reformati talia dicta de *DEO Calviniano*, nostram autem sententiam clare licet, explicare sine duris his locutionibus: merito iis abstinandum & iræ carnis nostræ nihil indulgendum in scriptis, quibus non contumeliam sed salutem adversariorum,

rum quærimus. Quæ cum ita ſint, Vitus tamen ſumma injuria ad exempla quorundam Noſtratium ſe recipit, qui de DEO Calvinianorum durius ſcripſere. Nam ut prætercam illos in cauſſa bona verſatos, Vitum in peſſima, hoc, inquam ut prætercam, quando utrique parti ſolenne eſt ſuam cauſſam dicere meliorem; Noſtrates nunquam iſta duriuscula dixerunt, niſi vel recitatis vel oſtenſis verbis Reformatorum ſine dolo malo. At Vitus cum DEUM noſtrum talem dicit, cujus ipſum pudeat, non vel publicam noſtram confeſſionem, vel privati ſaltem doctoris ſentiam aut verba profert, ſed opinionem è cerebro ſuo confictam, ſumma confidentia Lutheranis tribuit, & deinde nos quaſi ita ſentientes horribili contumelia afficit. Quæ indignitas non minor illis eſt, quibus primi Chriſtiani ab ethnicorum procaciſſimis ſcriptoribus affecti ſunt.

§. 305. Pag. 233. Scatet falſis. Ita Vitus: *Multiplicia decreta, non numero tantum, ſed ſpecie etiam diverſa, ſimpliciſſime uni divinæ voluntati impie Lutherani tribuunt.* Contrarium Vite! quamquam inops es librorum Lutheranorum, tamen ſcire poteras, itaque è duobus quos habes, oſtendere ſat erit. F. Concord. p. 803. *Univerſa illa de quibus diximus ſub hoc articulo complecti debemus, nec quidquam horum excludendum aut omittendum eſt, quando de propoſito Dei, prædeſtinatione, electione, ordinatione ad vitam æternam*

agitur.

agitur. Vides *unius* decreti seu propositi mentionem fieri, p. 804. *ad hunc modum autem nobis illud arcanum Dei consilium revelatur* &c. B. Buddeus Theol. dogmat. p. 248. *Res autem ipsa docet, quando decreta Deo tribuimus, nos more humano de eo loqui, adeoque quæ in decretis humanis imperfectionem aut infirmitatem vel defectum quendam arguunt, sedulo à Deo esse removenda. Hominum namque ea est conditio, ut cum non semper quid factu optimum sit perspiciant, consultationem de iis, quæ agenda sunt, instituant, rebusque omnibus probe circumspectis, ponderatisque rationum momentis, tum demum, quid facere velint, secum statuunt & decernant. Quod tamen ita capiendum esse, ne quid Deo indignum admittamus, nemo non intelligit.* Paullo post, cum adversus Episcopium & Limborchium quædam monuisset, addit: *Ita enim si decreta divina concipiamus, fieri aliter nequit, quam ut actuum variorum successionem & mutationem, & alia, quæ cum simplicitate Numinis parum conveniunt, ei tribuamus. Eandem vero etiam ob caussam decreta Dei æterna esse asserimus, cum sine mutatione fieri nequeat, ut in Deo aliquid existere incipiat, quod in eo non semper fuit.* Nomine vero *plurali* & nos & ipsos Reformatos uti constat, non quod hæc decreta in se *unum* & *simplicissimum* actum ignoremus, sed, quod nos omnia simul considerare adeoque distincta nobis decreta concipere cogamur. Sic Calvin. Instit. Theol. I. 17. 14. *Nec sacra historia dum Ninevitis remissum narrat, quod jam promulgatum*

gatum fuerat, excidium, & Ezechiæ vitam, denuntiata morte prorogatam, abrogata fuisse Dei decreta, ostendit. Recte *decreta* dicit Calvinus, neque hoc vult, in tempore demum deliberationes se mutuo excipientes in Deo fieri, sed ob duplex objectum, v. c. Ninevitas & Ezechiam, duplex decretum nostro concipiendi modo tribuit.

§. 306. Porro arguit p. 233. Vitus, decretum divinum per nos non posse esse *amplissimum*, nam eximi à nobis liberas actiones mentium creatarum. Sed has adeo non eximimimus, ut debeant res creatæ ipsam hanc libertatem decreto divino, deinde & in ipso exercitio libertatis, decreto, quod eas, salva quidem libertate, mirabili ratione dirigit, obnoxiæ sint. Immo *liberum* esse Dei decretum ex Lutheranorum mente negat. Audiamus ipsa verba: *Cum, quia Deum non sapientissima quadam libertate, sed, nescio quo cæco impetu, hunc potius, quam alium ordinem decrevisse statuunt, tum, quia Deum, non quæ maxime vellet, sed quæ à prævisis hominum indifferenter liberis actionibus, velle invitus cogitur, decernere volunt.* Nolo vero calumniis amplius respondere, facile enim est una pagella tot falsa consarcinare, quibus idoneis testibus diluendis decem paginæ non sufficiant. Sed indignus est Vitus, cujus gratia multum laboretur, lector facile, quid veri falsique criminationibus subsit, videbit. P. 235. *negat Lutheranos decre-*

decretorum divinorum omnipotentiæ locum relinquere, quia Deum ridicule nugemur ea non consequi, quæ ardentissime velit optetque. Neque hæc responsionem merentur. Vid. tamen §. 302. *sapiens* esse decretum secundum Lutheranos negat, dicere enim illos: *Deum ante decretum non intellexisse, non perpendisse omnes circumstantias.* Heu pudor! Tamen Vitus hac disputatione victum à se adversarium suum p. 237. 238. gloriatur. P. 239. iis verbis, quæ repetere me pudet, lacerare pergit Vitus Lutheranos, quod aliqua non consequi Deum docent, quæ ipse, conditionata scil. voluntate, voluit. His quoque abunde responsum. Porro nostra opinione *bonitati divinæ immane quantum derogari, quod quos Deus amet, eos ita infeliciter, cum felicissime posset, amet, ut eorum longe maximam partem ab æterno &c. cruciatibus addixerit.* Itane Vite! Bonitati adversatur dare gratiæ media, quibus homo, etiamsi non utatur, potuisset tamen uti, & servari; contra præclare convenit bonitati, homines sine intuitu peccatorum ad cruciatus destinare, non dato medio ullo, quo possent ab illis cruciatibus liberi esse? de *sanctitate* nihil addo.

§. 307. Pag. 241. *Cum enim ipso Spiritu S. autore summa omnium legum hominibus à Deo latarum his duobus contineatur: Deum ex toto animo omnibusque viribus tuis ama, & proximum tamquam te ipsum. Lutheranorum Deus neque se ipse, uti modo docuimus, amavit, neque homines amavit ut se*

ipsum

ipsum. Si quemquam lectorum esse arbitrarer, qui credat Deum habere legem aliquam amoris ab alio sibi datam, aut requirere amorem, qui in Deo est, ut homines æque ac se amet, responderem mirabili adversario, sed adduci non possum, ut credam, multos esse mortales, qui libera sua mente in eum modum abutantur, quo Vitus fecit. Itaque pergo.

§. 308. *Injustissimum* esse Deum ex nostra opinione, Vitus, ni quid obstet, evicturus est p. 241. Jam redit bono Viro in memoriam, quod paullo ante, ut §. 301. vidimus, ignoraverat, sic ait: *Proprium enim justitiæ est, suum cuique, quod debes, tribuere. Sed neque amorem, quem sibi, neque quem creaturis sua natura debere Lutheranis videtur, Deum præstitisse oportet; si eum ordinem rerum futurarum constituit, in quo ea contingunt, quæ & Deo & creaturis injucundissima & cum summa maximæ harum partis miseria conjunctissima sunt.* Est sane justus Deus, qui quæ non debebat, salutis media, at clementissime promiserat, reapse præstat, misso filio Servatore totius generis humani. Quæ contra *beatitudinem* Dei ex nostra opinione disputat, toties profligata sunt, ut verbum addere tædeat. Denique epilogum audire si placet, p. 242. hic est: *Ut adeo, si in cudendis consequentiis ita versari liceat,* (in falsis non licet) *uti Lutherani solent, nulla fides vel fingi possit, quæ horribilior, execrabilior, magis impia atque blasphema sit,*

ſit, ſi à profana Lutherana fide diſceſſeris. Gigantum enim more ſtolidiſſime impuri Lutherani non cælum tantum oppugnant, ſed, quod illis non licuit, iſti Deum æternæ & ſummæ majeſtatis beatitudinisque ſuæ throno excutiunt. Hem animum pacificum! quot ſpirat charites? Nobis Vite! non ſunt tam mitia poma.

§. 309. Pag. 244. Aliqua occurrunt, quibus nemo temere fidem habebit. E. g. hominem, qui ſua natura non neceſſario exiſtit, qualis exiſtit, tamen *libera*, ſeu *hypothetica neceſſitate exiſtere* ait Vitus. *Cum Deus ab æterno ſapientiſſimo & immutabili conſilio decreverit, hominem aliquando talem producere.* Si quivis alius hæc dixiſſet, nihil mali ſuſpicarer, ſed poſtquam Vitus ſignificavit, ſe cum iis Philoſophis ſtare, qui per ſapientiam divinam, non niſi quod in cujusvis generis poſſibilibus optimum eſt, eligi poſſe docent, vel potius, cum illa omnia reapſe non ſint poſſibilia nec eligibilia, electioni nullum locum concedunt: *hypothetica* illa *neceſſitas* Vito longe aliud eſt, quam aliis. Ceteri intelligunt *conditionem*, quæ & non exiſtere poſſet. Ita hypotheticè neceſſarium fuerat Niniven perdi, poſita in peccatis perſeverantia; ſed conditio hæc & potuit tolli, & in Ninivitis ſublata eſt. Verum illa conditio, qua homo, vel plane non exiſtere vel alius exiſtere potuiſſet, quænam eſt Vito? Sic ait expreſſisſimis verbis: *Homo ita eſt, ut vel plane non eſſe*

per-

potuerit, vel ejus loco omnis alius ex possibilibus hominibus esse potuisset, si divinæ sapientiæ ratio ita tulisset. Sed ista ratio divinæ sapientiæ potuissetne aliud ferre? non potuisset, nam idem Vitus eodem loco dixit: *Naturali & absoluta necessitate solus DEUS existit, & talis est, qualis est,* & hæc quidem rectè dixit. Porro ista æterna & immutabilis sapientia postulatne *unum,* nempe *optimum?* postulat. Itaque illæ sapientiæ divinæ rationes non sunt aliqua conditio, quæ tolli posset, neque faciunt *necessitatem hypotheticam*, quæ vulgo dicitur, sed reapse *absolutam.* Nam ut homo & existeret, & talis existeret sapientiæ divinæ rationes tulere; ut non existeret, vel alius existeret, non tulere. Porro quod sapientiæ divinæ rationes non ferunt, id DEUS velle non potest, quod ipse DEUS velle non potest, id nulla ratione possibile, sed contra *absolute* impossibile est. Neque enim ad *absolutam necessitatem*, & impossibilitatem requiritur, ut foris aliquid sit, quod istam necessitatem ac impossibilitatem imponat, sic nec ipsius DEI existentia absolute esset necessaria. Itaque Clariss. Wolfius Gedancken von GOTT, &c. §. 1023. dixit, quæ consistere nequeunt simul. Ob nun aber GOTT gleich alles, was möglich ist, würcklich machen kan, so thut Er es deswegen doch nicht. Denn weil nichts würcklich wird, als durch die Krafft seines Willens, hingegen Er nichts wollen kan, NB. als was im gantzen Zusammenhang

hang der Dinge betrachtet, das Beste ist, so bringet Er auch nur dieses hervor, und das übrige alles bestehet bloß in seinem Verstande. Velim mihi hanc contradictionem tolli inter *fieri posse aliquo modo*, & *fieri posse nullo modo.* Illa, quæ Celeberr. Wolfius dicit müglich, oportet *aliquo modo* fieri posse, alioqui frustra dicerentur possibilia; sed & eadem *nullo modo* fieri possunt, fieri enim seu würcklich werden non possunt nisi virtute voluntatis divinæ, sed hæc ipsa, quia optima non sunt, DEUS velle non potest, itaque *nullo modo* fieri possunt, h.e. sunt *possibilia* & *impossibilia* simul. Quæ, qui expendit omnia, facile cernit, solum *vocabulum libertatis* & *electionis* hoc modo DEO relinqui, rem auferri. Si quis se putat ea perspicacia præditum, ut expedire hanc philosophiam possit, faveo expedituro, sed vereor, ut quisquam possit. Minime omnium Vitus poterit, qui cum velificari novis philosophis vellet, eadem pag. 244. quam parum in iis versatus sit, ipse dicit; sic ait: *Contingens sive possibile est.* &c. Quis unquam Philosophorum tuorum Vite! hæc duo vocabula pro eodem habuit? sed & statim p. 245. *contingentia à possibilibus*, ut *latius* ab *angustiori* distinguit ipse Vitus, quamquam & hoc invitis Philosophis suis. Porro ridebitur ab his Philosophis Vitus, qui eadem p. 245. hoc modo philosophatur: *Contingentium, i. e. omnium præter DEUM, rerum, tres sunt existendi gradus, primo*

gradu possibiles tantum sunt, secundo, non possibiles tantum, sed futuræ etiam, tertio non futuræ tantum, sed actu etiam existentes. Itane res merè possibiles & nunquam futuræ habent tamen aliquem *gradum existendi? Rerum possibilitatem niti DEI omnipotentia* Vitus ait, sed Philosophi ejus ad *intellectum* referunt divinum.

§. 310. Laudo verba Viti, ead. pag. *Illustrissima est contradictio, absoluta necessitate existere, & ab æterno non extitisse,* modo absolutam ab hypothetica necessitate rectè discrevisset, quod non fecisse Vitum superiori §. vidimus. At hoc mirabile, quod pro Celeberrimo Philosopho suo Wolfio tuendo pugnat, pag. 246. *Nescio quomodo imperiti illius adversarii tantum clamorem tollere potuerint, quod adfirmasse videatur, mundum ab æterno existere potuisse, salva enim sua hypothesi nihil his ne velle quidem aliud potuit, quam mundum ab æterno possibilem fuisse.* Quid salva sua hypothesi, nam an sibi constiterit? alia quæstio est, velle potuerit, omittamus dicere, quando, quid dixerit Celeberr. Wolfius, in aprico est, §. 1075. Gedancken von GOTT, der Welt, &c. Derowegen wenn gleich GOtt die Welt von Ewigkeit hervor gebracht hätte, wie vor diesen Aristoteles behauptet: So wäre Sie doch deßwegen nicht auf eine solche Art ewig, wie GOtt. Denn Sie wäre in einer unendlichen Zeit, hingegen GOtt ist ausser der Zeit, und deßwegen wäre Sie doch ihrer Dauer nach von GOTT unterschieden. Ut his verbis non ait mundum ab æterno

exti-

extitisse, ita palam ait potuisse ab æterno produci, hoc est existere, nam quid oportuisset thesin Aristotelicam de æternitate mundi hactenus defendere, quod non obesset divinæ æternitati? Quin dixisset uno verbo impossibilem esse. Quid multis? In Anmerkungen über die Gedanken von GOtt, der Welt, &c. p. 617. §. 420. fatetur: Den Umstand der Zeit zu weisen, habe ich keine Gründe finden können, und es daher in der ratione prælectionum für schwer ausgegeben. Thomas von Aquin hält es für unmöglich; und bey uns ist dieser Satz, es sey unmöglich zu erweisen, daß GOTT die Welt in der Zeit gemacht, nemlich aus der Vernunfft; vor diesem auch keine Ketzerey gewesen. Porro provocat ad Scheiblerum. Hæc omnia ignoravit Vitus, tamen clamat & doctissimos homines vocat *imperitos*.

§. 311. Pag. 243. philosophatur more suo Vitus: *Nemo mihi facile negaverit, futurum esse, majorem præ se ferre perfectionem, quam tantum esse posse.* Philosophi tui negant Vite! qui *perfectionem* ajunt in *essentia* quærendam, quæ sive existat res, sive non existat, eadem est. Pergit Vitus: Illius vero perfectionis majoris caussa, *quod nondum existit, esse non potest.* Omitto dicere: an futura existentia sit perfectio major; sed quid obstat, hoc, quod nondum extat, extiturum autem est, rei, quæ itidem nondum extat, sed extitura est, caussam esse? Prævidit sane DEUS ab æterno Cainum nondum

dum existentem sed extiturum, caussam cædis Abelis nondum existentis, sed exituræ esse. Piget sane talia docendum esse virum, qui Philosophus videri vult. Audiamus tamen & reliqua! *Uti nihil existere potest, quod antea non erat, nisi à caussa, quæ actu extiterit, ita nihil futurum fieri potest, nisi ea caussa actu existat, per quam quod antea nondum futurum erat futurum esse incipit. Quam nihil à nihilo existere, tam nihil à nihilo futurum fieri potest.* Extitura extiturorum caussas esse posse, modo evicimus. Quis vero te docuit Vite! *posse aliquid incipere futurum esse*, ita ut antea non fuerit futurum? Futurum fuit te scribere Apologiam & Vindicias, sed hoc ipsum non demum futurum esse cœpit ante decennium vel mille annos, vel à mundo condito, sed futurum erat in ideis divinis ab æterno; Et Philosophi sunt, qui hoc ignorant? Sed perge: *Quæ cum mihi videantur omni & limitatione & exceptione longe superiora* (at ceteris videntur ab omni ratione abhorrere) *à sola DEI voluntate futurum esse potest, quicquid futurum est. Ubi enim solus DEUS absoluta necessitate existit; ita si à solo DEO discesseris, nulla alia caussa esse potest, quæ efficiat, ut quod ab æterno possibile tantum erat, id vel futurum sit, vel revera existat.* Tantæ molis erat Supralapsarium condere dogma! Si noluisset Deus creaturas producere liberas, non fuissent illæ futuræ, nec earum liberæ actiones futuræ fuissent; at quia voluit eas aliquando

exi-

existere, & exituræ ipsæ ab æterno fuerant, & actiones ab ipsis producendæ exituræ. Porro, quia voluit DEUS existere creaturas, quæ possent abuti libertate, & præscivit abusuras contra voluntatem DEI jubentem, & futuræ erant istæ abusiones libertatis, & *adeo non à sola DEI voluntate futuræ*, ut planè à DEI voluntate non sint. Quod si hæc non capis Vite! at nos probe capere, nec conjicere hæc sed scire, certus esto. Pag. 248. hæc video: *Quicquid futurum est, id à DEI decreto futurum est.* Si *permissionem* vocare velis decretum, concedo, sed si voluntatem, quæ rem fieri vult, nego & pernego. Ut appareat contradicere Vitum ubique Philosopho suo, placuit Clariss. Wolfii verba adjicere: Gedanken von GOTT, ꝛc. §. 975. So ist der Verstand GOttes die Quelle des Wesens aller Dinge, und sein Verstand ist es, der etwas möglich macht. §. 989. Da nun der Göttliche Verstand die Quelle des Wesens, oder des Möglichen, hingegen der Göttliche Wille die Quelle der Würcklichkeit ist, So kan man sich niemal auf den Willen GOttes beruffen, wann man fraget, wie etwas möglich ist, sondern nur, wann man zu wissen begehret warum etwas würklich ist. Wiewohl man sich auch hier nicht schlechterdings auf den Willen GOttes beruffen kan, indem Er einen Bewegungs-Grund hat, nemlich die grössere Vollkommenheit der Dinge. Uber dieses, arrige aures Vite! da ein Zustand in der Welt aus dem andern kommt, und daher in

besondern Fällen auch ein zureichender Grund von der Würcklichkeit in der Welt selber vorhanden, so kan man sich auf den Willen GOttes niemals beruffen, als, wenn von der gantzen Welt überhaupt die Rede ist. §. 12. möglich ist, was nichts Wiedersprechendes in sich hält. §. 175. Dasjenige ist zufällig, davon das entgegen gesetzte auch seyn kan, oder dem das entgegen gesetzte nicht wiederspricht. Paucis: *Possibile* Philosophis est, *quod potest esse. Contingens*, quod *posset aliter esse.* Sic Wolf. §. 563. So sind auch die Begebenheiten an sich nicht nohtwendig, sondern sowol als die Verknüpffung, in der Sie gegründet, zufällig.

§. 312. Pag. 249. *constare* Vitus ait, *inter nos, omnes & singullas liberas hominum actiones prius futuras fuisse, quam totum hunc mundum conderet Deus.* Bene; sed quomodo hæc congruunt iis, quæ §. præced. vidimus, ubi Vitus aliqua *incipere esse futura* dixit, ego quidem nescio. Ead. pag. sic Vitus pergit: *De eo inter nos quæritur: utrum futuræ hæ liberæ actiones hominum, non modo non absoluta, sed ne hypothetica quidem necessitate & futuræ fuerint & existant, peraganturque? Lutherani non modo nobiscum absolutam necessitatem negant, sed contra nos etiam hypotheticam inficiantur.* Utique *eam necessitatem hypotheticam*, qua dicimus e. g. existere humanum genus, non possumus tribuere liberis actionibus hominum, neque enim, ut genus humanum ideo solum existit, quia Deus existere illud voluit; ita actiones e. g. malæ ideo

ideo (multo minus ob id ſolum) exiſtunt, quia Deus eas exiſtere velit. Ut conditiones, quibus poſitis res eſſe poſſunt, ſunt variæ, ita varia ſunt neceſſitatis hypotheticæ genera. Ita, poſito, hominem eſſe corruptum, neceſſe eſt eum peccare neceſſitate hypothetica; poſito gladio transfigi medium pectus, neceſſe eſt hominem mori. Talem hypotheticam neceſſitatem non negant Lutherani de actionibus liberis hominum. Tu vero Vite! eam vis neceſſitatem hypotheticam liberis hominum actionibus imponere, quæ à voluntate Dei veniat. At cum hæc voluntas Dei æterna & immutabilis ſit, ea eſt conditio in hac neceſſitate hypothetica, quæ abeſſe non poſſet, porro ea neceſſitas, quæ conditione ineluctabili nititur, per omnia abſolutæ neceſſitati æquipollet, quacum libertas conſiſtere nequit. Quicquid ergo Lutherani *abſolutæ neceſſitati* objiciunt, id omne tuæ, quam comminiſceris, *hypotheticæ neceſſitati*, reapſe vero *eidem abſolutæ*, objectum eſſe crede. Neque enim de *vocabulis ſyllabisque*, ſed de re graviſſima diſceptatur.

§. 313. Eſt ſane, bone lector! moleſta disputatio, ſed tædium tamen devorandum, ne non reſponſum ſibi ad omnia eſſe, Vitus criminari poſſit. P. 250. Vitus: *Quod vero*, inquit, *Lutherani contingentiam oppoſitam liberæ & hypotheticæ neceſſitati adſcribant liberis hominum actionibus, quas futuras eſſe largiuntur; à nobis ſto-*

lidissimæ contradictionis summo nostro jure accusantur. (Quale vestrum jus sit ignoro, at hoc scio, optime sibi constare nec contradicere, qui liberas actiones hominum futuras certissime, neque tamen à voluntate divina futuras tuetur.) Pergit Vitus: *Futurum enim solum illud dici potest, quod aliquando non potest non tale esse, quale antea futurum fuerat.* Quis te hoc docuit, ὦ ἀγαθέ; *Futurum* est, ut vox docet, quod erit aliquando, quacunque sit caussa necessaria contingentive futurum. Sed huic petitioni principii manifestissimæ tantum confidis, ut, qua es civilitate morum, *stolidissimos* nos appelles. Eadem pag. *Quod hoc sensu contingenter fit*, nempe, *ut potuisset iisdem positis caussis & circumstantiis omnibus non existere, illud non potest, antequam fit esse futurum.* Repeto, quod supra posui, esse portiones ab hæredibus sex v. c. dispositas, jubetur puerulus tectis oculis dicere, cujus esse velit portionem hanc, quam manu tangit alter à puerulo non visus; pone dicere: *Caji*; Manifestum est eadem facilitate dicere potuisse: *Titii.* Nonne autem futurum fuerat dicere puerulum, *Caji*? quis neget? Ergo futura etiam illa sunt, quæ, cum fiunt, potuissent etiam aliter fieri. Vid. Philosophi tui Clar. Wolfii Gedancken von GOtt &c. §. 570. Es ist möglich daß ich aufstehe, indeme ich sitze 2c. Bene idem Philosophus, qui te minus diligenti & morigero discipulo utitur, §. 578. die Nothwendig-

wendigkeit der Natur oder hypothetica verdienet eigentlich den Namen der Nothwendigkeit nicht, sondern solte nur Gewißheit genennet werden. Vapulat discipulo Cassellano Magister Marpurgensis misere, p. 251. *Si futura contingentia sive impossibilia* (denuo confundit voces) *eo sensu dixeris, quod existimes, ea, quæ futura adfirmes, posse alio modo contingere, cum contingunt, quam quo futura tuebaris, in hominum stolidissimis te esse necesse est.* Ita ovum gallinum. Sed attigi hæc jam supra.

§. 314. Pag. 253. hæc habentur: *Futurarum vero actionum, quas non à Dei decreto, sed à contingenter libero nondum existentium mentium arbitrio suspendunt, cognitionem alii inepte & contra hypothesin suam Deo vindicant, alii falsissimæ suæ hypothesi servituri prudentissime & integerrime negant.* Hi sunt Sociniani, illi Lutherani. Ut vero multum tibi Sociniani debent, quos prudentissimorum & integerrimorum elogio mactas: ita nos *ineptorum* vocem facile ferre nosti. Sed cur *inepte* nos agere censeas, & contra quam hypothesin, fateor me ignorare, itaque nec habeo, quod respondeam.

§. 315. *De scientiæ mediæ historia* diligenter commentatus est B. Buddeus noster, l. c. pag. 228. ex quo autore hortulos suos irrigasse Vitus videtur p. 253. sententiamque suam de scientia media dicit p. 254. putat, vel Deo indignissimam esse, vel cum scientia Dei nanaturali penitus congruere. Nam *res mere*

possibiles ab iis, quæ certa conditione posita futura sunt, differre negat: At, cum has res facile discernat ratio, & non modo possibile fuerit, si mansisset Kegilæ David, ut traderetur Sauli, sed certo futurum; lector arbitrio Viti, cujus mihi in his rebus perspicaciam dari nolim, æquo animo carebit. *Eo uno nomine*, si Vito credimus, *res dicuntur possibiles*, *quod certa quadam posita conditione futuræ sint*. Ceteri vero & ea credent possibilia, quæ contradictionem nullam implicant, etsi nulla sit metuenda sperandave conditio, qua sint eventura. Sapientiam omnem longissime transcendunt, quæ Leibnitio quoque magno sane viro, teste advocato, Vitus noster de Kegilensi historia nobis narrat, mira prorsus & digna, quæ commendentur posteris. Nempe *in alio mundo possibili*, *& si Deus cum eligere præ isto satius duxisset*, *revera futuro*, *& accessio* Saulis *ad urbem Kegilam & proditio* civium *futura fuisset*. *Vide*, *quæ elegantissime hac de re illustris Leibnitius Theodic. P.* 1. §. 42. *disputat*. Tu vero Vite! de alio mundo, quam in quo vivitur & quæsivisse Davidem putas & respondisse Deum? David certe in hoc mundo se proditum iri firmiter credidit, si maneret Kegilæ, de ceteris omnibus mundis parum solicitus. Ohe! quam pulchra res est sapere! Simili de mathematico machinam suam vel factam vel faciendam vel possibilem, vel hæc aliave foris passuram considerante pag. 256.

256. adstruit *scientiam mediam*, quam negaverat antea. In mathematico enim fatetur distingui posse, quia mathematicus ut homo finitæ mentis subinde alia considerare possit, clarius distinctiusque, at in divina cognitione nihil prius nihil posterius, clarius obscuriusve esse. Doleo vicem Viti, qui nondum didicit, cum Lutherani *scientiam mediam* docent, non hoc eos velle, quod in Deo altera cognitio alteri succedat, sed quod idem actus cognoscendi omnia, pro diversitate objectorum distincte ab hominibus considerari possit. Miratur Vitus p. 258. quare Lutherani fratres monstrosum hunc fœtum Jesuitarum adeo facile adoptarint? Quid vero in Te miremur Vite?

§. 316. *Majoris momenti ea controversia inter nos & Lutheranos est &c.* Ita Vitus p. 258. Noli moveri lector! est idem argumentum, quod ad raucedinem tractavimus. Vitus vult *futurum nibil esse posse, quod cum contingit, aliter contingere possit, quam contingit.* Lutherani præscientiam divinam certe cum Celeberrimo Wolfio credunt, & potuisse tamen res aliter fieri, qam sunt futuræ. Crassissimæ nostram sententiam contradictionis in *Apologia* arguit, jam *lucem suæ sententiæ aliquam adferri, sua, & Apologiæ suæ interesse Vitus* credit, neque sane insipienter, nam quæ ibi dixit, nihil lucis habuere. Sed vereor, ne tenebræ hic augeantur. Pag. 259. Sic ait: *Quodsi affirment*

DEUM

DEUM ante quam decerneret, intellexisse, homines, si tales & decernerentur & conderentur, peccaturos: non possunt non tueri aeternum quendam necessariumque nexum inter tales homines & peccatum existere. Non tuemur mi Vite! talem nexum, neque ad omniscientiam divinam ille nexus necessarius est. Quodsi enim DEO placuisset unicam rem condere, quae eo ipso cum ceteris, quae nullae essent, nexum nullum habere posset, intelligeret illam rem unicam, ut existentem: Si mille mundos nullo nexu capulatos voluisset esse, intelligeret illos mille mundos nullo nexu copulatos. Pag. 260. idem apophtegma recurrit: *DEUS ante decretum nosse non potuerat, talem hominem peccaturum, nisi necessarius quidam aeternusque nexus sit inter talem hominem & peccatum.* Quid facias homini in hunc modum philosophanti? pag. 261. *Ex quo consequitur decretum tam futurorum malorum caussam est, quam reliquorum, quae ex decreto suo DEO futura cognovit.* Tam impia haec & plasphema conclusio est, quam falsae fuerant praemissae. Sic non puto quemquam Supralapsariorum maxime Supralapsarium locutum, tametsi eadem sentire omnes negare nolim. Quid audio? *Tam* malorum omnium, e.g. caedis Abelis, *quam* ceterorum, quae ex decreto suo DEUS futura cognovit, e.g. redemtionis Christi, caussa, idem Sanctissimus DEUS est? Hoc scribit, qui nos ad fraternitatem invitat? De *permissionis* decreto, quam vellem ut exponi posset; sed quis *nudam per-*

mis-

missionem dixerit caussam actionum esse? Ceterum observo p. 261. alia esse, quam quæ supra Vito placuerant. e. g. hic ait: *Rerum productio in rebus ipsis nihil mutat, quam quod, quæ primo possibiles, deinde futuræ erant, jam actu existant.* Ubi ille Vitus est, qui, ut §. 311. vidimus, dixerat: *Futurum esse majorem præ se ferre perfectionem, quam tantum esse posse?* Nam si ipsa *productio* nihil addit demitve essentiæ rei, multo minus *futuritio*, si venia vocabulo est, addit aliquid demitve. Sed nec hac ratione temporis sive durationis prius aliquid possibile est, quam futurum, sed potius utrumque & possibile & futurum ab æterno est.

§. 317. Omittimus alia p. 262. maledicta, sed recitandum tamen est durum dilemma: *Lutheranis aut cum Spinozistis æterna & absoluta actionibus omnibus necessitas tribuenda, aut cum Supralapsariis affirmandum, quicquid futurum sit, id à DEI tantum decreto futurum esse, aut cum Manichæis futuræ actiones humanæ diversæ à DEO æternæque caussæ adscribendæ sunt, aut tuendum denique est, aliquid, uti à se futurum, ita etiam à se ipso existere posse.* Conditio non placet Vite! itaque hominem à DEO esse credimus, non à se ipso, malas autem actiones ab homine.

§. 318. De *libertate* expositurus Vitus p. 263. præmittit amplam disputationem, in qua non omnia bene habent. Ita, sanctissimo, quo hic non opus erat, sacramento, asseverat, *se nihil unquam voluisse, quin id vel melius, vel facilius, vel commodius, aut quocunque alio nomine commen-*

mendatius visum fuerit. *Comparativis* vocibus uteris Vite! at cum quibus compares ea, quæ tibi videntur commendatiora? hoc non exponis, & docet sane experientia multa à nobis fieri dicique, non quod nobis videantur *commendatiora* quam alia, cum quibus ne quidem vacabat contendere, sed quod videbantur *bona.* Itaque hoc quidem recte Vitus p. 264. *Toties agendum statui, quoties satius esse arbitrabar voluisse quam non voluisse.* Sed inter ipsas res, quas aliquis potuisset velle, semper quasi delectum institui, aut sapientem non esse, quin ceteris vel specie meliora elegerit, frustra dicitur, cum experientia repugnet, & hocipsum tandem fatetur p. 265. *Si ne hic quidem*, nempe in circumstantiis externis, *quidquam vidi, quod se mihi commendaret, si agendum satius existimavi, quam non agendum, prima quaque optima esse videntur.* Immo sine delectu arripitur aliquid. Sed hæc disputasse fortassis non ita multum intereft. p. 267. 268. laudantur Clerici & Cattenburgii verba, quibus *libertatem* à *spontaneitate* probè distinguendam monent, quod observasse deinde usui erit.

§. 319. Bælii verbis aliisque jugulare conatur opinionem de *libertate* in *indifferentia* consistente. Itaque ait: *Manifestissimæ contradictionis loco esse potest, moveri nostram voluntatem, quamdiu in æquilibrio versetur, quemadmodum neque lances moveri possunt, nisi gravioribus ponderibus impellantur.* Respondeo Clarissimo Vito, quamquam

quam non ſemper agimus majori pondere huc impulſi quam illuc, abſurdum tamen foret negare fieri id ſæpiſſime. Itaque fateor eam indifferentiam ut plurimum, maxime in rebus attentione dignis exulare, qua quis putet tantum eſſe rationum quæ huc, quantum quæ iſtuc trahant. Sed hanc non intelligimus, cum de libertate ſermo eſt, ſed eam facultatem, qua nullo unquam rationum momento ita in hanc partem trahimur, quin poſſimus aliis rationibus locum concedere, ſi quæ eſſent alia ſvadentes. Ita libere, e. g. cum eſurio, carne appoſita veſcor, non quaſi in æquilibrio ſim, ſitne edendum an minus? Tale æquilibrium fames non ſvadet, ſed quoniam aliunde allatis rationibus, ſi eſſent, quæ comeſtionem omittere item, quæ aliud potius quam carnem iſtam comedere ſvaderent, obſequi poſſum. Idque ſemper obtinet, quousque prælucente intellectus judicio de rationum pondere ſententiam ferre, cuique locum concedere ſatius ducamus, obſequi licet. At, ubi non licet, cum per pravas cordis cupiditates, tum per tenebras mentis, rationes ponderare & melioribus obſequi, ut, in ſpiritualibus homini per peccatum originis perdito non licet, ibi libertas exulat. Hac indifferentia tantum abeſt, ut mentem *in cæcam quantam brutamque molem convertamus*, quod ne fiat Vitus p. 272. veretur, ut potius nuſpiam dari iſtam indifferentiam credamus, niſi ubi

ſa-

sapientiæ locus est. Et rectius fecisset Vitus, si non vocasset hanc *indifferentiam insipientissimam*.

§. 320. Quæ habet verba Vitus, pag. 273. partim vera sunt, partim petitio τῦ ἐν ἀρχῇ. *Neque qui peccatis, neque qui virtuti serviunt, aliter velle possunt, atque volunt, licet utrique summa cum libertate agant.* Concedimus eos, qui peccatis serviunt, non posse non peccare, hoc est *libertate contradictionis* carere, quamquam inter mala omnino possint delectum aliquem instituere, quam libertatis aliquam umbram dixeris. Sed eos, qui sceleribus serviunt, *summa libertate agere*; quo consilio contra scripturæ & vulgarem loquendi usum dixerit Vitus, non facile est conjicere. Nisi constet Vitum esse Supralapsarium, Pelagiani hominis diceres hanc vocem esse: *Sceleratissimos summa libertate agere.* Sed virtuti servientes, hoc est, regenitos non posse aliter agere atque volunt, petitio est principii, & si velis Ezechieli potius quam Supralapsariis credere, *Cap. XIIX.* 24. quæ quidem verba minimè obscura sunt, palam falsum.

§. 221. Miratur Vitus doctissimos Viros Museum, Buddeum Pfaffium, simul statuere homines sua natura, quod cognoscunt bonum appetere, quod cognoscunt malum fugere, & positis tamen ad agendum omnibus requisitis posse, si nempe liberi sint, & agere & non agere. Dicit tanden, p. 274.

Ex

Ex his vero, quis ita mente captus esse potest, quin consequi intelligat, aut neminem contradicere ipsum sibi posse, aut nihil esse posse tantorum virorum contradictione illustrius. Si mihi has propositiones conciliarint: homo natura quadam necessitate non potest non quod videtur bonum amare; odisse malum: E: homo potest etiam clarissime & distictissime cognitum bonum aversari, malum amasse, victum me in tota hac caussa fatebor. Supra §. 319. diximus, quid *indifferentia*, quæ libertatis natura est intelligatur? nempe facultas hominis, qua nullis unquam rationibus ad agendũ omittendumque ita determinatur, quin possit aliud velle, aliisque emergentibus rationibus vel solidè vel per fucum ad contrarium allicientibus his locum dare, & quod facturus omissurusque fuerat, non facere, non omittere. Frustra negatur cum hac indifferentia conciliari posse naturam hominis, quæ specie boni ad probandum, specie mali ad aversandum movetur. Cajus famelicus ab amico invitatus positis omnibus ad agendum requisitis comesturus erat; accidunt non sane vehementia quædam e. g. suspicio veneni, quæ abstinere, timere, abire svadeant; sed quod e. g. minus bene tersum esse vasculum hospitis Cajus subito animadvertit, itaque pro libertate sua huic rationi locum concedit, & abstinet edendo; Fac instare hospitem & ad edendum hortari, potest eadem libertate Cajus hortationibus his obsequi & edere.

Adeoque semper quidem intuitu boni vel veri vel putatii agit, intuitu mali veri vel putatii non agit. & manet tamen in ipsius libertate semper novas rationes supervenientes admittere & prout ipsi videtur, vel confirmare priores rationes atque adeo facere, quod facturus antea fuerat, vel repudiare atque adeo non facere, quod facturus antea videbatur. Ceterum altera earum thesium, quas conciliari non posse putat Vitus, vera est; Contradictionem enim implicat: *probare aliquid & non probare eodem intuitu.* At, qui amat rem, ideo amat, quia probat, itaque eodem intuitu non probare, unde odium oritur, non potest. Sed & altera thesis verissima & usu quotidiano suffulta. Homo potest etiam clarissime & distinctissime cognitum bonum aversari, malum amasse, sed non eodem intuitu; nimirum distinctissime cognitum bonum potest vel multo, vel paullo post, aversari, supervenientibus aliis, quæ movent, quibusque potest locum dare e. g. Petrus apostolus distinctissime cognovit, non esse deserendum negandumve Christum. *Joh. VI.* 68. 69. itaque voluit Christum non deserere, non negare; *Matth. XXVI.* 33. sed pro libertate sua deinde cessisse rationibus contrarium svadentibus, & voluisse negare Christum ac reapse negasse, constat. Vide & *Ebr. VI.* 4. 5. 6. Quæ cum ita sint, Vite clarissime! nihil superest, nisi

nisi ut victum te ingenue fatearis & caussa te tota cecidisse ne neges. Ceterum Sapientiæ laudi consulisses melius, mea certe opinione, si non extarent, quæ extant. p. 275. verba: *Vasta lectio, qua summam isti viri nominis celebritatem suo merito consecuti sunt, efficere videtur, ut minus feliciter in iis versentur, quo acumen quoddam ingenii, attentionem, meditationem requirunt.* Erunt Vite optime! qui putabunt acumen in Te futurum fuisse majus, si plura e. g. in scriptura s. & scriptis Lutheranorum legisses.

§. 322. Quam Vitus p. 276. exhibet *libertatis* definitionem, ea non est perfecta: Sic ait: *Omnium itaque consensu ille proprie liber est, qui in actionibus suis non ab alterius sed à suo arbitrio pendet.* Addendum fuit vel verbis, vel certe sensu: arbitrium nec in terra necessitate ad alterutrum adstrictum esse debere, ut e. g. agere quidem possit, non agere vero idem illud, non possit. p. 277. ita Vitus: *Libera nostra voluntas est, quia non vult, nisi quæ ei videantur;* non sufficit mi Vite! ita enim contra communem nostram tuamque adeo professionem homo in spiritualibus dicendus esset *liber*, non vult enim certe, nisi quæ ei videantur, ac cum spiritualiter bona nec videantur ipsi bona, nec possint, dum sibi relictus est, eligi, libertate spirituali carere recte dicitur. Mirum est Vitum adeo sui oblitum, qui cum supra libertatem homini irregenito in spiritualibus accerrime & merito

 abju-

abjudicarit, nunc ultro largitur. Pergit Vitus: *Neque enim externa vi voluntas nostra cogi se, neque cæca quadam fatalique interna necessitate sed iis rationibus, quas intelligere & perspicere sibi videtur, i. e. à se ipsa moveri se sentit.* Nisi ea indifferentia, quam exposui, ponatur, ut possit, qui liber dicitur, rationibus aliis ad contrarium ejus rei, quam adhuc voluit, volendum adduci, non effugies Vite! quin internam necessitatem fatalem asseras, sive tu illam coecam sive oculatam dixeris. Videamus vero si placet, quid libertas sit Celeberrimo Wolfio. Gedancken von GOtt, der Welt &c. §. 518. Wir finden endlich, daß die Seele den Grund ihrer Handlungen, die wir freywillig zu nennen pflegen, in sich hat. Denn die Vorstellungen die sie zu Bewegungs-Gründen brauchet, sind in ihr und kommen von ihr her, und sie neiget sich durch eigene Krafft, gegen die Sache, die ihr gefället, und ziehet sich davon zurücke, wann sie ihr mißfället. Post pauca: Ja so weit nun die Seele den Grund ihrer Handlungen in sich hat, in so weit eignet man ihr eine Willkühr zu, und nennet daher Willkührliches Thun und Lassen, davon der Grund in der Seele zu finden. §. 519. Wenn wir dieses alles zusammen nehmen, so erhellet, daß die Freyheit nichts anders ist, als das Vermögen der Seelen, durch eigene Willkühr aus zweyen gleich möglichen Dingen dasjenige zu wehlen, was ihr am meisten gefället, als ein Buch, welches wir im Buchladen sehen, entweder zu kauffen, oder

den

den Kauff zu unterlassen. Hic habes mi Vite! indifferentiam. Dubiis, si qua habes, itum esse obviam à Wolfio, videre potes §. 521. §. 520. docet Wolfius: Die Vernunfft sey der Grund dieser Freyheit, rationem esse fundamentum libertatis, cum Vitus nobis persvadere velit indifferentiam hanc ponere cœcum impetum. Neque vero pœnituit Cl. Wolfium hujus definitionis, ut potest, si lubet, Vitus condiscere, aus den Anmerckungen über die Gedancken von GOtt &c. nam p. 229. ad §. 216. addit: Weil die Bewegungs-Gründe die Seele nicht nöthigen so ist sie vermöge ihrer Freyheit, NB. Indifferent, etwas zu thun und zu lassen, und muß sich selbst determiniren, wenn eines von beyden würcklich geschehen soll. Daß aber die Bewegungs-Gründe nicht nöthigen, noch die Handlung nothwendig machen, siehet man daher, weil man davon abgehen kan, und sich ändern. Was nothwendig ist, das ist unveränderlich, und hingegen was veränderlich ist, dasselbe ist nicht nothwendig. Vermöge ihrer Natur ist sie zu keinem von beyden determinirt, sondern vielmehr indifferent, das ist, sie kan sich zu einem so wohl determiniren als zu dem andern. lege cætera ad §. 519. Dieser Begriff der Freyheit ist der Erfahrung gemäß, und kommet mit dem überein, was wir nach Anleitung der alten Philosophie von ihr vorher beygebracht. Und also geben wir nichts unmögliches oder bloß etwas eingebildetes vor die Freyheit aus, und sind gewiß, daß was

in der Moral aus diesen Begriff hergeleitet wird, auch sich muß in die Uebung bringen lassen.

§. 323. Paullus Apostolus 1. *Cor. VII.* 37. eum μὴ ἔχειν ἀνάγκην docet, qui habet ἐξουσίαν περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος, h. e. qui voluntatem suam, quo videtur appellere potest, uno verbo, qui liber est. Vitus autem noster p. 277. *Satis*, inquit, *mirari non possum, quomodo sapientissimam & ex Dei decreto pendentem nostrarum actionum necessitatem gratiamque illam irresistibilem toties tantaque fiducia veræ nostræ libertati iniquam infestamque jactare possint?* Quid vero magis adversatur *libertati* quam *necessitas?* supra ead. pag. dixerat Vitus: *Voluntatem nostram sentire se non cogi vi externa nec cœca & fatali interna determinatione & necessitate.* Quæro: utrum necessitas illa, quam Vitus à Sapientia divina derivatam vult; sit externa, an interna? si externa, dic mihi velim quid sit cogi voluntatem, si non sit eo externa vi adduci, ut non possit non velle, quod vult. Si interna; potestne homo istam necessitatem tollere? non potest, adeoque est *fatalis*. Perspicitne ejus necessitatis rationes? non perspicit; nam divinæ sapientiæ, quæ imperscrutabilis est, debetur; ergo *cœca*, quantum ad homines attinet. Callide Vitus ibidem: *Voluntas nostra iis rationibus quas intelligere & perspicere sibi videtur*, i. e. *à se ipsa moveri se sensit.* Quin dicis rotunde mi Vite? Perspicitne & intelligit homo eas rationes qui-

bus

bus se sentit agi? *Videtur sibi*, inquis *intelligere*: Itaque non perspicit. Neque adeo satis est Vito docuisse agi homines necessitate immutabili, sed & hoc addendum fuerat, *videri* sibi miseros mortales à se ipsis moveri, cum nihil minus sit ipsique ab æterna necessitate agantur.

§. 324. Pag. 278. *Ridicule nos ineptire* Vitus, solita humanitate, ait, *qui gratiæ DEI ne tantum quidem tribuamus, quantum naturali humanæque demonstrationi, admittere enim nos extra gratiam, etiam ejusmodi cognitionis demonstrationisque & cum ea conjunctæ emendationis irresistibilitatem, ut non possimus non amare, quæcunque clarè & distinctè bona nostra esse cognoverimus.* Te vero mi Vite! non videmus, sed ita imparatum ad librum theologicum scribendum accessisse dolemus. Ideo scil. gratia resistibilis est, quia homo in hac vita ita comparatus est, ut possit, si velit, rationibus divinæ sententiæ contrariis magis credere, has probare, svasiones divinas & bona à DEO proposita negligere, contemnere, meliora putare carnis apparentia bona; itaque sequitur sane speciem boni, cum repudiat verum bonum. Eadem & sequenti pag. extant verba B Buddei, quibus, si Vito credimus, imprudenter, cum suam vellet, Reformatorum fidem descripsit. Repetamus ea, *Theol. Dogmat. pag. 915. Habet equidem rerum istarum cognitio suos gradus, ut in quibusdam major sit excellentiorque in aliis minor atque*

 tenuior.

tenuior. Semper tamen sufficiens & tanta esse debet, ut accedente adsensu, in voluntate fiducia produci queat, eousque enim si non pertingat, minime salutaris censeri debet. An in his continetur, mi Vite! sententia de irresistibili gratia? Non videtur. Fortè in sequentibus: Sic enim Buddeus pergit *Eo minus autem hac de re dubitandum, quod ipsa ratio quoque nos condocet adfectum aut motum voluntatis excitari non posse, nisi cognitionis praecedentis ea sit ad effectum hunc producendum proportio, ut hinc non possit non consequi. Hoc ideo monendum fuit, ut illis, qui indifferentissimi caussam agunt, eo rectius obviam ire queamus.* Sapientissimè hæc Buddeus contra eos qui voluntatis emendationem sperant, si vel maximè de gravissimis fidei capitibus summa in mente sit vel ignorantia vel perversa opinio, at irresistibilem propterea gratiam esse ne somnians quidem cogitavit. Movere videntur Vitum hæc verba: *Ut hinc*, scil. effectus, *non possit non consequi.* Sed & hæc rectissimè dicta sunt; sequitur homo volendo lumen intellectus sui & non potest non velle, quæ ex usu esse credit, itaque quando è divino lumine agnovit aliquid esse bonum, vult sane idem bonum, neque vel intellectus vel voluntatis emendatio seorsum procedit; sed & illa gratia illustrans intellectum & corrigens voluntatem repudiari ab homine potest. Quod non observasse Vitum, jam desino mirari. Pag. 279. penitus contemto Clar.

Kro-

Kromajero, adversario suo, *tanto apparatu se, quæ hactenus dixisset, congessisse* ait, *Lutheranorum caussa, ut ostenderet, quot quantique momenti rationes Reformatis sint, quibus suam fidem sustineant, & Lutheranos, si fieri possit, vel ab erroribus ad veritatem, vel à belli studiis ad pacem tanto facilius traduceret.* Itaque in conspectum productæ sunt argumentorum tuorum vires, Vite! neque vel triarii saltem post montem in insidiis sunt? O bone, nos quoque idem quærimus, ut levissiimis rationibus abjectis, si fieri possit, ad veritatem accedatis. Quod ut fiat, DEUM veneror. Ceterum, quæ ad commentationem Clariss. Kromajeri pertinent, quam non vidi, lubens meritoque prætereo.

§. 325. Nexus inter caussam & effectum contingens Vito ridetur, p. 279. cumque negat esse nexum. Mirabilis additur ratio: *Quodsi enim ita soluta à se invicem & caussa & effectus sint, ut, æque facile effectus consequi possit, atque non consequi, miraculi plenus iste nexus est, qui res disjungat, cum alii omnes nexus res conjungant.* Studio cavillatur Vitus. Nam quis dicet nexum, tametsi non sit necessarius, disjungere? Pone Cajum in foro Titio alapam infringere, quis neget esse nexum inter Caji pugnum & os Titii, eum vero nexum necessarium esse perhibebitne Vitus? non puto. Dici non potest, quantum commendes adversarium tuum hoc disputandi genere, lector enim facile credit, argumentorum ino-

pia te ad leviſſima hæc deſcendiſſe. Pag. 280. Vitus ſane quam infeliciter, ex eo, quod Diaboli & irregeniti liberi ſint, qui tamen non poſſint non malum præferre bono, colligit *indifferentiam ad utrumque oppoſitorum tam ad libertatis naturam non pertinere, quam quadratum eſſe ad naturam circuli.* &c. Monitum jam plus ſemel eſt, invertendum eſſe hoc argumentum, quia libertas in ſpiritualibus diabolorum & irregenitorum nulla eſt, prout inter nos & Reformatos convenit, ideo quod alterum oppoſitorum, nempe bonum velle non poſſunt; ſequitur ad veram libertatem indifferentiam neceſſariam eſſe.

§. 326. Pag. 281. de nexu neceſſario repetit ſæpe dicta, ſæpe refutata. Nobis, qui & contingentium dari infallibilem ſcientiam tuemur, *cerebrum ait eſſe, tribus Anticyris inſanabile*; heu pudor! Minorem ſyllogiſmi tui Vite! quem p. 282. nectis, negavit Clar. Wolf. Gedancken von GOtt, der Welt, §. 570. idem *certitudinem* cum *neceſſitate* confundendam negat, §. 578. quod tu ad nauſeam facis. Pag. 284. nihil ad me pertinet. Quæ ad p. 285. de neceſſitate hypothetica, de mundo optimo &c. dici poſſent, dicta ſunt dudum. Quod putas novi aliquid eſſe p. 286. *infallibilem DEI ſcientiam contingenti nexu niti*, adeo nihil novi abſurdique eſt, ut ſi vel nullum eſſe rerum nexum, nedum neceſſarium, DEO placuiſſet, non minus infallibilis fuiſſet præſcien-

tia DEI, cum is res singulas non modo in universo aliquo copulatas & intueri queat & intueatur. Fateor, me non lubenter cum homine disceptare, quem talia vel ignorare vel præfractè negare video. Prætereo igitur alia ejusdem paginæ. Pag. 287. millies, inquit, dixi DEI voluntatem & decretum fundamentum esse præscientiæ divinæ. Dixisse te novimus, probare nunquam poteris. Malorum nulla in DEO voluntas est, nullum decretum, nisi permissionis, quod tu non intelligis, itaque neque præsciri quidquam ex ejusmodi decreto, quod nullum est, potuit.

§ 327. Ita argutatur Vitus p. 291. *DEUS nihil præscire potest, aut ex socii alicujus æternique principii decreto*, sed cur non etiam multa ex decreto rerum creatarum, quas cum facultate aliquid decernendi DEUS creaturus erat, & jam actu creavit. Pag. 294. Spinozismi reum agit Vitus, qui dixerit: *DEUM ante decretum cognovisse futurum malum.* Nisi intelligat decretum de condendis creaturis, quæ possent peccare, si vellent, aut certè de decreto permissionis, impropriè sic dicto, plane nullum decretum divinum de malo extat, itaque neque ante neque post tale decretũ, quale non extat, cognovit Deus mala futura. Convicia, quibus p. 293-295. alibique onerat, dicam? an ornat, numerari vix possunt. Modestiores credunt ejus caussam pessimam esse, cui tot conviciis opus sit, ejus optimam, qui sustineat convicia. Ad *bonitatem* requiri, ut

ut aliquis invitum & reluctantem felicem reddat, & dictum temere ac sæpius à Vito, & à me refutatum est. Itaque ad p. 296. nihil observo. Pag. 297. verba sunt erubescenda: *Quod vero labilem libertatem, i. e. eam quam usi primi parentes & peccare poterant & peccabant, DEO ineptissimus autor tribuere videtur, summæ blasphemiæ est.* Quid facias homini, qui sancte putat doceri decrevisse DEUM omnia etiam mala, & blasphemum ait esse, si quis libertatem, qua abusi homines peccarunt, DEO conditori tribuat. Non puto hoc velle Vitum ab adversario suo credi, in ipso DEO esse libertatem, qua labi DEUS posset, nam hoc si voluisset Vitus, non dixisset: *eam, qua usi &c. sed talem, quali usi &c.* At, cum Cl. Kromajeri scripto non utar, bene malene hic scripserit, nescio.

§. 328. Vitus præfervide: p. 297. *DEUM nos oculis corporeis usurpaturos nemo dixerit, nisi cui pro cerebro fungus sit.* Fuere qui affirmarent, gravissimi viri, quorum mihi Vitoque & sapientiam & eruditionem dari velim. Ceterum ego sentio cum B. *Joh. Gerhardo*, quem laudare nemo tantum potest, quantum meretur. Is loco de vita æterna pag. m. 998. multis in utramque sententiam disputatis subjicit: *Rectius igitur hujus quæstionis decisio futuræ experientiæ reservatur, quam odiose ac morose de ea contenditur. Hanc modestiam video placere Augustino epistola ad Fortunatianum.* Quam epistolam

ſtolam cum ipſa modeſtia velim ſibi commendatam Vitus habeat. Quæ ad p.298.299. dicenda eſſent, præcepi ſuprà, neque repetam, cum nihil novi ipſe Cl. Vitus attulerit.

§. 329. At præterire non poſſum verba Viti p. 300. *Reprobare Deus neminem poteſt, quam quem malum intellexerit. Neque Supralapſarii, ſi rem recte perpenderint, Deum adfirmare poſſunt, hominem conſideraſſe, ut innocentem. Innocentem enim reprobari poſſe qui dixerit, eum contradicere ſibi oportet.* Ceterum Calvin. Inſtit. III. 22. 11. ſic ſcripſit; *Ergo ſi non poſſumus rationem aſſignare, cur ſuos miſericordia dignetur, niſi quoniam ita illi placet, neque etiam in aliis reprobandis aliud habebimus, quam ejus voluntatem. Quum enim dicitur Deus vel indurare vel miſericordia proſequi, quem voluerit, eo admonentur homines nihil cauſſæ quærere extra ejus voluntatem.* Similia his ſe dixiſſe Vitus ipſe non negabit, quem adhuc pugnantem vidimus, Deum omnia è decreto ſuo præſciviſſe. Quodſi vero Deus reprobans intellexit homines malos, præceſſiſſe oportet noſtro concipiendi modo decretum, ut eſſent mali & manerent, non ponit jam malos per ſe, quia ſecundum Vitum nihil poni intelligique poteſt niſi ex decreto. Illud ipſum vero decretum: ut homines mali ſint & maneant, à reprobatione nihil differt; Itaque ſi Vito credas, idem decretum ponendum eſt ante præſcientiam divinam, nam hæc nonniſi ex decreto præſcit futura; & poſt

præ-

præſcientiam, nam neminem Deus decreto reprobat, niſi quem intellexerit malum. Hæc ſane contradictio eſt. Scio, quid dicere poſſit Vitus: concipiendum eſſe in Deo primum omnium intelligentiam eorum, quæ poſſint fieri, adeoque & hominis, qui poſſit malus eſſe, porro decretum, ut ita fiat, tum præſcientiam rerum, ex hoc decreto, cum poſſibiles alias tantum eſſent, futurarum. Verum neque ſic effugiet, nam verba: *Reprobare Deus neminem poteſt, quam quem malum intellexerit*, non de homine in ideis divinis *poſſibili*, ſed de *futuro* dicta eſſe poſſunt, quoniam reprobatio non poſſibilium ſed futurorum eſt.

§. 330. Supra quam dici poteſt, cavillatoria eſt Viti accuſatio in fine pag. 300. qua noſtram ſententiam ita comparatam ait, ut Deus neceſſario ſit injuſtiſſimus, qui æternis cruciatibus addixerit innocentiſſimos, nempe nondum exiſtentes, nondum peccantes, quorum peccata non ex ipſis hominibus, qui nihil erant, ſed è decreto ſuo ſolo præſcire potuerit. Hæc verbis acerbiſſimis & maxime inciviliter diſputat, cum vel videret, vel videre tamen facile poſſet, ne umbram quidem conſecutionis in hoc argumento eſſe: Homo non fuit ab æterno, ergo non potuit DEUS prævidere hominis peccata olim ab ipſo homine libere profectura, & de illis certo ſed libere futuris peccatis ſententiam dicere. Verbum

bum addere piget. Neque enim muſcam unquam toties naribus abegi, quoties criminationes eædem Viti recurrunt. P. 302. recoquitur diſputatio de nexu rerum & præſcientiæ, quem nexum à rebus nondum exiſtentibus eſſe præfracte negat. P. 303. de ſimilitudine præſcientiæ eclipſis Vitus denuo agit. P. 304. cum adverſario ſuo diſputat: an Deus ex nihilo futura contingentia noſſe poſſit? & cum adverſarius ejus recte neget, quærit: Quodnam illud ſit, ex quo Deus futura præſciat? à Deo ne ſit, an à ſe ipſo, an ab æterno alio principio? addit Vitus: *Si à Deo dixeris, idem mecum ſentis; ſi à ſe ineptiſſime deliras; ſi ab alio æterno principio, Manichæum te eſſe neceſſe eſt.* Maxima de nihilo naſcitur hiſtoria. Mea hæc eſt ſententia, non eſſe aliquid, unde Deo neceſſe ſit diſcere & colligere præſcientiam; intuetur enim omnia uno ſimpliciſſimo actu, mere poſſibilia, ſub conditione futura, ſeu *futuribilia*, & futura. Neque tamen bene dicitur: *Ex nihilo noſſe Deum*, cum ita intelligi poſſit: Nihilum ſupplere locum ejus rei, unde cognitio hauriri deberet, quæ propoſitio obſcura nec intelligibilis eſt.

§. 331. Recurrit quæſtio p. 304. de beatitudine Dei, per noſtram ſententiam, ut Vitus criminatur, ſublata. Reſponſum ſatis eſt. Chorda eadem oberrat Vitus p. 305. diſputans: *aut non velle Deum ſerio omnium ſalutem, aut non eſſe omnipotentem.* Satisfactum eſt abunde.

p. 307.

p. 307. 308. De distinctionibus aliquot ab adversario suo factis Vitus disputat, quæ quales fuerint, ignoro nec scire refert. Falsissimum est, quod p. 308. repetitur. *Quia Deus independens, nihil nisi ex se ipso cognoscit.* Quasi qui figuram triangularem in mensa cognoscit, à mensa dependeret. Piget talia in Philosophis refutare, quæ in pueris ridemus. P. 309. *Nihil insipientius vel esse vel fingi posse, universali, quem Lutherani fingunt, Dei amore, Christi merito, gratia*, & hæc consequi ex ipsa Lutherana fide ait. Bonam tibi mentem Vite! precor. P. 310. Distinctionem Lutheranorum inter *voluntatem antecedentem* & *consequentem* se *probe intelligere* ait, *sed Deo indignissimam esse, impossibilem, contradictoriam*, admitti enim non posse nisi ab iis, qui statuant Deum, cum prius vellet, ea aut ignorasse, aut non perpendisse, quæ priorem illam voluntatem consecutura essent. Quasi non possent uno actu volendi Deus & omnibus paratam velle salutem, & iis, qui operationi Spiritus S. non resisterent, applicatam; non applicatam illis qui resisterent. Nobis autem licebit, ut speramus, distincte considerare, quæ in Deo uno actu fiunt. Itaque quoniam Deus eodem actu vult toti humano generi paratam oblatamque salutem maxime serio, vocamus hanc voluntatem *antecedentem*, & quia Deus eodem illo actu, quos videt non restituros, salvare, quos videt restituros damnare decrevit

crevit hanc *consequentem* seu judiciariam *voluntatem* vocari, quid obstat. Neque hic ulla contradictio, nec *posterior abrogat priorem*, quod Vitus sibi persuadet: Cum in se una sit voluntas à nobis tantum distincte considerata. Atque ut in æternum vera manet hæc propositio; *Deus tantum in fide permanentes salvat*, ita in æternum vera altera propositio manebit: *Deus serio vult omnium hominum salutem.* In voluntate enim hypothetica utrumque continetur, ut & habeant omnes, in quibus invenitur conditio, & non habeant, in quibus non invenitur.

§. 332. Pag. 310. 311. repetit fastidiose præscientiam inferre rebus præscitis necessitatem & negat *sani capitis* esse, qui hic secum non sentiat. At philosophi certe novi non sentiunt, veteres multo minus. Vereor igitur ut ampla sit futura civitas, quam è *sanis* capitibus, quæ ipsi viderentur, Vitus colligere vellet, meam in ea nullam partem esse volo. Bona cum lectoris venia describam Viti quæstionem, p. 311. *utrum, postquam Adamus aut peccaturus erat, aut peccavit, aut peccaturus non sit, aut non peccarit? Uti igitur Adamus non potuit simul & peccasse & non peccasse, ita aeque Adamus potuit simul & peccaturus esse & non peccaturus.* Erat sane peccaturus Adamus, neque futurum, ut non peccaret, neque falli præscientia divina potest. Quid ergo? *Certo* futurum fuisse lapsum Adami fatemur, *necessario*, in-

fitiamur. Si neque nunc poteris diſcrimen *certi* & *neceſſarii* capere, culpa non hæret in Philoſopho tuo Celeberrimo Wolfio, qui ſatis clare docuit diſcrimen. Simile de hero famulum creante, qualem ſciret infallibiliter futurum &c. p. 314. Supralapſariis tuis occine; nos quidem non ferit, qui negamus hominem à Deo *talem* creatum, *qualis* eſſet peccaturus infallibiliter, creavit hominem, qui peccaturus erat, ſed libertate abuſurus, quam libertatem Deus ſanctiſſimo conſilio dederat.

§. 333. *Qui profecto Lutheranos, quoties hoc argumentum*, de eclipſi à Mathematicis non facta ſed prædicta, *vel attingunt, non, aut cum inſaniſſimis inſanire, aut nullius frontis, fidei, integritatis, probitatis eſſe dixerit, næ illum ipſum nullius vel cerebri vel fidei eſſe oportet*. Ita urbane concionatur Vitus noſter pacis angelus pag. 316. Nihil reſpondeo, niſi Celeb. Wolfium attigiſſe hoc argumentum. Gedancken von GOtt ꝛc. §. 969. Dadurch, daß man etwas vorher weiß, wird nichts in der Sache geändert, ſondern ſie bleibet wie ſie iſt. Z. E. Wenn wir wiſſen, daß eine Sonnen-Finſterniß kommen ſolle, ſo thut unſer vorherwiſſen nichts zur Sache. Es wird dadurch in ihr nichts geändert. Sonn und Mond behalten ihren Lauff, wie vorhin, ehe ich es wuſte. Derowegen wird auch dadurch, daß GOtt alles vorher weiß, kein Ding im geringſten geändert. Sondern es bleibet alles an ſich wie es iſt, &c. Idem Cl. Wolf.

in Anmerckungen über diese Gedanck. p. 541. addidit: Es kommet hier darauf an, daß man den Unterscheid zwischen Nothwendigkeit und Gewißheit in der Zukunfft sich wohl bekannt macht 2c. Quod tibi à Philosopho dictum Vite! puta, qui *certum esse* & *non posse aliter esse* illico p. 318. ut aliis compluribus locis, confundis.

§. 334. Horrendum est quod lego p. 319. *Adeone delirare potes, ut mihi neges DEUM tam esse effectuum caussam, quam caussarum caussam esse largiaris.* Ita Vitus, quod tam crasse vix unquam alius Supralapsariorum dixit, DEUM credit tam malarum actionum caussam esse, quam est Diabolorum hominumque caussa. Heu pudor! Eadem p. 319. facilem victoriam adversario suo præbet: Video describendum mihi esse totum locum: *Recte tueris quæ hodie contingunt certo, ea caussam supponere, certo & liberè se determinantem, quandoquidem non possit effectus certò produci, quin ejus caussa certo se ad producendum effectum determinet; Quæritur ergo hoc loco, utrum contingere possit, ut caussa, quæ nondum existat, se certo determinatura sit, & unde hæc futura determinatio cognosci possit? Mea tota caussa cecidisse fatebor, si demonstraveris, aut te videre posse ea quæ nondum sunt, ex iis, quæ nondum sint aut aliquid posse à se ipso vel existere vel futurum esse. Cum itaque nihil à se ipso aut existere, aut acturum quid esse possit; DEUS vero solus ab æterno exstiterit, non potest non, quicquid futurum unquam fuit, rerum contingentium, à solo illo & futurum esse &*

existere, qui necessario est. Nisi igitur Manichaeos se fateri velint, tueri suam praescientiam & à Supralapsariis dissentire non poterunt fratres Lutherani. Iniquum postulatum, ut adversarius demonstret, *se posse videre* ea quae nondum sunt, ex iis quae nondum sint. Annon sufficiet demonstrari *DEUM posse videre*, neque enim de humana sed de divina praescientia nobis sermo est. Sed dantur sane aliqua, quae homines nondum existentia videre possunt, ex nondum existentibus oritura, qualia sunt observata mathematicorum, qui è concursu planetarum, qui nondum existit, at extiturus est, eclipsin nondum existentem, at extituram vident. Dices haec habere necessarium nexum; bene. Itaque ab hominibus videri potuere, nam aliam contingentium esse rationem lubens largior, quae ideo certo praevideri ab homine non possunt; at cur non possint à DEO, cujus oculis πάντα γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα ἐστι *Ebr. IV.* 13. ne umbra quidem rationis afferri à te Vite! vel potuit, vel poterit. David certe *Ps. CXXXIX.* 2. בנתה לרעי מרחוק non dixisset, nisi infallibilem DEI praescientiam, & *suas* tamen, non ab alia caussa in origine dependentes *cogitationes* esse credidisset. Quid vero impulerit Vitum dicere, *nihil posse à se aliquid acturum*, id cogitando assequi non valeo. Ita penitus, quod intrepide ait Vitus, scripturae & quotidiano usui reclamat. *Job. VIII.* 44. Satanas ἐκ

τῶν

τῶν ἰδίων λαλεῖ τό ψεῦδος, *agit* igitur *aliquid à seipso*. Quo tandem labitur Vitus? Itane constitutum est ab homine oriri peccata, quæ ipsemet committit, negare? Non est quidem otiosus spectator peccatorum hominis DEUS sanctissimus. Sed dirigit, determinat &c. Verum originem actionum malarum homini deberi, non putaram quemquam eo progressurum ut neget. Itaque dubium nullum est, tota caussa sua cecidisse Vitum, si verum est, quod p. 321. repetit, cardinem caussæ in eo verti: an ex contingente caussarum nexu cum effectu, certa & infallibilis effectus præscientia nasci possit? Quod affirmare Vitus ineptissimum putat, nos autem verissimum esse adhuc ostendimus, adeo quidem, ut, si vel nullus nexus esset, futura tamen omnia DEUS æque ac præsentia præsciturus esset.

§. 335. In disputatione Viti cum doctissimo Clerico, nihil fere est, quod ad me pertinere credam. In partitione Arminianorum videtur B. Buddeus, beati Benthemii opionem secutus. De Clerici rebus, quem suspicionem Socinianismi eluere à suis jussum nonnulli crediderunt, fides videtur habenda ipsi Clerico neganti. Quæ de obscuro viro prælato in professione Theologica clarissimo Clerico, perhibuerunt pariter complusculi, nescio unde hausta sint, nam Cattenburgius Clerico collega datus minime obscuri nominis est. Ad p. 323. 324. rectius mihi & acutius videtur

Clericus vidisse, ratus animum Vito fuisse, ut reduceret Lutheranos ad dogmata Thomæ Aquinatis, quam putasse vult Vitus. Porro ejusdem Clerici querela de intemperie stili, quo usus est Vitus, longe est justissima. Ceterum fratres nolumus Arminianos, quoad Arminiani sunt. pag. 338. denuo præ se fert, non serio se calumniatum, sed ut convinceret Lutheranas calumnias turpitudinis, verum observavimus, sæpe idem fecisse, ubi larvam posuisse necesse fuit. Cujus rei aliquot exempla in indice voce *Calumnia* allegavimus. Mirandum, cum Clericus Viti librum improbarit quidem, at sine conviciis, hunc contra plaustris conviciorum invectum. Frigidam objectionem ex nostra sententia de præscientia sequi, DEUM non posse esse justum & bonum, contra Clericum repetit, p. 347. *Quæ mea esse potest in iis culpa, quæ certissime antequam mundi fundamenta jacerentur, à me, qui tum nihil adhuc eram futura fuere.* Si Philosophum tuum Wolfium audisses Vite! ante omnia didicisses discrimen inter *necessarium* & *certum*. Quo probe cognito, non suscepisses contra alterum Philosophum, Clericum, bella nullos tibi paritura triumphos. An quisquam erit bipedum, qui ejusmodi argumento moveatur: *Futurum erat facinus*, e. g. *Judæ*, ergo: *Judæ nulla culpa est.* Immo futura erat culpa Judæ, ergo cum tempus venit, est culpa Judæ. Hoc tamen similiaque argumenta refutare jubet

do-

doctissimum Clericum Vitus, quod ne attigerit quidem adhuc illa argumenta Clericus, hanc esse caussam Vitus putat, quod præscientiam cum Socinianis clam neget, dicere autem palam non sustineat. p. 347. Quicquid sit de Clerico, ad me quod attinet fateor, me ita contemnere miserabilem hanc objectionem, ut, nisi Vitus toti suo operi hoc quasi fundamentum stravisset, in mentem mihi non venerit, fieri posse, ut mortalium aliquis credat ideo necessario fieri rem, quia antea futura & à DEO præscita fuerat, adeo certum indubitatumque est præscientiam ad rerum naturam non pertinere. Ubique sentio deperire Vitum ratiocinia sua, quæ mihi ita frigida omnia & nulla sunt, ut non multa æque diluta legere me meminerim. Quæ non animi caussa, multa minus ut ægrè faciam bono viro, sed quia ita sentio, eloquenda duxi. Totum opus Viti ita comparatum esse, ut irritare magis quam sanare odia possit, cum Clerico boni omnes vident.

§. 336. Pag. 363. Accedit Vitus ad Viri Cl. *Joh. Frid. Hochstetteri* Schediasma, quod quale sit, mihi non constat, nisi quantum ex hac refutatione conjicere datur. Itaque quæ disputantes sibi objecere mutuo, ad me non credo pertinere. P. 363. *Sapienter* dicit *disputatum* esse Vitus, *de iis qui vim inferre intellectui suo malunt, quam clarissimam veritatis lucem admittere.* Itane credis fieri posse, ut homo intellectui vim in-

 ferat,

ferat, & *sapienter* loquitur, qui clarissimam veritatis lucem posse non admitti dicit? pag. 364. Lutheranos Vitus docere ait: *Christi corpus infinitum esse.* Quem habes testem Vite? Quis hæc docuit? Divina attribata cum humana natura Christi communicari posse & communicata esse nos quidem docemus, neque terret nos, quod *delirare*, qui ita docent, pro tua civilitate pronuntias. Frigida interrogatiuncula: *Nonne hoc idem est, atque si diceres, quadratæ figuræ proprietates ita communicari cum circulo posse, ut circulus circulus esse non desinat?* testimonia scripturæ non evertes. Ipsum hoc simile hem quam abludit à scopo? neque enim nos dicimus: Cum Christus in humanitate divinis attributis utitur, simul uti humanis infirmitatibus, sed idem tamen homo est, ut corpus illud, quod triangularem formam sustinet, manere idem corpus & recipere tamen quadratam figuram potest, altera quidem tum plane cessante. Sed nolo hac similitudine uti, in re, cui nihil simile extat. Quæ p. 365. in nobis carpis, prætereo, hoc unico observato, nullam esse hic speciem personatæ calumniæ, sed conviciatur & calumniatur suo ingenio Vitus, ut adeo nihil frigidius sit, quam toties, ubi de conviciis monetur, ad *larvas* se recipere, id quod denuo facit p. 369.

§. 347. p. 371. Monstraturus est nobis Vitus *Supralapsarii vultus gratiam atque commendationem.* Non inficior mihi doctrinæ Supralapsa-

lapſariæ vultum tam diſplicere, quam quæ diſplicent maxime; Atque ipſa illa loca quæ è Supralapſariorum ſcriptis excerpſiſti, partim non bona, partim terribilia mihi videntur. e. g. p. 373. Zvinglii verba non placent: *ita ut non pendeat conſilium ejus*, DEI, *ab ullius creaturæ occaſione.* Non videtur Zvinglius, quem neſcio an bene Vitus in Supralapſariis cenſeat, tantum vocabulum *pendere* rejicere, & hoc velle, Deum non uti occaſionibus, quaſi antea non prævifis, hæc enim quis vituperet? Sed Deum in decretis ſuis non reſpicere ad hominum vel fidem vel incredulitatem. Eadem pag. verba: *Bonitatem non minus ab æterno, quam juſtitiam oſtendere conſtituerat*, admittere poſſunt interpretationem commodam, ſi nempe intelligatur decretum de oſtendenda juſtitia intuitu præcedente futuræ creaturarum malitiæ factum, neceſſarium enim fuiſſe, ut eſſent, in quibus juſtitiam ſuam DEus exerceret, falſiſſime docetur. Calvini autem verba, quæ Vitus recitat. p. 374. *Lapſus eſt enim primus homo, quia Dominus ita expedire cenſuerat, cur cenſuerit, nos latet*, vehementiſſimè nos offendunt, & maxime impia non poſſunt non haberi. Itaque ſi tam torvum tuentur hæ gratiæ Supralapſariorum, quid fiet, ubi duriter amant loqui.

§. 338. Vitus noſter p. 388. ſic immemor ſui incipit: *Nequeo etiam, quin cum plurima poſ-*

ſem, ex Gvil. Tviſſo &c. hoc unum addam: Quid ais Vite? Tune plura poteras? Eventus docet te unum tantum poſuiſſe, ergo, ut unum modo locum Tvisſi excerperes, ab æterno futurum erat, ab æterno à Deo præſcitum. Tu quis es, qui tibi tantum ſumas, ut potuiſſe te vel poſſe jactites, plura exempla producere, cum ab æterno, non plura ſed unum à Te productum iri præſcitum ſit? Vides ô bene! innatam eſſe menti humanæ hanc veritatem: præſcientiam Dei nullam inferre rebus actionibusque neceſſitatem, quam tu non ita poteras Supralapſariiſmi tui furca expellere, quin uſque recurreret.

§. 339. Refutat Vitus p. 390. neſcio quos, qui dixerint, *ipſum è Leibnitiana hypotheſi σοφὸν quoddam φάρμακον paraſſe, quo horribilibus Supralapſariismi paroxyſmis ſuccurreret*, ex his vero teſtimoniis arbitratur ipſe patere, tum Leibnitium fuiſſe Supralapſarium, tum ſe à Supralapſariis veris non diſceſſiſſe. De Leibnitio forte non omnes tibi credent, me vero non habebis difficilem, cetera omnia tu rectiſſime. Qui te *σοφὸν φάρμακον* adhibuiſſe perhibent, vel in Apologia, vel in Vindiciis, falluntur egregiè, ita enim nude crudeque Supralapſariam doctrinam expoſuiſti, ut, crudius qui fecerit, neminem noverim. Hoc docet compendium doctrinæ Supralapſariæ p. 392. propoſitum: *Supralapſarii tribuunt DEO ſapientiſſimam TALIUM hominum crea-*

tio-

tionem & gubernationem, QUALES peccaturos infallibiliter perſpexit. Hoc ipſum mi Vite! eſt illud *horribile*, de quo in doctrina Supralapſariorum merito conquerimur, præſertim cum conſtet, te ex infallibilitate *neceſſitatem* colligere. Durum quidem eſt, quod p. 393. ais: *horribilem* doctrinam veſtram nemini videri, *niſi aut Atheo, aut ſtolido homini.* Sed conviciis jam ſvetus ſum parum moveri. Poſſem ſane ſimilia dilemmata conſuere, ſed præſcivit me DEUS manſvetudinis autor non facturum, & ne faciam, clementer me diriget.

§. 340. Pag. 394. 395. docere jubet adverſarium ſuum Vitus productis locis, *quemquam Supralapſariorum unquam docuiſſe: DEUM antecedenter ad omnem creationem & lapſum decreviſſe condere creaturas, ut haberet, in quas vindictam iramque exerceret.* Non credo Vitum obſcuris vocibus: *antecedenter ad omnem* &c. latere velle Vitum; hoc certum, à Supralapſariis in decreto divino prius poni reprobationem, quam vel permiſſionem lapſus, vel ipſam creationem. Quod utinam probatu paullo difficilius eſſet, quam eſt. Itane exciderunt *Calvini* verba animo tuo, *Inſtitut. III. 21. 5. Non enim pari conditione creantur omnes: Sed aliis vita æterna, aliis damnatio æterna præordinatur. Itaque prout in alterutrum finem quisque conditus eſt, ita vel ad vitam vel ad mortem prædeſtinatum dicimus.* Deſcripturus eram hujus loci Calvini

vini germanicam verſionem è libro Herbornæ 1586. edito, hoc titulo: Haupt-Articul der wahren Christlichen Religion aus den vier Büchern Herrn Joh. Calvini mit seinen eigenen Worten gezogen. Sed hæc verba, cum antecedentia & ſubſequentia extent, reſpondet enim numerus librorum, capitum & paragraphorum editionibus latinis, omiſſa ſunt, neſcio quo conſilio, quod laudarem, niſi duris phraſibus reſectis, dogma ipſum ſervatum eſſet. Horrenda verba Calvini Inſtit I. 15. 8. *Nulla vero impoſita fuit DEO neceſſitas, quin mediam illi voluntatem daret, atque etiam* NB. *caducam, ut ex illius lapſu gloriæ ſuæ materiam eliceret*, in Germanica editione ita translata ſunt: Es ist aber GOTT ungezwungen gewest, dem Adam einen beständigen Willen mitzutheilen, sondern ihm frey gestanden, ihm einen solchen mittelmäßigen, der sich zum Guten und Bösen von sich selbst beugen könte, ja auch einen wandelbahren Willen zu geben, auf daß Er aus seinem Fall Anlaß nehme, seine Herrlichkeit zu erzeigen. Quis non ſtupeat à doctore veſtrati maximo ſcribi potuiſſe: *Inditam eſſe ab ipſo DEO homini voluntatem caducam*, i. e. non quæ cadere poſſet, nam hoc voce: *mediam*, jam indicatum fuerat, ſed, quæ caderet. Ceterum mirandum eſt, à Vito poſtulari loca Supralapſariorum, qui docuerint decreviſſe DEUM condere creaturas, ut haberet, in quos vindictam exerceret. Nam ſimilia ipſius Viti index noſter; voce: *Vitus*

Supra-

Supralapsarius monstrabit. Obiter observo, Calvinum æque ac interpretem ejus libertatem primo homini datam in *media voluntate* ponere, im mittelmäßigen Willen, der sich zum Guten und Bösen von sich selbst beugen könte. Quæ ipsa est explosa ab adversario nostro *indifferentia*. Ab eodem refellitur Vitus negans DEUM occasionem ab hominum actionibus accipere, cum dixit: auf daß Er aus seinem Fall Anlaß nehme.

§. 341. Quod perhibet Vitus; p. 395. *Supralapsarios præmittere divino decreto scientiam hominis lapsuri*, & falsum est, & contra Viti hypotheses ingenti conatu defensas pugnat. Annon multis locis & verbis contendis Vite! *futurum* præsciri non posse à DEO, nisi *ex ipsius decreto*; homo *lapsurus* autem est aliquid *futurum*; ergo homo lapsurus non potuit præsciri à DEO, nisi ex ipsius decreto; itaque *scientia hominis lapsuri* non potest ex hypothesi tua *præmitti decreto* divino, sed debet postponi: Verum ne parum ingenuus sim, indicabo lectori mentem tuam, quam non potuisti satis commode exponere. Hoc vis: Supralapsarii præmittunt decreto divino *scientiam hominis labilis*, neque enim fieri potest, ut decernatur *permissio* lapsus, nisi *possibilitas* ejusdem lapsus cognoscatur. Quodsi vero mea me hac in re opinio fallit, & ita ut scripsisti, vis *scientiam hominis lapsuri* præmitti à Supralapsariis decreto divino, nihil cer-

certius, quam te oblitum hypotheseos tuæ, & Supralapsarios alia omnia tueri. Clariora sunt, quam ut exceptionem admittant Calvini verba, III. 21. 5. *Prædestinationem, qua DEUS alios in spem vitæ adoptat, alios adjudicat æternæ morti, nemo, qui velit pius censeri, simpliciter negare audet: Sed eam multis cavillis involvunt, præsertim vero, qui præscientiam ejus faciunt caussam. Ac nos quidem utramque in DEO statuimus, sed præpostere dicimus alteram alteri subjici.* Germanicè hæc postrema ita versa sunt: Und zwar wir sehen und erkennen auch, daß Er alle Dinge zuvor ersiehet, wie Er Sie anordne; aber so man sagen will, daß GOTT erwehle oder verwerffe, nachdem Er diß oder jenes zuvor ersehen hab, daß es geschehen würde, ist anders nicht, denn alles durch einander werffen. Latina Calvini sunt clariora. *Præpostere subjici prædestinationem præscientiæ*, docet. Ergo ex mente Calvini præponenda prædestinatio est præscientiæ, secus ac nos de Supralapsariis credere Vitus jubet, hoc quidem loco, nam non constare sibi Vitum passim observavimus.

§. 342. *Qui permittit, volens permittit, eoque DEUS non potest non lapsum hominis intendere, ex tua ipsius fide, nisi aut neges DEUM lapsum impedire potuisse, aut cum ignarissimus DEUM ignorasse velis, quæ ex talis hominis creatione futura essent.* Sic adversarium suum Vitus compellat p. 395. Quasi vero, qui non impedit rem, quam si intendisset vires omnes, impedire potuisset,

at

at nulla obligatione ad impediendum adstringitur, voluisse & intendisse dicendus sit. Vult sane permissionem, qui permittit, sed non statim vult fieri rem, quam permittit fieri. Pag. 396. Vitus multa scripsit pessime, e. g. *Quæcunque DEUS permittendo lapsum sibi proposuit, ea consequi non poterat, nisi lapsus contingeret.* Serio doleo, quoties video aliquem è nobis miseris homuncionibus definire velle, quo possit modo, quo non possit DEUS fine suo potiri. Quanto sapientius negavit hoc cum aliis patribus tuis Henricus Bullingerus, Tigurinus Theologus, an. 1556. In der Summa Christenlicher Religion, und Christenlichen Lebens. pag. 34. b. Darum könnend wir baß, richtiger und einfältiger nit thun, dann von dem gerächten GOTT glauben und reden, daß Er kein Böses wölle, noch viel minder thuye. Und diewyl Er dem Menschen verbotten zu ässen von dem Baum des Wüssens des Guten und des Bösen, habe Er je nit gewöllen, daß Er ässe, übertrette, und stürbe. David spricht: Du bist ein GOTT, dem Gottlose nit gefällt, by dir mag kein Schalkheit wohnen. Du hassest alle die, die Schalkheit trybend. &c. Idem p. 77. a. Dann wie GOtt von Ewigkeit har des Menschen Faal und Verderbung sach, also rust Er auch von Ewigkeit har die Artzney zu, damit Er der verlornen Wält wiederum hülffen wolt, und schlüg an, daß Er wölte seinen Sun lassen Mensch werden, in die Welt kommen, und den Faal wiederbringen. Utinam sic doceres Vite!

§. 343.

§. 343. Eadem pag. 396. ſic Vitus: *Si autem mica ſanæ rationis tibi eſſet, nunquam adfirmares Deum doluiſſe, & luxuiſſe, cum peccatum accideret.* In te Vite! ſi major eſſet ſcripturæ reverentia, nunquam negares, quæ expreſſiſſimis verbis Scriptura, e. g. *Gen. VI*, 6. dixit. Nam ἀνθρωποπαθῶς hæc ſimilia interpretanda, nec Dei beatitudinem turbari; ſummam vero, quæ in Deo eſt, peccati averſationem ſignificari, nemo neſcit. P. 397. obſervo verba Viti: *Ita, quia evidentiſſimis argumentis à me & in Apologia & in his vindiciis demonſtratum eſt, talem veſtram*, Lutheranam *fidem eſſe* (NB. præcedit: *dogma principiis ſanæ rationis adverſum, prædicatis Dei eſſentialibus repugnans, atque omnis moralitatis deſtructivum*) *cauſſa à me dicta jam & Lutherana fides victa fugataque eſt.* Itaque non ſimulas Vite! quod ſæpe perhibes, ſed ſummo ſtudio agis, cum nos criminaris, credisque te evidentiſſimis argumentis uti; ſed ſi ita ſe res habeat, quid attinet videri velle pacis ſtudioſum, cum *victam & fugatam* vis Lutheranam fidem, ut *deſtructivam omnis moralitatis.* Ita tibi miſere contradicis Vite! Locus Jeſ. LV, 8. de *ſapientia Dei* agit.

§. 344. Pag. 398. apparet adverſarium Viti longe doctiorem eſſe, quam hic agnoſcere vult. Recte ille dixit allegante Vito: *Peſſime heic meo quidem judicio de Deo merentur, qui ſtatuunt nullas nos de attributis divinis ideas habere, niſi*

nisi analogicas, hoc est, falsas & umbratiles. Rectissime hæc Clar. Hochstetterus, quibus quomodo urgeat Vitum hujus indicat responsio: *Primo quidem largior tibi eas ideas, quæ nobis Dei attributa infinita repræsentant, verissimas esse, neque adeo analogicas falsas & umbratiles tantum.* Tu videris, quomodo hæc possint componi cum iis, quæ supra in his Vindiciis p. 35. te ubique fassum esse dixisti, *divinas virtutes ad humanas exquirendas non esse.* Nam si ideæ verissimæ sint, applicari sane ad divinas etiam virtutes poterunt & debebunt. Nec juvat, quod addit Vitus: *Sed id à Te iterum postulo, ut Spiritu S. autore sedulo caveas, ne infinitas Dei verasque perfectiones finitis tuis perfectionibus vel imperfectionibus potius ponderes.* Et hæc bene dicta sunt. Est ergo nulla humana bonitate bonitas Dei emetienda, nulla humana justitia, justitia divina mensurabilis. Manet tamen idea communis; itaque doctrinas supralapsarias aversamur, quæ faciunt, non, ut bonitas & justitia divina non sit infinita, sed ut nulla. Si verissima est idea justitiæ & bonitatis, quam habemus, ut sane est, non modo non infinite bonus justusque est Deus condens ut damnet, reprobans sine intuitu peccati, sed plane non justus, non bonus. Ceterum Celeberrimi Viri, de quo agitur p. 399. mens non videtur mala fuisse, cum nostras de attributis divinis ideas *umbratiles* dixit esse, si quis autem cautius loqui potuisse summum

virum hic aliisque plurimis locis, dixerit, me non habebit refragantem.

§. 345. Pag. 400. mentio fit interpretationis dicti Paulini, quam ab Hochstettero propositam violentam dicit Vitus; suspicor esse similem nostræ in *cap. IX. ep. ad Rom.* sed nihil certi è Vito colligere possum. Nihil adversario præter convicia Vitus regessit, in quibus multo videtur esse potentior, quam in Scriptura, deinde Lutherum & autores librorum symbolicorum aliter explicasse ait, quod argumentum in re exegetica non est gravissimum. B. Lutherum veneramur, sed non adoramus, itaque quæ nos putamus rectius videre in Scriptura, quam ille vidit, illa, non improbaturo ipso, si viveret, docemus.

§. 346. Non ignavum Vito in Hochstettero adversarium obtigisse, cum alia docent, tum p. 402. Ibi *improbitatis* arguit infeliciter Cl. Hochstetterum, qui dixerit: *Ex Reformatorum fide absque artificio sequentes propositiones fluere:* I) *Deum creasse homines, ut haberet, quos æternum condemnaret.* II) *Acquiescere ipsum in summa hominum infelicitate, tanquam in ultimo fine suo.* III) *Complacuisse sibimet ipsum miris modis in cougmentandis ad interitum plurimis operibus suis.* Quid ais Vite? negare hæc sustines doceri à Te tuisque fidei sociis? Ad primum demonstrandum nescio an Hochstetterus attulerit aliquid? Utinam nihil quisquam posset! nam faveo certe vobis, si talia dogmata

à vo-

à vobis aliena vultis. Sed *improbitatis* certe & *calumniarum* postulari nefas est, qui, quod palam & crebro docetis, vos docere dicit. Itaque prima thesis manifeste est Calvini, vide quæ supra §. 340. exposita sunt. Ad alteram thesin, cum ad primam plane tacuisset Vitus, monet: è Reformatorum sententia finem ultimum prædestinantis Dei esse nihil aliud præter ipsum Deum. Itaque poteris mi Vite! alteram thesin sic ponere: *Acquiescere Deum in gaudio suo de summa hominum infelicitate, tanquam in ultimo fine suo.* Sed hæc non est minus iniqua thesis. Dissimulata ais argumenta vestra & quæ calumniis his respondere soleatis. Quid vero opus esset respondere & defendere, si non doceretis? Quænam vero ista argumenta? Jam, quod miror ad Scripturam accedit, & recitat ebraice ac latine *Proverb. XVI*, 4. γινώσκεις ὦ βέλτιστε ἃ ἀναγινώσκεις; Loci non sane difficillimi sententiam nuper venerandus Theologus *Gust. Ge. Zeltnerus* in Bibliis hoc anno 1730. editis optime explicuit: p. 85. Der HErr würcket, schaffet, ordnet, richtet ein, alles also, daß es mit demselben und mit seiner, nicht GOttes, sondern der Sachen selbst Natur, Zwek, auch guten oder bösen Beschaffenheit übereinkommt, und so zu reden, That und Lohn mit einander wohl correspondiren. Und so auch schaffet ers, verfähret er; nicht daß er ihn gottloß macht, sondern wenn er ihn aus eignen bösen Sinn und Hertzen

 also

also verkehret findet, mit dem Gottlosen, an dem bösen Tag, wenn er ihn straffet, daß er empfängt der Göttlichen Geeechtigkeit nach, was seine Thaten wehrt sind ꝛc. Mihi quidem videtur ליום rectius verti, ut Lutherus fecit: zum Tag, quam an dem Tag. Sensus autem idem manet, & citius è silice aquam elicueris, quam ex hoc dicto dogma supralapsarium. Habesne adhuc aliquid? sane; *Clariora etiam illa Pauli sunt, quam quibus tenebras offundere profana impietas possit.* Bona verba Vite! tractamus hæc mysteria ut par est summa verecundia. Recitas Pauli verba *Rom. IX,* 22. 23. interrogative autem posita esse non animadvertisse videris, cujus interrogationis hæc sententia est, ut fortius neget. Negat itaque Apostolus ad iram ostendendam pertinere, quod vasa iræ, per quos Pharaonem ejusque servos intelligo, non exclusis aliis, qui horum similes sunt, tanta *longanimitate* tulerit. Negat porro, ad ostendendas solum divitias gloriæ suæ aliquibus paucis gratiæ vasis destinasse salutem, cæteris præteritis, cum pateat v. 24. non ex uno aliquo, sed ex omnibus populis colligi ecclesiam. Vides te illa infelicitate, quæ tibi familiaris est, ea argumenta arripuisse, quæ tuam caussam jugulant. Laudas denique locum *Eph. I,* 6. sed quid inde colligere velis, difficile est hariolari. Nam prædestinatos esse pios in laudem gloriæ divinæ nemo dubitat.

§. 347. Dura conditio eſt eorum, qui cum Vito pugnant, qui, quod claris & expreſſis verbis Calvinus dixit, *calumniam nebulonis* p. 404. appellat. Deſcribam locum, ut rei indignitatem lector videat. *Permitte itaque, ut quod eidem calumniæ nebulonis cujusdam, quem Seb. Caſtellionem fuiſſe conſtat, divinus Calvinus reſpondet, idem tibi hic opponam: Totum illud de maxima parte mundi & de nudo puroque Dei arbitrio fictitium eſt, atque ex malitiæ tuæ officina productum. Etſi enim quid toti humano generi futurum eſſet Deus ab initio decrevit, hæc tamen loquendi ratio, nusquam apud me occurret: Finem creationis eſſe æternum interitum. Itaque inſtar porci boni odoris doctrinam roſtro tuo evertis, ut aliquid fœtoris reperias.* Boni odores evertendo fragrare ſolent ſuavius. Ubi fœtor reperiri poteſt, non ſunt boni odores, ſed fortaſſe cruſta male tectæ ſordes. Ceterum divinus tuus Calvinus mi Vite! rectius feciſſet, ſi cum rem ipſam non poſſit nec velit diſſimulare, antequam *loquendi hanc rationem* apud ſe occurrere negaret, eraſiſſet verba illa: Inſtitut. III, 21. 5. *Prout in alterutrum finem quisque conditus eſt, ita vel ad mortem, vel ad vitam prædeſtinatum dicimus.*

§. 348. Tædet me jamdudum harum rerum, itaque omitto ad p. 405. quidquam dicere; ubi Vitus eò progreditur, ut neget per ſapientiæ, divinæ nempe, rationes fieri potuiſſe, ut eos, quos amore ſui ſancto & ſapientia ſua reprobavit, amaret. Nam hunc verum eſſe

Viti ſenſum lector ex ipſis Viti verbis videre poteſt. Tranſſilio etiam p. 406. Quæ de miſericordia divina, verbis, quorum me piget tæteque, Vitus p. 407. agit, pertinere videntur ad irridendam ſcripturæ eam partem, quæ ſolatii pleniſſima eſt. *Anilem querulamque nos* ait, *miſericordiam DEO tribuere, eaque tanquam carioſo quodam fulcro, ægram labantemque fidem noſtram infeliciter ſuſtentare.* Tibi vero ab ipſa illa, quam indignis modis tractas, miſericordia divina, graviſſimi peccati veniam precor. p. 409. blaſphemiæ arguit adverſarium ſuum Vitus, non videns illud manticæ, quod in tergo eſt. Ceterum erras Vite! cum Lutheranorum putas eſſe ſententiam: Chriſtianos obligari à DEO ad impoſſibilia. Per Chriſtum liberati ſumus ab iſta coactione legis, neque eſt ejus obſervatione accurata, quæ ſane impoſſibilis eſt, ſalus quærenda. Quoad homines extra Chriſtum ſunt, obligantur ad legis perfectam obſervationem, eſſetque adeo illis, ni evangelium foret, deſperandum & pereundum. Sed, qui amplexi ſunt fide Chriſtum, illi, ut dixi, ab iſta obligatione ſunt liberati, à quibus DEUS exigit grati animi teſtandi cauſſa obſequium legi præſtandum, non ſane perfectum & impoſſibile, ſincerum tamen & viribus acceptis poſſibile. Ceterum, ſi Reformatorum ſententia de particulari Chriſti merito valet, nihil certius, quam DEUM poſtulare iniqua. Sic

Job.

Joh. XVI. 8. Spiritus S. ἐλέγχει τὸν κόσμον περὶ ἁμαρτίας ὅτι οὐ πιστεύουσιν εἰς ἐμέ. Hæc qui potuit Christus dicere, & peccasse dicere, qui non credunt? nam nec debent nec possunt credere mali, quod falsum est, falsum autem ajunt Reformati, quod nos dicimus, his datum esse salvatorem.

§. 349. Pag. 410. Vitus ait: *Ex nostra*, Reformatorum, *fide DEUS tanta bonitate est, quantam reliquæ perfectiones ferant.* Ubi ille Vitus est, qui tanto cum contemtu adversariorum quæsivit, an dentur aliquæ ita summæ in DEO virtutes, per quas aliis non liceat esse summis? Eadem pag. redit mirabilis definitio *justitiæ: qua DEUS & sibi & creaturarum cuique ea tribuit, quæ æternis suis perfectionibus debet.* O utinam tuas de DEO notiones Vite! melius vindicasses quam extrema hac pagina fecisti! p. 411. retorquere in adversarium conatur Vitus tela, ea ratione, quam lector adhuc vidit. Nam, si Vito credimus, idem est, quod Lutherani docent: DEUM creasse homines infallibiliter h. e. certò peccaturos, & damnandos; &, quod Reformatos docere Adversarius ostendit: Creare ut habeas, quos æternum condemnes. Si has propositiones longissime inter se discrepare, non intelligis Vite! nescio, quid tibi faciam. Genuit te pater moriturum, sed non ideo, ut moriaris. Eadem, p. 411. Sic ait: *Velle ea quæ certissime noris te non consecuturum, manifestissima contradictio est.* Ita

Vitus vel nescire se, vel nescire velle prodit, quid sit contradictio. Ego vero non contradicerem mihi, quod te volo accuratius philosophari, tametsi scirem hujus me voti nunquam damnatum iri. Reliqua, quæ in nos retorquere Vitus conatur p. 412. sq. frigidiora sunt, quam quibus immorari placeat. πρῶτον ψεῦδος est, quod Lutheranos docere fingit DEUM *tales* condidisse homines, *quales* infallibilitur peccaturi essent; quod nobis in mentem non venit. Alterum: Quod infallibiliter futurum est, ejus oppositum fieri non potest; quod non minus falsum quam prius, utrumque autem profligatum sæpissime.

§. 350. Si tuitus est Clar. Hochstetterus, quod p. 417. sequ. Vitus perhibet, novorum Philosophorum placitum de *mundo optimo solo per sapientiam divinam eligibili*, me fateor sentire alia, itaque hæc omnia ad me pertinere non arbitror. Persvasissimus sum, quod & observavit Vitus, conglutinari eam hxpothesin cum Lutherana fide, non posse, quamquam illis faveo, qui se posse conglutinare sperant P. 417. laudat Vitus ut sapienter dicta: *In tempore DEUS non nisi credentes justificat & salvat per & propter meritum Christi fide apprehensum, & ex opposito alias damnat, propter infidelitatem. Ergo ab æterno ob fidem prævisam alios salvare, alios vero ob infidelitatem prævisam damnare decrevit.* Dicit enim, *se monuisse, DEUM, antequam simplicissime illud unum decretum perferret, singu-*

singularum ex decreto futurarum circumstantiarum rationes subduxisse. Ex quo consequitur Supralapsarios si res NB. possibiles spectaveris, maxime Infralapsariis magis adhuc Infralapsarios esse. Monuisti sane Vite! sed contra hypothesin tuam, quod §. 341. vidimus. Hic denuo tui immemor DEUM perhibes *ante Decretum* subduxisse rationes *circumstantiarum futurarum*; Alterutrum plane necesse est concedi, vel falsum esse, quod tanto molimine pugnasti; Nihil futurum esse nisi ex decreto, vel: ante decretum non posse considerari *futura*. Sed videris, quod & observavi, mentem tuam minus clare exponere. *Futura* hic appellas, non quæ sint futura seu eventura, sed, quæ possint, si nempe decernantur, futura esse. Sunt, qui vocabulo: *Futuri vilia*, utuntur. Hinc subjecisti ipsos Supralapsarios cum Infralapsariis sentire. NB. *Si res possibiles spectaveris.*

§. 351. Nemo Lutheranus concedet, nostrum systema iisdem difficultatibus pari modo premi, quibus Supralapsariorum, & huic eadem ratione consuli posse. Quod sibi Vitus adversarium concessisse aliquo modo, p. 418, nescio quam vere, gloriatur. Nam, quæ p. 419. ex eodem adversario laudat, refragantur. Eadem pag. non male respondet Vitus adversario suo, ita argumentanti: *Quodsi DEUS plures perfectiones concedendo peccatum impedivisset, absurdum quoddam emersisset;*

 Sic

Sic Vitus respondet: *Quod quæso illud absurdum fuisset?* Porro urget profecto adversarium, qui, quid respondeat, ipse, viderit. Me nolle hoc argumento uti jam protestatus sum, nec sane opus habeo. Rationes, cur permissum sit à DEO malum, cum ad *sapientiam divinam* pertineant, *mihi imperscrutabilem*, facile credo gravissimas & sanctissimas esse; quæ vero sint? an absurdi alias futuri declinatio? indagare nec possum nec volo sane. Utinam nec alii indagare studerent! Lutherana fides non his indiget tibicinibus, p. 421. denuo arripit Vitus dicta *Prov. XVI. & Rom. IX.* de quibus jam expositum est. Obiter moneo, frustra Vitum scripsisse: *Tum juste Lutheranos cum DEO queri largiar, quando demonstraverint, se DEO προδεδωκέναι τι, cujus ἀνταπόδυμα juste à DEO postulent exigantque:* Nam neque nos cum DEO expostulamus, cujus justitia agnoscitur à nobis, sed cum iis, qui dogmata tradunt DEO justissimo indignissima. Neque hoc dictum Paulli in loco opportuneque laudatur. Supralapsariorum dogma, quo Deus sine intuitu peccati reprobasse, & *ad mortem condidisse*, quæ non infitianda Calvini verba sunt, dicitur, male defenditur adversus querulos, hac quæstione: Numquid dedistis DEO, quod is vobis rependere deberet? Non volunt illi præmium, quodsi vellent, recte responsum esset, sed nolunt pœnam, quam nemo justus irrogare potest nihil merenti.

§. 352.

§. 352. Pag. 422. Triumphum agere videri vult de adversario suo Vitus; quem, cum hypothesin *de mundo optimo* tueatur, in Supralapsariis esse non dubitat. Viderint, quorum interest. Grandia loquitur Vitus pag. 423. *Ut Lutheranæ me fidei misereat, pigeat, pudeat, quod, qui acerrime illius caussam acturi sunt, præclarè intelligant se nihil efficere posse, nisi se ad Supralapsarios contulerint. Neque facilius jam mihi quidquam esse potest, quam ex hac tua sapientissima divinisque perfectionibus omnibus dignissima sententia totam tuam Lutheranam fidem evertere soloque æquare. Quodsi enim DEUS mundum eum, in quo hunc malorum ordinem, cum omnibus antecedentibus & consequentibus accuratissime ab æterno perspexit, tanquam optimum elegit, decrevit, produxit; Nihil DEUS velle potest ab iis diversum, quæ ad hunc optimum mundum pertinent. Ergo nugæ sunt & febricicantium somnia, quæ Lutherani plenis buccis proflatisque naribus de universali sua misericordia redemtione, gratia, inepte garriunt. Eo ipso enim quo Deus hunc mundum optimum elegit, decrevit, produxit, solos illos salvos simul non potest non velle, qui soli in hoc mundo, tanquam salutis in Christo per Spiritum S. participes repræsentabantur; neque eorum ullum velle potuit non damnatum, qui tamquam extra Christum propter peccata sua damnati, non minimam hujus optimi mundi partem constituunt.* Considerent, quid respondeant, quibus ista Philosophia placet. Ad me nihil attinent, quæ usque ad §. 431. disputantur.

§. 353.

§. 353. Ibi autem ſuam ſententiam Vitus, cum adverſarii vellet, jugulat, nam exprobrata illi imperitia doctrinæ Reformatorum, ait: *Utrumque noſtri tuentur, & divinam voluntatem eſſe omnis juſtitiæ regulam, & DEUM nihil velle, niſi quod juſtiſſimum ſit. Eo ipſo enim, quo DEUS nihil velle poteſt, niſi juſtisſimum, divina voluntas omnis juſtitiæ regula eſt. Niſi probaveris velle DEUM poſſe, quæ injuſta ſint.* Dubio certe carere inter Chriſtianos deberet, tum quæ ſint juſtitiæ notiones, tum, in DEUM non poſſe cadere, quod iſtis notionibus juſtitiæ adverſetur. At cum Supralapſarii DEO voluntatem tribuant, quæ ſit ex ideis illis, quas & ratio & Scriptura nos facere jubet, injuſtiſſima; non concedendum eſt circulo hoc nos ab illis ludi, ut quærentibus nobis, unde defendere juſtitiam hujus voluntatis velint, reſpondeant: juſtum eſſe, quia DEUS velit, cujus voluntas juſtitiæ regula ſit. Diſtinguimus inter *voluntatem DEI veram & certam*, quæ ſe cum ideis rationi noſtræ inſcriptis tum & è Scriptura hauriendis aperit plane conformem, quarum idearum de juſtitia ſummam §. 41. deſcripſimus: & *falſam atque à Supralapſariis Deo affictam*, quæ his notionibus plane contradicit. Itaque cum nos ideo rejicimus hanc putatitiam voluntatem, quod ſit injuſtiſſima, fruſtra ad voluntatem DEI ſe recipiunt, Reformati, quæ non poſſit non juſta eſſe, nam ἀμφισβητούμενον eſt: an hæc

ſit

ſit voluntas DEI? de cujus vel juſtitia vel injuſtitia cum quæritur, non eſt regula juſtitiæ, in hac, quæ in controverſiam venit, voluntate DEI quærenda, ſed in ideis è Scriptura & ratione hauſtis. Hæc verba Viti: *Eo ipſo, quo DEUS nihil velle poteſt, niſi juſtiſſimum, divina voluntas omnis juſtitiæ regula eſt;* Contradictionem implicant manifeſtam quidem, ſed quam Vitus, ut ceteras omnes ſatis perſpexiſſe non videtur. *Nam, ſi DEUS nihil velle poteſt, niſi juſtiſſimum*, neceſſe eſt ideam ſeu notionem juſti antecedere ideam ejus rei, quam DEUS vult, ut, cum rem prædicandam ajo albam, alboris notio præcedere debet, antequam rei albæ applicetur. Sed ſi, quod ſecundo loco ponit Vitus, *divina voluntas omnis juſtitiæ regula eſt*, voluntatis ejusdem idea, tam prior eſſe debet idea juſtitiæ, quam regulam oportet eſſe priorem ea re quæ ad illam exigitur. Ceterum probe velim ab ipſo Vito expendi Calvini verba ab eodem recitata p. 432. *DEUM enim exlegem qui facit, maxima eum gloriæ ſuæ parte ſpoliat, quia rectitudinem ejus ac juſtitiam ſepelit.* Nam, quamquam *exlex* DEUS merito dicitur, cum ſuperiorem nullum habeat, optimè tamen Calvinus rectitudinem ac juſtitiam actionibus DEI vindicat, cujus adeo regula non ex iisdem actionibus ſumenda eſt, quæ ſecundum notiones rectitudinis, rectæ, juſtæque prædicantur.

§. 354.

§. 354. Si *divini*, quem prædicas *Viri*, Joh. Calvini, ea clarissima virtus fuit, quæ docuisset, strenuè negare, ut verbis acerbissimis à te Vite! p. 433. non minori acerbitate addita, recitatis, fecit, nescio, quid dicendum sit. Summo DEI liberoque arbitrio ubique interitum plurimorum hominum Calvinus tribuit, & addit quidem, esse nobis incognitas in DEI sapientia hujus decreti caussas, neque quisquam est, qui Calvinum dixerit docere cœcum in DEO impetum; sed *nullas in homine caussas esse, cur sit reprobatus*, ut adeo omnia ad merum DEI arbitrium referenda sint, hæc inquam docere Calvinum, pudorem abjecit, qui negat Institut. III. 23. §. 6. pag. m. 337. *Ecce, quum rerum omnium dispositio in manu DEI sit, quum penes ipsum resideat salutis ac mortis arbitrium, consilio nutuque suo ita ordinat, ut inter homines ita nascantur ab utero certæ morti devoti, qui suo exitio ipsius nomen glorificent.* Post pauca, quæ Vito cumprimis lectu utilia sunt, cum Calvinus doceat, præscientiam solam nullam inferre necessitatem creaturis: *quum non alia ratione, quæ futura sunt, prævideat, nisi quia ita ut fierent, decrevit, frustrà de præscientia lis movetur, ubi constat ordinatione potius & nutu omnia evenire* §. 7. idem Calvinus pergit: *disertis verbis hoc extare negant, decretum fuisse à DEO, ut sua defectione periret Adam. Quasi vero ille idem DEUS, quem Scriptura prædicat facere, quæcunque vult, ambiguo fine creaverit nobilissimam*

ex

ex suis creaturis. (NB. contradixisse Calvino, an. 1564. defuncto, suos ceteroquin socios, Bullingeri supra laudata verba an. 1556. scripta aliaque docere possunt) §. 8. pergit Calvinus: *Hic ad distinctionem voluntatis & permissionis recurritur; secundum quam obtinere volunt, permittente DEO, non autem volente, perire impios. Sed cur permittere dicemus, nisi qui ita vult? Quamquam nec ipsum quidem per se probabile est, sola DEI permissione, nulla ordinatione hominem sibi accersisse interitum. Quasi vero non constituerit DEUS, qua conditione præcipuam ex creaturis suis esse vellet. Non dubitabo igitur cum Augustino simpliciter fateri; Voluntatem DEI esse rerum necessitatem, atque id necessario futurum esse, quod ille voluerit, quemadmodum ea vere futura sunt, quæ præviderit.* Obiter hic observo immane esse discrimen inter significationem vocis *necessitas*, cum in libro B. Lutheri de S. A. occurrit, qui ut §. 72. & alibi demonstravimus, claris verbis profitetur, sibi *necessarium* idem esse, quod *certum*: & ejusdem vocis significationem apud Calvinum, qui claris verbis *necessarium*, *verè futuro*, h. e. certè, opponit. Sed hæc omnia cum docuerit Calvinus, cum reprobatos non intentu peccatorum, sed ex DEI arbitrio reprobatos ajat, nec solum permissum lapsum, sed *decretum* & *ordinatum*, ipsis his vocabulis velit, frigidum esset excipere: DEUM habere caussas cur id faciat; nam justitiæ idea postulat, ut in damnando consideretur caus-

sa

sa damnationis. Non ideo potest actio justa prædicari, e.g. regis, qui vicinum terris exuit, quia ille decreti hujus sui, quo expulit alterum, habuit in se rationes, e.g. studium proferendi fines, aucupandi gloriam virtutis, similesque; sed nisi sit in ipso expellendo caussa, qua mereatur ejectionem, actio erit injustissima.

§. 355. Pag. 435. Adversario suo, qui ad desperationem ducere Supralapsarium dogma, objecisse videtur, sic respondet: *Rectissime vero Lutherus tuique patres nobiscum ejusmodi salutarem desperationem, qualem tu describis, effectum quendam regenerationis & portionem salutis esse affirmant. Quique tecum hanc piam consolationem rident, eos sine DEI Spiritu esse haud temere tuentur. Ita enim tuus Bugenhagius in ep. ad Rom. cap. IX. omnes dicimus hæc verba: Fiat voluntas tua, sed per hypocrisin. Qui vere dicit, non aliud quam hoc vult, quod vult DEUS. Qui si hunc velit perdere, non remurmurat; si etiam salvare, non inani gloria, ut solet caro, attollitur.* Hactenus Vitus b. Bugenhagii verba recitat, quæ licet sint optimè dicta, in suam tamen flecti sententiam posse credidit, at cum probare vellet, Bugenhagium docuisse *desperationem salutarem*, consultius putavit immediate sequentia verba premere; quæ p. 104. ex edit. Hagenoensi an. 1531. hæc sunt: *Submittit se amore ductus voluntati ejus, non autem desperatione, id quod in impiis cernimus.* Quibus verbis Pomeranus

nihil

nihil aliud vult, quam quod Theologi nostri omnes docent, eo adducendum esse Christianum, ut se dignum omni cruciatu existimet, conquiescat in voluntate DEI, quicquid ille de nobis decreverit, ita tamen, ut *desperandum* de gratia divina minime sit. Paullo post scripsit Bugenhagius, quæ Vitus porro recitat: *Quando igitur turbamur ob prædestinationem, gaudere debemus, nam ea turbatio portio quædam est salutis; estque plane illud, quod Christus in Matthæo dixit esurire & sitire justitiam. Qui vero sunt absque Spiritu DEI sententiam hujusmodi prædestinationis irrident.* Lectori non erit ingratum subjicere ejusdem Bugenhagii locum eadem pagina, qui an Vito vehementer placeat, nescio. *Si servaverimus hunc ordinem, quem hic Paulus servat, in Christianismi forma, utilis erit nobis prædestinatio. At si alia via ingrediemur, nempe initium sumentes à prædestinatione, non à peccati agnitione in nobis, erit nobis damnosa omnis prædestinationis cogitatio, incidemus enim in laqueos & excæcabimur. Sed vide quæso Pauli ordinem: à peccato Gentium & Judæorum epistolam auspicabatur, mox justitiam & gratiam, qua tolleretur peccatum* (utique illud universale de quo modo verba feceratPomeranus) *depingebat, hac aucta pugnam nasci perpetuam in nobis contra peccatum docebat, in qua mortificaretur & destrueretur vetus homo, hæc enim est crux. His omnibus primum diligenter inculcatis, cæpit in posteriore loco de prædestinatione agere.* &c. Hoc idem est, quod nostræ Form. Concord. autores vidimus fecisse. Præ-

ſtruenda ſunt dogmata de univerſali corruptione per peccatum & univerſali redemtione per Chriſtum totius generis humani; tum demum ſalutaris fit meditatio prædeſtinationis. Huic diſputationi clauſulam imponit his ſane pulchris verbis Bugenhagius: *Sit autem hac ſumma trium ſequentium capitum, IX. X. XI. Gratia, de qua hactenus diximus, datur iis, qui non ſunt meriti, ſive ii ſint ex Judæis ſive Gentibus. Qui autem ſomniant ſibi merita, & ſua bona opera, illi abjiciuntur, qui enim quærunt juſtitiam, non inveniunt, & qui non quærunt, inveniunt. Fuit autem maximè neceſſarium, ut illa doceret Paulus, ne qua dubitaremus de gratia.* Fuerat animus ex ejusdem diſertiſſimi & Latina oratione comti Bugenhagii commentario in Pſalmos, primum an. 1524. ſecundum an. 1526. nitide edito, & à Luthero atque Melanchthone miris laudibus, ut par fuit, commendato, aliqua, quæ Vito meo ſcitu eſſent utilia, excerpere, ſed ut dixi ſupra, abjeci conſiliū compenſandi Labores Viti Pandocheanos. Ego quidem meis oculis uſurus eram, non alienis. Non poſſum tamen, quin Vitum meum doceam, in præfatione huic commentario præmiſſa conqueri b. Bugenhagium de fraude Martini Buceri, cui is, pro amicitia, qua ſe mutuo colebant, hunc commentarium germanicè vertendi, & ſi vellet, alia aliter alioque loco ponendi facultatem conceſſerat, qua is ita abuſus eſt, ut inſcio invitoque Pomerano, doctrinam ſacramentariam commentario inſerciret,

ret, quæ res mox animadversa, Witebergensibus omnibus, quorum, ut dixi comendatione munitus Latinus Comm. prodierat, an. 1524. suspicionē creavit collusionis cum Zwinglio. Utinam illa fraus fuisset ultima, mi Vite!

§. 356. Pag. 436. ita Vitus: *Reliquos vero, qui non ex salutari tentatione sed improba quadam petulantia sacro-sancta nostra de prædestinatione fide abutuntur, liberrimè fatemur nullum electionis regenerationisque characterem, sed omnia potius alia præ se ferre.* Paullo ante dixerat: *pios tentationem & hæsitationem sentire non posse, quin simul salutari peccatorum & cognitione & pœnitentia, fidelique quodam salutis desiderio ducantur, quæ sint fructus regenerationis.* Itaque ô Vite! illico, qui se non sentit duci fideli desiderio & pœnitentia, petulans tibi videbitur, & reprobationis characterem habere? Si homo nondum regenitus at salutis aliqua cura, per gratiam Dei prævenientem affectus, è vestro dogmate de gratia particulari, de reprobatione absoluta in terrorem actus fuerit, si cum desperatione luctetur, quid vos agetis? Nolite, negata gratia universali, animas, quicquid dicatis, Christi sanguine emtas, perdere, nam & eas perdi posse, Paulus docet, *Rom. XIV*, 15.

§. 357. Pag. 443. antiquum quidem obtinet Vitus è Lutherano dogmate de præscientia Dei eruturus pessima quæque, sed vix tamen usquam adeo crude locutus est, ut hic loquitur: *Aut itaque fallere Deum infallibilis ipsius præscientia, & pœnitere immutabilis decreti poterat:*

 aut

aut Deus non potest non esse, uti caussæ, ita eorum omnium caussa, quæ cum caussa infallibiliter noverat conjunctissima. Ridicule enim deliraret, si, qui infestum ignem ædibus subjiceret, quo absumerentur, diceret, se non esse caussam incendii sed ignem, se enim nihil egisse aliud, quam ut ignem admoveret, noluisse vero incendium, licet infallibiliter cognorit, igne subjecto incendium certissime consecuturum. Si non credis hæc ex communi nobis doctrina de præscientia sequi, quid nobis ea objiciendo frustra verba facis, præsertim cum hic larvæ alicui locus non sit. Si credis, ut plane videtur, concedine ergo putas oportere, Deum tam esse lapsus Protoplastorum caussam, quam incendii caussa is est, qui subjecit facem? Fateor me plane obstupescere & horrere, non quod in difficultate expedienda laborandum sit, nam præscientiâ nullam inferri rebus necessitatem pueri norunt, sed quod in ecclesia Reformata talia doceantur. P. 446--448. gnaviter pergitur in recoquendis millies coctis accusationibus, per nostram sententiam Deum neque justum nec sapientem, nec sanctum nec bonum esse posse. P. 449. nostra definitione *libertatis* omnem *moralitatem* tolli contendit; nam *æquilibrium* putat à nobis doceri, quo voluntas ad neutram partem inclinata sit, quod nemini Lutheranorum in mentem venit. Cum larvis adeo Vitus, ut sæpe, pugnat acerrime.

§. 358. Vitus p. 452. demonstrare conatus Lutheranos Supralapsarii dogmatis postulari

omnes

omnes posse, in ipso limine impingit; ait enim: *Lutherani tuentur Deum ante decretum intellexisse, si tales homines conderentur, peccaturos.* Falleris Vite! Lutherani tuentur, Deum ante decretum vidisse, homines, quos esset conditurus, peccaturos, & hoc sane verissimum. Verum tua verba: *Si tales conderet,* inferunt connexionem, quæ inter *talem conditionem* hominum creandorum & lapsum intercederet. Hanc vocem *tales* repetit Vitus crebrius. P. 453. credi vult Vitus Supralapsarios æque ac Lutheranos tueri Deum *tantum permisisse malum.* Sed non legit Vitus, quæ supra §. 354. è Calvino excerpsi, & suos Supralapsarios non bene novit. Eadem pag. tuetur Supralapsarios *non aliunde quam à libero hominis arbitrio originem mali derivare*, sed ut taceam horribilia verba ipsius Viti §. præcedenti, Calvinus, ut §. 354. vidimus *ex nutu & ordinatione Dei* derivat. Illaudatus mos est dicere, negare, prout animus fert.

§. 359. Imperite Vitus p. 453. *Futura,* inquit, *unanimi consensu sunt ea, quæ postquam futura sunt, non possunt non talia aliquando existere, qualia futura sunt.* Quem jactas Vite! unanimem consensum, est unanimis dissensus, nam docemus *futura* etiam dari *contingentia*, h. e. quæ fient aliquando, sed possent non fieri; talia si tu dari negas, at Lutherani ajunt; itaque saltem de *unanimi consensu* tacendum fuerat. Quid vero mirum, ubi, nescio quo consilio, nobis tribuis quæ aversamur & per-

 nega-

negamus, deinde colligi posse absurda quævis? Porro, quid tibi vis verbis: *postquam futura sunt*, danturne res, quæ cum aliquando non fuissent futuræ, deinde incipiant futuræ esse? Sed hoc jam supra monitum. Transsilimus p. 454. sequ. P. 458. ita Vitus: *In hoc cardine mea demonstratio vertitur: Præscivit Deus mala. Ergo futura sunt. Ergo non amplius contingenter sed necessario fiunt. Alias enim falli potuisset infallibilis Dei præscientia. Undecunque igitur illud futurum dixeris, quod infallibiliter præsciri largiaris, id aliter contingere non potest, quam quo modo præscitum est. In quibus solis omnis vertitur Supralapsariismus.* Calvini tui verba, jam §. 354. indicata, si placet Vite! recognosce: *Equidem præscientiam solam nullam inferre necessitatem creaturis libenter concessero;* Idem Calvinus eodem loco Vallæ sententiam probat: *Et vitam & mortem divinæ magis voluntatis, quam præscientiæ esse.* Itaque & fallis & falleris Vite! cum in his solis omnem Supralapsariismum verti putas. Porro si tota demonstratio in hoc cardine versatur, caussa palam cecidisti. Propositiones tuæ inversæ sunt; hæc: *Mala futura sunt*, cum ob sententiam tuam, qua nihil futurum esse dixisti, nisi ex decreto; tum quod objectum cognitionis necessario prius considerari debet, quam cognitio; erat anteponenda alteri: *Præscivit Deus mala.* Tertia denique est manifesta petitio principii. Ut de quarta & quinta taccam.

§. 360. De *necessitate Consequentis & consequen-*

tiæ egimus, quantum satis est, itaquæ quæ p. 458. Vitus habet prætereo, item quæ de *fundamento præscibilitatis* p. 459. disputat. Ad me quod attinet, nullo egere Deum tali fundamento certus sum. Intelligit per se futura, præsentia, præterita omnia. Itaque quæ vel concessit Vito clar. Hochstetterus vel concessisse ab illo prædicatur, ad me pertinere non credo, neque magis ea, quæ ex istis concessis colligit Vitus, quæ, sive possit, sive non possit adversarius ejus respondere, falsissima sunt.

§. 361. Locum 2. Petr. II. 1. clarum esse & totam Reformatorum doctrinam evertere, frustra Vituts p. 467. negat. Prætereo, quæ Vitus ex Philosophia p. 468. infelicissime objicit, & quod *ad illustrissima testimonia, quibus Christus pro multis, pro populo suo, pro ovibus suis mortem subiisse dicitur*, se recipit; nam lectori meo tantum tribuo peritiæ theologicæ, ut his se argumentis non patiatur moveri. Saltem omnes norunt tritum illud. *Unius positio non est alterius exclusio.* Hoc vero monet clar: Vitus cui respondere è re erit, *nec Christi nec effusi ad reproborum salutem sanguinis mentionem fieri in dicto Petrino.* Si syllabis quæris, ea sane non exstant, sed hoc certum, de hæreticis agi, quorum doctrina non hujus ævi sed æternam perniciem inferat, hos ait Petrus negare δεσπότην qui ipsos redemisset. Versa te in omnes partes, non invenies nisi Christum, qui *redemit*, qui *Dominus* est, qui *negatur*

gatur ab aliquibus hæreticis, cujus negatio *æternum interitum* affert. Neque diffitetur Vitus sibi aquam hærere: *Licet verò longe facilius sit Lutheranam explicationem erroris convincere*; (quod Vitus certe nunquam faciet) *quam ostendere, quis verus sit obscurioris hujus loci sensus*: (qui quidem vix clarior porerat esse) *non tamen impossibile eum sensum hujus loci constituere, qui neque Scripturæ neque rationi adversetur. Omnis* difficultas in ambiguis vocibus ἀγοράσαντα δεσπότην vertitur. Quæ quæso! difficultas? Δεσπέτης, inquit, *de Christo nunquam habetur, sed Deo patre, sive Deo trinuno.* Quid tum? nam cum de mortalibus occurrat, 1. *Tim. VI*, 1. 2. quis neget de Christo commode adhiberi, cum ipsi ob redemtionem vox κύριος speciali ratione competat. Quid? quod locus, 2. *Tim. II*, 21. de Christo, cujus & v. præced. mentio injecta, rectissime intelligitur. Quam parum bene Vitus pergit: *Quid quod manifeste Epist. Jud. v. 4. loco huic nostro plane parallelo, Deus pater μόνος δεσπότης dicitur & Christo ceu κυρίῳ nostro opponitur, ex quo loco, si lucem quandam nostro accenderis: senties per δεσπότην intelligi potissimum Deum patrem.* Quivis bonus Interpretes, qui hæc loca paralella considerat, utrumque vocabulum κύριον καὶ δεσπότην in loco Judæ ad eundem Christum referet, tantum abest, ut de Deo patre in oppositione ad filium intelligendum sit. Erubescenda sunt, quæ Vitus addit: *Deinde, cum tales* ψευδοδιδάσκαλοι *à Juda dicantur* προγεγραμμένοι

εις τȣτο τὸ κρίμα & nostro loco v. 12. *ὡς ἄλογα ζῶα φυσικὰ γεγεννημένα εἰς ἅλωσιν καὶ φθοράν, qua sapientiæ specie redimi poterant, ut ne essent ἔνοχοι τȣ͂ κρίματος, εἰς ὃ προεγράφησαν, utque à corruptione liberentur, qui εἰς φθορὰν nati sunt.* In verbis apostoli summa est claritas, sed Vitus, homo mortalis, audet definire, quid sapientiæ divinæ conforme, quid minus fit? heu pudor! hoc vere est suam corruptissimam & plane miserabilem Philosophiam Scripturæ facere interpretem. Primo, quod de his hominibus ad interitum natis perhibes, Vite! ex tuo ingenio commentus es, *Animalia* dicit Apostolus, ad mactandum, sive ut mactentur nata, atque eorum more vivere pessimos istos homines. Deinde ipsa ratio hic sapientiæ divinæ vestigia aliquatenus cernit. Nam, cum hominum condemnandorum hæc sit caussa, quod non credant in Christum. v. c. *Joh. XVI*, 9. oportet datum esse illis Christum certe destinatum. At inter homines quoque sapientes hoc par est fieri, ut si quis, e. g. centum mancipiis in ergastulo Turcico libertatem emerit definita vi pecuniæ post biennium repræsentanda, data permissaque illico centum illis facultate discendi, etiamsi contigerit plures ex his nolle ista facultate uti, aliquos etiam per istud biennium in ergastulo decessisse, pactum tamen argentum definito tempore numeretur, pro illis quoque, qui nolunt vel non possunt jam impetrata facultate frui. Rideretur, qui

elapſo biennio pro ſolis illis λύτρον vellet numerare, qui uſi uſurive eſſent, nam ideo omnibus facultas data erat abeundi, quod futura erat pecuniæ pro omnibus repræſentatio, quæ ſi futura erat certo tempore, tum cum venit illud tempus, fit ſapientiſſime. Hoc te Vite! celatum nolui. Singulas autem coactisſimas interpretationes, quibus tenebras, ſi fieri poſſet, inducere clariſſimo loco contendis, quarum optionem lectori vis integram, excutere animus non eſt. Quis non doleat vicem Interpretis, qui e. g. ita explicat locum: *Negant Dominum à quo ſe falſo jactitant redemptos?* vel ita, ut Honertium explicare Vitus teſtatur; *eo nomine redemtos à Chriſto dici, ut tanto illuſtrius de victis triumpharet.* Si ſapientiores non ſunt reliquæ interpretationes, quas nobis laudas Vite! clariſſ. Honertii, iis facile caremus. Certum eſt, Pſeudo-Doctores, quos Petrus & Judas ſignificant, invehere ſibi interitum negato Domino & redemptore ſuo, itaque ſalutem obtinuiſſent, ſi confeſſi eſſent hunc ſuum redemtorem. Quid vero huc facit, dicere *homines triumphari a Chriſto?* Itane vobis ſapientia videtur manibus pedibusque obluctari, ne agnoſcatur veritas ſolis radiis ſcripta de univerſali gratia meritoque Chriſti? Infelix ſane & pœnitenda opera!

§. 362. De pacis negotio deſcribenda hæc eſt clauſula Viti noſtri: p. 475. *Niſi itaque pacem nobiſcum velint, ſalvo paciſcentium diſſenſu; cave-*

caveant existiment, unquam futurum, ut veritatis jactura violentaque conscientiæ nostræ subjugatione pacem redimamus. Ita enim nos veritati servimus, ut non minorem charitatis, quam veritatis rationem habeamus. Sic charitati studemus, ut veritatem simul sartam velimus tectamque. Quid mihi videatur? noli quærere lector! Parturiebant montes, pax nascitura erat, in qua NB. maneret dissensus. At talem dudum habemus.

§. 363. De synecdoche grammatica an Rhetorica? ad p. 476. nihil amplius dicere constitui. Ad p. 479. repeto in ipsa Synodo Dordracena, manifestissimè ea, quæ nos docemus, rejecta esse, quod qui negat, cum eo disputari non oportet, nam res oculorum usu definiri potest. Ceterum Arminium, de quo p. 485. agitur in articulo de *Justificatione* non recte docuisse habes me Vite! consentientem. Ad p. 487. mirabile, Vitum, de conviciis toties monitum, adeo non abstinere, ut augeat etiam. Jubet doctissimum Colerum, Schmidium legere ad Lutheri librum de S. A. & fieri posse negat, quin, si Lutheri & Erasmi amœbea omnia perlecta sint, agnoscat nihil imprudentius Schmidio esse. Legi, mi Vite! ego quidem accuratissime, & candide profiteor, quid mihi videatur, nempe tam de aberrasse à vero sensu B. Lutheri, quam in his rebus infinitis partibus versatior doctiorque Te Vir Seb. Schmidius, probè attigit mentem beati Viri, non ubique, quod fateor, satis planam. Legi Lutheri librum aliquoties diversis tem-

temporibus, & prima quidem lectione non valde placuit, placere autem cœpit, postquam & Schmidii notas & magis etiam, quæ in doctissima Antapologia Witebergensium de hoc libro extant, legissem. Ubi mihi plane omnes scrupulos exemtos sensi. Quod postremo loco quasi manifestum errorem Schmidii affers p. 487. manifestum est indicium te, non Schmidium, falli. Arguis Schmidium, quod neget à Luthero *absolutam necessitatem* doceri, opponisque ipsum Lutherum qui Comment. in Gen. fateatur se scripsisse omnia absoluta esse & necessaria. Nam de *re* non de *nomine* quæstio est. Non negat Schmidius nomen *necessitatis* à Luthero usurpatum esse, sed intelligi id, quod voce *necessitatis* hodie accipitur rectissime negavit, quod ex ipso illo loco Lutheri in Gen. luculenter patet. Quæ, ut sanè non sunt difficilia, facile agnosceres Vite Clarissime! si sedatior tibi meus esset.

§. 364. Frustra nititur Vitus illustrissima testimonia Lutheri de universali gratia cum à Clariss. Rambachio, tum aliis, e. g. Witebergensibus in Antapologia, laudata eludere distinctione inter *DEUM revelatum & absconditum*. Nam, si, quod Vitus vult, certè ex hypothesi velle necesse est, absconditus DEUS nolit, quod revelatus velit, contrariæ sunt in DEO voluntates, aut certe altera ficta, id quod B. Luthero, qui quidem ista distinctione frequenter usus est, ne per somnium quidem in mentem venit. Sed satis de ea re supra actum

est,

est, neque placet ad ea digredi, quæ adversus reverend. Rambachium Vitus p. 489. sequ. disputat. Quod vero pag. 490. denuo repetit, ipsum Lutherum protestatum esse, impia esse, ac si forte diceret, eo loco habenda, ac si à Diabolo ipsi suggesta essent, quæ de universali gratia Lutherani hodie è scriptis Lutheri colligant, id §. 292. discussum est. Quem paragraphum, ut denuo erubescat, relegere Vitus poteris. P. 492. ea scripsit, quæ, non maximi usus in sacris opinionem creare possunt. Lutherum argutatur Supralapsarium fuisse, quia tentationes passus sit meditando prædestinationem. *Qui enim*, inquit, *nasci possent ejusmodi tentationes in ejus animo, qui cum Lutheranis existimet, DEUM omnium salutem velle, Christum pro omnibus mortuum, nostrum esse tantum non resistere gratiæ. Aut si has difficultates etiam cum sua fide conjunctas profiteantur: Quid quæso hoc nomine profanis calumniis nostram fidem lacerant? Aut largiantur itaque legitimos Lutheranos nobiscum sensisse; aut non negent se αὐτοκατακρίτας eorum reos esse, quorum nos ineptissimè accusant.* Nasci posse in Lutherano homine has quoque tentationes, ut de sanctissima veritate, de gratia DEI & clementia dubium oriatur, nemo negat, nisi qui Satanam nobis insidiari nescit; Sed has difficultates *etiam cum nostra fide conjunctas esse* pernegamus, potius nostra fide expugnantur. Quid vero vis tibi vocula *etiam?* Faterisne cum tua fide esse illas difficultates conjunctas? Atque est sane verissimum. Ceterum tentatio-

tionum Lutheri hæc est ratio. Ipsa, quam *tu defendis*, doctrina, gravissimam tentationem excitaverat beato Viro, nam eam ex Thomistarum Dominicanorumque scholis imbibisse Lutherum, at mature deposuisse, observatum supra est. Vin scire, qua ratione medicatus sit sibi Lutherus? hac ipsa saluberrima doctrina, quam tuitus deinde est ad finem Vitæ, & quam nos tuemur, *de gratia JEsu Christi universali*. A Staupicio enim monitus ad vulnera Christi respicere, rectius habere cœpit, neque perditum se iri credidit, cum Christus ipsum sanguine suo redemisset.

§. 365. *Quis vero nescit Lutheranos statuere omne regenerandorum & non regenerandorum, eligendorum & non eligendorum discrimen, non ex Dei gratia, sed solo hominis arbitrio pendere.* Sic Vitus pag. 494. Ego, mi Vite! non solum nescio, sed contrarium esse verissimum scio. De loco in præf. Lutheri in ep. ad Rom. actum supra est. Vito hoc concedendum, Versehung, seu ut alii habent, Vorsehung non esse Vorhersehung, nihil vero inde lucratur. Sed nolo alibi dicta repetere. Frontem nobis periisse putat, quod negemus hanc præfationem esse Supralapsariam p. 496. Ego vero nescio cur placuerit in loco satis amplo Lutheri paucula omittere, nisi ideo factum, quod à Supralapsario dogmate planè abeant. Nam post verba: Und vergeblich damit sich bekümmern, ob Sie versehen sind; addidit Lutherus: Die müssen sich denn selbst stürtzen, daß Sie entweder verzagen,

gen, oder sich in die freye Schantze schlagen Quibus verbis eadem pericula absolutæ reprobationis defensoribus difficulter cavenda, recenset, de quibus nos hodie Reformatos monemus. Pergit Lutherus: Du aber folge dieser Epistel in dieser Ordnung, bekümmere dich zuvor mit Christo und dem Evangelio; hactenus recitavit Vitus, omissis sequentibus: Daß du deine Sünde, und deine Gnade erkennest. Hæc Luthero duce ineunda est via, ut communem omnibus peccatorum calamitatem, communem omnibus Christi gratiam, agnoscamus. Ut è Scriptura non potest sigillatim doceri: Tu Petre! tu Paule! peccator es, sed, quia omnes arguuntur, proclive est singulis, ad se, quod omnibus dictum est, applicare: ita nec posset quisquam Christi meritum ad se pertinere è Scriptura discere, nisi ibi videret omnium misertum esse Christum, ut sane Lutherus loco supra laudato ita colligit: Christus venit ad servandos peccatores, atqui ego peccator sum, ergo & ad me servandum venit. Nulla esset hic consecutio, nisi major propositio de *omnibus* peccatoribus intelligatur. Eadem præfatione Megalander idem, quod à me aliquoties monitum est, graviter inculcat: Daher Christus allein den Unglauben Sünde nennet, da Er spricht Joh. 16, 9. &c. Quod ne intelligi quidem potest, nisi & reprobi essent obligati ad credendum, sed ad credendum falsum nemo potest obligatus esse, itaque relinquitur verum

rum esse, quod docentur, quodque repudiant reprobi: *Christum ipsos velle salvos.* Verba: Aus der Göttlichen Versehung fließt ursprünglich her, wer glauben oder nicht glauben soll (h. e werde) von Sünden loß oder nicht loß werden kan; plane egregia sunt, si è libris Symbolicis p. 802. memoria teneatur, quid Luthero, quid & nostris Confessoribus *prædestinatio* sive Versehung sit? *Sed ad eum modum divinam electionem meditemur, quemadmodum DEI consilium propositum & ordinatio in Christo Jesu, qui est verus ille liber vitæ, per verbum nobis revelatur. Totam igitur doctrinam de proposito consilio, voluntate & ordinatione DEI, omnia videlicet, quæ ad nostram redemtionem, vocationem, justificationem & salutem pertinent, simul mente complectamur. Sic enim D. Paullus hunc articulum in scriptis suis tractavit & explicuit.* Ex tota hac ordinatione DEI fluere, quis à peccatis liber fieri possit, quis non possit, quis neget? Itaque Lutherum, mi Vite! quod Te supra rogavi, missum fac, neque nobis oppone amplius, cujus libros intelligere, tibi non videtur datum esse. Saltem alios, qui alia omnia in Luthero vident, noli pro fungis, pro hominibus, quibus frons periit, habere. Quam facile foret convicia conviciis compensare, quod a me quidem nunquam fiet.

§. 366. De Ephemerid. Belgic. nolo dicere: Laudarunt Viti librum, an legerint, dubito, non intellexisse caussam omnem facile video. Ad p. 513. non accedo doctissimo Colero, qui disputandi artem in Vito laudat, par est credere ipsi Vito potius affirmanti, se adeo illam artem non callere, ut non meminerit se unquam theses publicè defendisse. De calumniis Cypriani, Lœscheri, Moshemii, quas immerito Vitus p. 516. 517. vocat, actum est satis & forte plus satis. Reverendissimus Moshemius sitne responsurus an minus? me fugit. Ego, quod credidi opus esse, feci, atque ab acerbitate Viti sanctissimam nostram fidem vindicavi, ita ut nunquam necesse fore putem addere plura. Quodsi ea stili immodestia respondere Vito consultum visum fuerit, qua ceteros adhuc excepit, multo minus dignus à me habebitur, cujus gratia vel verbulum scribatur. Quod superest, Deum veneror, *ut veritatis agnitionem det, ea carentibus, augeat confirmetque habentibus, clementer adsit tuentibus, ignoscat lædentibus!* Amen!